ORATORUM ROMANORUM

FRAGMENTA.

MAULDE ET RENOU, IMPRIMEURS,
Rue Bailleul, 9 et 11.

ORATORUM ROMANORUM

FRAGMENTA

AB APPIO INDE CÆCO

USQUE AD Q. AURELIUM SYMMACHUM.

COLLEGIT ATQUE ILLUSTRAVIT

HENR. MEYERUS.

PH. D. ET AA. LL. M.

EDITIO PARISINA AUCTIOR ET EMENDATIOR

CURIS

FRIDERICI DÜBNER.

ACCESSIT FRIDERICI ELLENDT HISTORIA ELOQUENTIÆ ROMANÆ USQUE AD CÆSARES PRIMIS LINEIS ADUMBRATA.

PARISIIS,

APUD L. BOURGEOIS-MAZE, BIBLIOPOLAM.

QUAI VOLTAIRE, 23.

1837.

PRÆMONITUM.

Librarius quum in eo esset ut HENR. MEYERI *Fragmenta oratorum Romanorum*, præstantissimum opus et tam juventuti academicæ quam Jurisconsultis aliisque doctis viris Galliæ valde expetitum, suis typis ornatius repeteret, me adiit, quem adnotasse quædam de hoc libro audierat. Ego primum renuere; sed quum rerum ille documentis mihi perprobasset Turicensem librarium longissime abesse ut novam editionem paret, neque doctissimo *Meyero* quicquam damni illatum iri, si aliena in terra repeteretur ipsius liber, meam ei curam præstare decrevi. His autem potissimum liber optimus, de quo quid sentiam pridem in Jahnii Annalibus philol. exposui, paullo et perfectior et commodiore usu fieri posse videbatur : ut primum loci veterum scriptorum, ex quibus Editor non raro pauciora quam res postulabat verba excerpserat, apponerentur pleniores; deinde ut fragmenta ad editiones, si fieri posset, meliores vel ad ipsos codices iterum exigerentur; tum ut explicarentur vel corrigerentur aliqua obscuriora vel corrupta; denique ut accederent quæ a nobis reperiri potuerunt fragmenta nova. Quibus omnibus ita satisfacere studuimus, ut hæc editio non no-

mine sed re ipsa prodiret auctior et emendatior. Luculentas aliquot additiones debemus juveni doctissimo Egger, quem ornamentum olim Gallicæ philologiæ fore arbitror; alias operi accuratissimo, quod omnibus harum rerum studiosis maximopere commendamus, Antonii Westermann, *Geschichte der Beredtsamkeit in Griechenland und Rom,* vol. II, Lips. 1835. Qui vir doctissimus quum in annorum computatione Fastos Capitolinos ubique sequatur, eamdem in hoc quoque libro restituimus, ne forte turbentur qui utroque, id quod maxime suademus, simul velint uti. Friderici Ellendt *brevem historiam eloquentiæ,* meritis laudibus dudum celebratam, ut oportebat, in initio libri ponendam curavimus, exceptis inde, si fieri poterat, iis quæ de singulis orationibus disseruntur : hæc enim jam fragmentis ipsis inserta melius intelligentur et judicabuntur. Ceterum uncis fere inclusimus quæ utrique operi in hac editione accesserunt, et notas præsertim criticas asterisco distinximus.

Fr. D.

Parisiis, Kal. Jun.

EDITOR LECTORIBUS.

Cum reliquias oratorum clarissimorum, quos Romana tulit respublica, perquirerem, et rationem occasionemque orationum ex memoria antiquorum temporum repeterem, in maximis gravissimisque causis, quæ etiamnunc animum nostrum agitant atque implent, versari plerasque intellexi. Cum deinde splendorem pulchritudinemque fragmentorum, quæ collegi, plus centum oratorum, qui orationes scriptas reliquerunt, perspicerem et universam earum studio ac cogitatione imaginem adumbrassem, eadem quasi quadam admiratione imbuebar, qua excitatus fui, cum ante hoc biennium Romæ ipsius, capitis quondam orbis terrarum, monumenta reliqua perlustrabam, quæ, etiamsi dimidiata atque fœde devastata, magnitudine ac splendore nihilominus omnes moles turritas nostrorum regum vincunt. Ut autem Roma vetus in ipsa ruina novam antecellit urbem eademque et pulchrior est et excelsior, sic oratores veteres, quamquam eorum opera maximam partem ætatem non tulerunt, ceteros facile superant, et vivunt etiamnum quodam-

modo vigentque. Catonis orationes virum probum, justum, peritum, eloquentem, sed gloriosum hominem et litigatorem produnt. In Graccho teneros mores perspicies et animum liberalem atque ingenuum et splendidissima eloquentiæ lumina, quamvis ipse rebus gerendis civilibus parum fuisset aptus. Romani vero mores severi et excelsa animi magnitudo et ingenium incorruptum quam maxime in Scipionis apparent oratiunculis. Nec multum distat Lælii oratio, cujus robigo nativam Latini sermonis indolem et proprium cultum indicat. Ac profecto vetus sermo Latinus in se habet nescio quid integritatis, quod animum allicit magis quam ille Græcorum coloribus fucatus. Quid ergo gratius esse poterit Romanarum studiosis literarum libro, in quo fragmenta oratorum dispersa sunt collecta? Atque adeo ætate Taciti id munus aggressus est M. Licinius Crassus Mucianus, ut præcipuorum monumenta oratorum contraheret et ederet, ne oblivione obruerentur, ut in Dialogo de oratoribus c. 37 scriptum legimus. Ac ni Mucianus hunc suscepisset laborem, multo minus etiam quam nunc habemus, opinor, reliqui haberemus. Ea enim fragmenta, quæ apud Gellium, Frontonem, Macrobium etiamnunc legimus, ex illo opere excerpta puto. Inter recentiores autem duo viri, ingenio et eruditione longe maximi, collectionem oratorum promiserant, nec tamen solvere vota gratissima potuere. Justum Lipsium dico et Franciscum Dousam, quorum prior in lib. 2 Electorum cap. 18 ita scribit : « Fragmenta scriptorum veterum adolescens olim (ut ferebat illa ætas) cum impetu et labore

collegi. Quæ distinxeram classe quadruplici. Oratorum, historicorum, poetarum, miscellorum. Inter miscellos præcipuum Varronem posueram. Atque hæc non in meum solum usum, sed publicum, nisi visum aliter ἀφίλῳ cuidam φίλῳ fuisset, qui cœptum hoc omne meum turbavit. Non fraude, ne erres, sed (dicam vere et fortiter, etsi parum comiter) turpi furto. — Is partem fragmentorum eorum e domo mea abstulit mala et tagace manu. Abstulit etiam una animum in cœpto opere pergendi, quia et difficilis instauratio jacturæ ejus mihi visa, et postea intellexi, Janum nostrum Dousam eumdem laborem serio elaborasse. » — Dousa vero in præfatione Lucilii sui ipse dixit : « Cujus specimen et quasi gustum si vobis non ingratum fuisse cognovero, protelum mihi eritis ad similem industriam experiundam non tantum in poetis reliquis, sed et in historicis et oratoribus, quorum partim interfuerunt, imo et præfuerunt bellis, partim in senatu et populo illo versati sunt, ubi assidua materies et agitatio harum rerum. » Verum, ut supra dixi, neque hic neque ille cœpta absolvit, quamvis uterque rem utilissimam fore judicasset. Nec silentio prætermittere possum, quod nuper in Bernhardy historia ingeniosissima literarum Romanarum p. 287 legi, ægre, nec sine jactura literarum adhuc desiderari oratorum collectionem fragmentorum. Id vero imprimis sentiet, quicumque Brutum Ciceronis et Quintiliani librum decimum interius intelligere cupiet, et ad hunc usum ego primum consilium ejus rei cepi, præsertim cum fontes rivulosque, in quibus oratorum fragmenta latent, jam antea cognovissem

ex *recognitione mea fragmentorum Ciceronis*, quam postea cum Orellio nostro, viro clarissimo, editioni ejus inserendam, communicavi. Sic tandem collectio oratorum qualiscumque nata est, eaque prima est; quod ideo prædico, quod primum quodque periculum facilius in omni re veniam atque indulgentiam impetrare debet. Nam præter Catonis orationes, quas Ausonius Popma Franequeræ anno 1620 edidit et Lion nuper Gottingæ 1826 secure * repetiit, cetera fragmenta nunquam usque adhuc sunt congesta. Quamquam autem M. Porcius Cato maximam sibi gloriam inter oratores priorum seculorum peperisset, adeo ut optimus orator, optimus senator, optimus imperator nominaretur, exstiterunt tamen jam ante eum multi viri, quorum orationes etiam ætate Livii legebantur, et inter æquales tanta illustrium oratorum copia fuit, ut ad cognitionem præstantissimæ partis Latinarum literarum fragmenta eorum non possint prætermitti. Fuerunt revera apud Romanos plurimi oratores, et ex hoc literarum genere multo plura edebantur opera quam ex reliquis. Novimus enim centum et viginti quinque oratores, qui orationes scriptas reliquerunt, isque numerus facile duplicari posset, si libri superstites essent, qui historiam literarum aut artis oratoriæ proprie tractabant. Ego quoque plures recensere potuissem, si conjecturæ magis quam auctoritati confidere voluissem, sed elegi eos tantum, quorum de orationibus certa veterum testimonia exstabant. Omisi igitur pæne invitus Cæsarem

* Vide censuram meam in Jahnii Novis annalibus 1831, fascic. IV, pag. 416 sqq.

Germanicum, oratorem celeberrimum, Munatium Plancum, Mæcenatem, Helvium Manciam, Julium Florum, A. Galbam, Q. Haterium, Varium Geminum, Asinium Gallum aliosque multos. Quantus autem omnino oratorum Romanorum fuerit numerus, Fronto in Epistola quadam ad M. Cæsarem De eloq. (p. 235 ed. Rom.) extenuando indicat, cum dicit : *Sed enim omnes universos, quicumque post Romam conditam oratores exstiterunt, illos etiam, quos in Oratore Cicero eloquentiæ civitate gregatim donavit, si numerare velis, vix trecentorum numerum implebis*. Centum ergo et viginti quinque oratores scripta in posteros tradidisse dico. Nulla alia gens simile præbet exemplum, nulla tot artificiis oratoriis abundat. Ceteræ nationes, ac præsertim nostrorum temporum, in omni alio literarum genere magis excellunt quam in oratorio. Ubi inter Germanos reperiemus Catonem, Lælium, Scipionem, Gaium Gracchum, ubi M. Antonium, Crassum, Carbonem, Jul. Cæsarem Strabonem, Hortensium, Serv. Sulpicium Rufum, ubi Cæsarem, Cœlium, Calvum, Messalam, Asinium Pollionem, Cassium denique Severum? Hic clarissima tantum ingenia et notissima nomina appellavi. Ac nescio an Græcæ literæ minorem copiam præstent, et numero oratorum, nec tamen rhetorum, a Romanis tantum non superentur. Athenis enim ingenia ad varia multipliciaque studiorum genera se convertebant, colebantur omnes scientiæ species, splendidissima lumina ad philosophiam transierunt, relicta eloquentia. Apud Romanos vero ea fuit summa adolescentium contentio, per quam cultum, munera, au-

ctoritatem, dignitatem acceperunt. Quid multa? Eloquentiæ studium fuit ludus consulis futuri. Oratores plerique, quorum notitiam habemus, summos honores reipublicæ attigerunt, et orationes eorum versantur in maximis rebus, quæ tunc in senatu aut in concione vel foro disceptabantur.

Distinguere autem soleo in eloquentia Romana oratores antiquos, medios, novos; quorum agmina ducunt *M. Porcius Cato*, *M. Tullius Cicero*, *T. Cassius Severus*. — Catoni proxime adjunguntur Africanus minor, Galba, Lælius, Ti. et C. Gracchi, quorum minor multo tamen præstat, C. Titius. Horum orationes semina habent perfectæ artis; sententiæ, imagines, figuræ natura, non arte sunt egregiæ, ac felicem indolem impetumque eloquentiæ indicant, ante omnes *Catonis oratio de sumptu suo*, *pro Rhodiensibus*, *orationes in Thermum*, *si se Cœlius tribunus plebis appellasset*, *Lælii laudatio funebris Africani minoris*, *Africani oratio contra legem agrariam C. Gracchi*, *C. Gracchi concio ad populum; oratio qua legem Aufeiam dissuasit*, *oratio de legibus a se promulgatis*. Sermo Latinus nondum cultus, nec Græcis literis eruditus, compositio longe abest ab eo fastigio, quod, perfectus præceptis rhetorum, Cicero attigit. Præclare de Catone Cicero dixit (Brut. c. 17): *Antiquior est hujus sermo et quædam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros, ut aptior sit oratio; ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne Græci quidem veteres factitaverunt: jam neminem antepones Catoni.* Illustrem collationem

fecit trium oratorum, M. Catonis, C. Gracchi et Ciceronis A. Gellius in cap. 3 libri X.

Deinde oratores medii perfectam eloquentiæ formam expresserunt pulcherrimasque orationes elaborarunt. Nunc Græcorum rhetorum præceptis formabantur adolescentium studia; sermonem Latinum eadem plane arte tractabant, qua Græca lingua expolita erat, partiebantur orationes more Græcorum. Et quia in republica Romana orator summus maxima auctoritate floruit, eloquentia ipsa, bona æmulatione atque contentione elaborata, mox ad culmen accessit. Cicero quidem maximam gloriam consecutus est, sed plus triginta viri pari facultate oratoria eminebant. Similiter Senéca in præfatione Controversiarum dicit : *Quidquid Romana facundia habet, quod insolenti Græciæ aut opponat aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem nostris studiis attulerunt, tunc nata sunt.* M. Antonius, Crassus, Cæsar Strabo, Cotta, P. Sulpicius Rufus, Carbo, Q. Hortensius, M. Calidius, Ser. Sulp. Rufus, Julius Cæsar, Cœlius, Calvus, M. Brutus, Asinius Pollio et Messala Corvinus juxta Ciceronem fuere. Plerique eorum perfecti fuerunt oratores, et distabant inter se viribus tantum aut urbanitate. Arte tamen Cicero summus esse videtur, atque compositio ejus et numeri oratorii æmulatorem Isocratis indicant. Memoratu autem profecto dignum est, inter oratores illorum temporum ambisse palmam eloquentiæ etiam matronam Romanam, Hortensii, summi oratoris, filiam, cujus oratio apud triumviros habita legebatur non tantum in sexus honorem.

Fere perfectæ eloquentiæ terminum constituit Augusti imperium. Nec tamen Augusto soli culpam ejus rei tribuamus. Pompeius enim mutata forma et consuetudine veterum judiciorum licentiam oratorum jam refrenaverat, temporibus deinde triumviralibus eloquentiæ veluti freni imponebantur, atque Cicero ipse in extrema ætate, M. Bruti, eximiæ spei adolescentis, dolens vicem, jam deflevit judiciorum vastitatem et fori. Subito enim misera fortuna reipublicæ id evenit, ut libertas et eloquentia obmutesceret. Postea vero, cum eloquentiæ primas ubique ferre arrogaret sibi Nero, quomodo spirare diutius poterat divina illa ars? Atque Seneca eodem loco causas corruptæ eloquentiæ optime exponit. *Ut possitis æstimare, in quantum quotidie ingenia decrescant, et, nescio qua iniquitate naturæ, eloquentia se retro tulerit: in deterius* (post Ciceronem) *quotidie data res est, sive luxu temporum : nihil est enim tam mortiferum ingeniis quam luxuria ; sive cum præmium pulcherrimæ rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia, multo honore quæstuque vigentia; sive fato quodam, cujus maligna perpetuaque in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderant, relabantur. Torpent ecce ingenia desidiosæ juventutis, nec in ullius honestæ rei labore vigilatur. Somnus languorque, ac somno et languore turpior malarum rerum industria invasit animos. Cantandi saltandique nunc obscena studia effeminatos tenent, et capillum frangere et ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum feminis, immundissimis se*

excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est. Sunt ergo duæ præcipue causæ, quæ eloquentiam tunc temporis corruperunt, amissa res publica et luxuria morum. Judicia populi omnino cessabant, causæ gravissimæ omnes ab imperatore ipso suscipiebantur et disceptabantur, apud quem eloquentiæ nullus relictus erat locus. Causis privatis non eloquentia, sed calliditate opus erat, ita ut rabulæ et veteratores iis sufficerent. Accedit, quod omnis sentiendi et scribendi libertas sub Tiberio jam periit. Cum igitur veterem gloriam præmiaque pristina amisisset eloquentia ac prope contemneretur, alia studia, poetica et historica, quæ antea non eamdem famam consecuti erant, ei præferre cœpere, et præstantissima ingenia mox eam deseruerunt. Luxuria autem animos hominum adeo effeminavit, ut ad majora et excelsa eniti non amplius possent. Ideo paucorum annorum spatio eloquentia deflexit ab illa vetere dicendi via. Nemo deinde perfectus orator esse dicitur. *Quod video*, ut auctor Dial. de oratt. c. 15 dicit, *etiam Graiis accidisse, ut longius absit Æschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes, et si quis alius Ephesum vel Mitylenas contentis scholasticorum clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus a Cicerone aut Asinio recesserunt.* — Erat autem princeps novorum oratorum Cassius Severus, cum quo juxta comparantur Domitius Afer, Julius Africanus, Vibius Passienus, Vibius Crispus, L. Annæus Seneca, Galerius Trachalus, Julius Florus, Plinius minor, M. Fabius Quintilianus. Ex quorum orationibus pauca tantum fragmenta præter Plinii Panegyricum ad Trajanum

exstant, ita ut satis constet, posteros mox eorum opera oblivioni tradidisse, majoremque ex cognitione priorum oratorum voluptatem percepisse. In Senecæ enim libris rhetoricis non excerpta orationum continentur, sed ex declamationibus loci pulcherrimi vel acute dicta referuntur, ita ut varia declamandi genera, quibus Asinius Pollio, Cestius, Passienus et multi alii utebantur, ex iis cognoscamus.

Emergunt temporibus quoque insequentibus interdum viri facundia clari, quique, ut Fronto, orationes scriptas reliquerunt; imo imperatores nonnulli, virtute et literis insignes, idem fecerunt. Eorum tamen orationes plerumque de jure civili quæstiones tractabant. Eloquentia pristinum splendorem et spiritum prorsus amiserat, ut Fronto ipse confessus est in libro De eloquentia p. 228 : *Immortales dii siverint, comitium et rostra et tribunalia Catonis et Gracchi et Ciceronis orationibus celebrata hoc potissimum seculo conticiscere?* Hæc quoque fragmenta colligenda esse putavi, ut oratorum Romanorum orbis juste clauderetur. Ac ne in Frontone quidem eloquentia Romana prorsus obmutuit. Sequuntur enim auctores duodecim Panegyricorum, nec ii contemnendi sunt. Quamvis ingenio atque arte nullo modo cum oratoribus priorum seculorum comparari possint, ab iis tamen, qui fata literarum Romanarum interius cognoscere amant, legi merentur. Atque ut in florente republica et optimo civitatis statu homines ipsi multo et re et ingenio beatiores sunt, sic in infelicibus temporibus ac perditis rei publicæ rebus et ingenia rare-

scunt et literæ artesque deflorescunt. Sic mediocritas ista Panegyricorum seculo potius quam hominum culpæ tribui debet. Vitia enim imperatorum, bella continua, invasiones barbarorum, direptiones rerum privatarum, incerta prorsus vitæ conditio homines tum in miserrimum statum depresserant, et literæ non sine timore et anxietate coli poterant. Cum autem princeps bonus raro ad imperium perveniret, plurimi vero eorum feris essent similiores quam hominibus, omnes adeo, qui tantum non facinora continua patrabant, populo accepti fuerunt et mire laudati, tanquam a diis missi, uti lenirent miseram mortalium sortem. Quare panegyricos Maximiano Herculeo dictos vel Constantio et Constantino non ineptas declamationes aut viles adulationes appellaverim, sed gratissimo animo atque sincere ingentes laudes his imperatoribus sunt tributæ. Eminet autem inter ceteros *Panegyricus quintus* sive *Epithalamius Maximiano et Constantino in hujus et Faustæ nuptiis dictus*, tum *Eumenii pra restaurandis scholis oratio* et *Claudii Mamertini Panegyricus Maximiano Herculeo dictus.*

Sed, ne in infinitum campum oratio mea vagaretur, terminum hujus libri constitui Q. Aurel. Symmachum, qui a primo, quem novimus, oratore plus sexcentorum annorum spatio separatur. Nam, ut duos ævo inter sese remotissimos componam, Appius Cæcus orationem de Pyrrho a. U. 474 habuit, Q. Aurelius Symmachus actiones suas reliquit initio seculi undecimi Urbis Romæ, quarto post Christum. Sic per sex secula

persequentibus eloquentiæ Romanæ historiam incrementa simul et florem ejus atque interitum cognoscere licebit.

In opere autem elaborando multum profuere Annales Pighii, immortale opus, et Ellendtii Historia eloquentiæ Romanæ, editioni Bruti præposita, qui omnes oratores usque ad Augusti imperium erudite persequitur. De tertia libri mei parte, de novis oratoribus inde ab Augusto usque ad remotissima tempora Aurelii Symmachi, nihil adhuc ab aliis memoratum inveni. Librum enim Andreæ Schotti de claris apud Senecam rhetoribus, in quo multa et bona latere puto, nancisci non potui. [Neque in Regia Bibliotheca servatur.] Ex Bruto Ciceronis plurimum lucis attulimus ad cognoscendum, qui sint oratores antiqui et medii, ac quali quisque eorum genere dicendi sit usus. De novis autem oratoribus Seneca pater et Quintilianus fons est uberrimus. Oratorum antiquissimorum pleraque fragmenta a Gellio, Macrobio, Frontone, Festo atque Nonio et Prisciano servata sunt, et quamvis alias grammatici, ut Nonius ac Festus, non multam laudem doctrinæ et eruditionis meriti sint, in eo tamen nunquam non eos prædicabo, quod memoriam multorum scriptorum conservarunt, quodque sine eis maximam partem literarum oratoriarum et historicarum apud Romanos plane ignoraremus. Nec credo fore multos qui mirentur, cur orationibus ab auctoribus historiæ, Sallustio, Livio, Tacito, Dionysio, Polybio, Dione, Appiano illustrissimo cuique oratori traditis nullam pæne auctoritatem tribuerim. Veteres enim quam nostrorum

temporum historici longe aliud spectantes fidem historicam ab orationibus abesse posse arbitrati sunt, cum eæ nonnisi ad præcepta danda aut ad artem ostendendam inservirent. Plutarcho vero paulo majorem in orationibus ab eo relatis fidem tribuamus. Atque magna cum voluptate opus inchoavi, undique ex omnibus scriptoribus fragmenta colligens, cum quotidie numerum multo augeri viderem, et judiciis de oratoribus Ciceronis et Quintiliani comparandis cum ipsis eorum reliquiis vehementer sum lætatus. Nunc vero absoluto et ad finem perducto opere gaudium prope dolore commutatur : cum enim mente cogito, quam sit difficile reliquias laceras scriptorum quodammodo restituere fragmentaque integrare, et quam multum absit ut libri veteres, in quibus fragmenta oratorum latent, sint incorrupti, atque omnino in ejusmodi scriptionibus non amplius quæri posse, quid verum sit, sed id tantum, quod sit probabile, majus opus et magis arduum apparet esse, quam principio fore existimaveram, et longe secus atque in ceteris rebus initium operis jucundum lætumque, exitum vero difficillimum esse sentio. Illud enim odiosum est, quod in tali re raro in certis argumentis innitimur, nec veritatem, sed speciem tantum veritatis explorare multaque fragmenta nisi divinationis adjumento nullo modo illustrare possumus. Quam sit autem ea res lubrica, præclare nuper G. Hermannus in Dissertatione de Æschyli Lycurgia ostendit : « *Nec temere hariolandum est in antiquitatis pervestigatione, neque carere divinationis adjumento possumus. Quare curandum, ut, ubi quid conje-*

ctando sumendum est, id aut consequatur probabili quodam modo ex iis, quæ certa sunt, aut causam, unde explicari ea de quibus constat possint, contineat idoneam. Hoc qui negligunt, somnia fingunt, quorum neque utilitas ulla, et sæpe non levis noxa est, si pro veris habita justam rerum cognitionem perturbant atque corrumpunt. Nullo in genere id sæpius et facilius evenire videmus, quam in iis disputationibus, quæ sunt de scriptis, quorum paucæ servatæ sunt reliquiæ. Quorum quum sæpe vix de argumento, nedum de partibus argumenti rationeque qua tractatæ erant aliquid compertum habeamus, nihil reliquum est quam ad conjecturas confugere, quas patet quam lubricas sæpe ac dubias esse oporteat, si fontes, ex quibus peti possint, vel nulli reperiantur, vel parum limpidi sint, vel adeo reconditi lateant, ut diligentiam fugiant etiam sollertissimam. »

Omisi autem vitas oratorum copiose enarrare, partim quia propositum mei operis fuit non historiam oratorum, sed orationes tantum eorum edere, partim quia id ab aliis jam factum intellexi.

H. Meyer.

FRIDERICI ELLENDT

HISTORIA ELOQUENTIÆ ROMANÆ USQUE AD CÆSARES

PRIMIS LINEIS ADUMBRATA.

HISTORIA ELOQUENTIÆ ROMANÆ.

1. Sæpe et multum, ita ut non forte factum appareat, eloquentiæ Latinæ princeps in ea re immoratur, ut ostendat, quam e moribus hominum ex institutisque civitatum profluat, et quam suæ originis quasi præmia reddat ars eloquendi. Assentimur in eo, ut confiteamur insitum esse a natura hominibus ut omnium artium sic præcipue dicendi artis elaborandæ studium. Nam quid verbis opus est, ut probetur, nulla re magis a pecudibus hominem, quam ratione et oratione secerni? nullam ad omnem naturam humanam et ingenium excolendum potentiorem esse? Quare cum ubique sit orationis usus, quam maturrime homines vel parum cultos in eo videmus laudem ponere aliquam, quod inter suos eloquio excellant. Quid mirum igitur, si apud Græcos potissimum, elegantioris humanitatis auctores et cultores, cum primum de barbarie emerserant, civitatumque et status politioris fundamenta posuerant, sensum eloquendi prodire et æqualium laudibus celebrari videmus? Inde toties audatus Homerus, qui Ulyssem Nestoremque ornando sui temporis sensum patefacit. Neque cum Quintiliano dissentit quisquam (X, 1, 45), cum omnium dicendi generum præstantissima exempla ab Homero proposita et imitationi ostensa censet. Quod vero pluribus locis M. Tullius (artis nimio amore ferri animadvertas) inculcat, conditas eloquentia civitates, posita melioris humanitatis fundamenta, obliteratam morum feritatem, discordias et bella sedata, malis tum publicis tum privatis occursum esse: hæc, inquam, ex improbatis De inventione libris (I, 1 sqq.) in dialogos De oratore (I, 8 sqq.) transumpta, quamvis de philosophia eadem prædicet Quæst. Tusc. V, 2, 5, partim multum a vero absunt, partim ne laudi quidem ducenda videntur. Contra sane disputantem induxit Scævolam, qui prudentiæ civili aucta vitæ

commoda vindicet, et novimus istum Socraticum morem in utramque partem disserendi; sed parum tamen acutis oculis opus est, ut in iteratis illis eloquentiæ laudibus ipsa Ciceronis sententia agnoscatur. Illud autem intellexisse Tullium credibile est, hæc eloquentiæ merita, utcunque probabilia, in rerum gestarum monumentis testes non habere. Ita hujus artis, ut celerarum, initia obscura caligine obducta reperiuntur; ut prudenter fecisse Cicero existimandus sit, quod de Romanæ eloquentiæ originibus nihil ferme memorabile prodiderit. Nam in Bruto (c. 14) nonnisi suspicando viris illustribus eloquentium nomen tribuit, iisque a Romanæ civitatis primordiis sane remotis. Sed erant diserti pro ratione ætatis et eruditionis, qualis ante debellatam Italiam et Græcorum cum Romanis commercia esse potuit. Neque litterarum monumenta exstant, ut plura quam obscuram dictorum factorumque famam nanciscare.

2. Gens enim martia, omnia in agendo, nihil fere in dicendo ponens momenti (cujus rei insignia apud Livium testimonia sunt X, 19 et 22), neque literis dedit, neque artibus operam, priusquam subacta Italia, mentibus ad altiora arrectis, Græcorum et Siculorum commercia inierat. Quæ si antea jam fuerunt mercaturæ causa instituta neque tam crebra censenda sunt, ut plus quam species quædam rerum utriusque populi ab uno ad alterum permaneret. Erant tamen ad dicendum incitamenta Romanis non minima. Nam mos ille haud insipienter inductus, ut leges pro concione suaderentur et dissuaderentur, ante etiam exstitisse videtur, quam legibus Publilia et Mænia patres auctores fieri jussi sunt, priusquam tribus in suffragia mitterentur. Suasiones tamen legis Ogulniæ (Liv. VI, 74), rogationum Liciniarum (Liv. X, 37), et multo ante Canuleiæ et Terentillæ, quin ex Livii sententia, quid dicere potuissent, hominibus illis conjectando adscriptæ sint, nullus hodie est, qui dubitet. Verum non parum probabile erit, si quis initia popularis eloquentiæ usque ad Decemviros retulerit, quo tempore plebs a nobilium factione impune vexata de miseria primum emergere cœpit. Utut rudes fuerint tribunorum conciones (de qua re haud improbabiliter disserentem exhibet Voleronem Publilium, II, 56), at fuisse quemadmodum evinci non potest, vero tamen simile est; nec nisi rudibus initiis gens armis tractandis agrisque

subigendis adsueta, et Musarum expers, futuro literarum flori proludere potuit, neque Apollinem carminis præsulem, neque Homerum deorum interpretem nacta, qui Camenarum sacra facienda doceret. Verum horum initiorum in Annalibus exstitisse documenta, etsi nota Livii in fontibus historiæ consulendis incuria incertum reliquit, nec nisi paucorum insigniter dictorum factorumque in fragmentis exstet memoria, parum videtur argumentis posse firmari. Nam in perscribendis non tam bellorum vicissitudinibus, quam triumphis vel fœderibus bellorum prægressorum indicibus, in notando magistratuum ordine, in pestilentiis vel annonæ caritate commemoranda, aut vilis legum latarum mentio visa, aut per invidiam hominum popularium prorsus omissa est, nec nisi rationibus subductis vel conjectando in suum quæque locum relata fuit. [Vide G. J. Voss. De hist. Lat. I, 2; Niebuhr. Histor. Rom. vol. I, p. 257 sqq. ed. sec.; A. Krausium Vitæ et fragmm. vett. hist. Rom. p. 21 sqq.] Tamen cum varia historiarum scriptoris negotia neglexerit Livius, prorsus autem sæpissime ineptus sit Dionysius, perditam cum Annalibus et præclusam veteris Romæ accuratius cognoscendæ viam esse dolebimus.

3. Ceterum ætate eloquentiæ Romanæ prima, quam usque ad belli Punici secundi finem producimus, nonnisi unum de tribus dicendi generibus celebratum est *deliberativum* s. συμβουλευτικόν. Judiciali genere non ante Catonem usi videntur; quoniam in causis privatis formularumque jure usus eloquentiæ non erat apud prætores Areopagitarum quasi severitate præditos; causæ autem publicæ in rebus et testimoniis totæ versantes suffragiis populi in comitiis congregati subjiciebantur. In quo populo exorando partim parum spei noxiis erat, cum non essent dicendi artificiosa lenocinia, partim illis hominibus pravi videbatur moris esse, misericordiam sibi precibus et fletu extorqueri. Qua de causa duæ causæ publicæ illustres, M. Postumii Pyrgensis publicani ap. Liv. XXV, 3, et Cn. Fulvii Flacci apud eumdem XXVI, 2, quæ judicia totam arrexisse civitatem videntur, non eloquendi arte qualicumque peractæ, sed in altera publicani pro socio vim intentare cœperant, severo SCto et graviore actione sublatam: in altera auctoritas et preces Q. Fulvii fratris valituræ videbantur, nisi idem senatus, e republica non esse cen-

sens Q. Fulvium a Capua abscedere, reum eripi noluisset. Orationum habitarum mentionem fieri non videmus. Sed negari non potest, rectius incorruptum illius ætatis sensum judicasse, quam ambitiosa sequentis temporis ingenia, cui fucatus sermonis nitor et fallaces miserationes, etiam pro indignis adhibitæ, viros bonos dicendi peritos non videbantur dedecere. Recentiorem consuetudinem si qui senatores in Græcis perspexerant, ut peregrinam aspernabantur, neque admittendam in civitatem putabant. Viderant enim mores civitatum externarum cum corrupto rerum civilium statu conjunctos; neque improbanda simplicium hominum sententia, alterum ab altero non posse segregari. Inde diu etiam post hæc tempora philosophi Græci et rhetores a paucis accepti, a senatu civitate ejecti sunt. Et negari non potest, genus deliberativum honestate consilii, et dignitate loci præcipue dignum videri viro. Regnare in judiciis, eripere flammæ vel maxime noxios, jus et injuriam oris temperamento miscere, ambitiosis sæculis magnum et regium visum est (Cic. De orat. I, 8, conf. 12), sed incorrupto sensui displicuit.

4. Erudiebantur illo tempore adolescentes minus litteris et et magistrorum voce quam contuberniis decoratorum honoribus et triumphis. Consuetudinem illam, qua senes et honorati de jure respondentes vel disserentes de rebus publicis adolescentum discendi cupidorum turba gaudebant, ad hæc usque tempora recedere magnam verisimilitudinis speciem habet. Et est hæc discendi docendique ratio ut gratuita, ita honestissima, et Romanæ magnitudini augendæ plurimi fuit pretii. Nam non frigidæ magistrorum disputationes erant, sed viva summæ virtutis exempla; non inutiles de rebus reconditis disquistiiones, sed de summa republica laudibusque patriæ servandis augendisque præcepta, eaque confirmata multorum annorum usu. Quod præterea artes quasdam ab Etruscis feruntur accepisse Romani adolescentes, id cultui vere Romano parum certe officiebat. Nam præter rem agrimensoriam et de rebus sacris et superstitionibus doctrinam nihil profecto traditum est. Neque sane haruspicina illa talis erat, quæ artis similitudinem haberet; neque illa nimium fovenda Romanorum fortitudo debilitata est; quoniam quidem ita comparatum videmus, ut cum ingenio colendo, non dicam animi robur, at corporis saltem vis et valetudo, generosi nutrix

animi, senescat et obliteretur. Sed quod hucusque creditum est, Romanos juvenes Etruscis erudiendos datos, nuper convellere voluerunt Gœrenz. ad Legg. II, 9, 21, et Frandsen (in Haruspicibus, Berolini editis a. 1823). Et huic viro libenter assentimur, neque haruspices Romanos, neque collegium eorum ante Cæsarum tempora fuisse, quam eandem Ruhnkenii sententiam in programmate nuper exposuit Eichstadtius. Sed juvenes solum Etruscos, non Romanos, didicisse haruspicinam, non credimus. Nam hæc, sensu ampliore sumenda, auguralem etiam scientiam complectebatur, qua Romani principes carere non poterant, quod omnes cærimoniæ et auspicia in magistratuum et senatus potestate erant. Atque id Gracchi exemplum a Cic. De nat. deor. II, 4, et De divin. II, 35, prolatum, quo loco ex consilio suo contra disputat, ipsum probat. Neque loci Ciceroniani Legg. II, 9, 21, De divin. I, 41, 92, Valer. Max. I, 1, 1, cui accedit Liv. IX, 36, aliter accipi possunt; inprimis autem secundus ex his. Nam prorsus inepte dixisset Cicero, decrevisse senatum, ut principum *Etruscorum* filii sex singulis *Etruscorum* populis erudiendi committerentur. Cur enim traderentur, qui jam erant et Etrusci et inter Etruscos? Neque aliud Legg. l. c. indicatur, quamvis superbe, ut solet, obloquente Gœrenzio. [Jam legendus qui totam rem expendit C. O. Mueller, in libro de Etruscis, vol. II, init. Quem vide etiam de proxime sequentibus, variis ll.]

Quin Festus (v. *Rituales*) in ritualibus Etruscorum libris scriptum esse ait, « quo ritu condantur urbes, aræ et ædes sacrentur, qua sanctitate muri, quo jure portæ, quomodo tribus, curiæ, centuriæ distribuantur, exercitus constituantur, ordinentur, ceteraque ejusmodi et ad bellum et pacem pertinentia. » Et Servius ad Virg. Æn. III, 597· VIII, 398, inprimis vero ad I, 422, ex Etrusca disciplina refert, urbes rite conditas non videri, nisi in quibus tres portæ, Jovi, Junoni et Minervæ, consecrarentur. Conf. Censorin. c. 17, p. 83, ed. Haverc.; add. c. 11, p. 50. Videmus igitur, quam late ad Romana jura, sed non ad artes, literasve, disciplina Etruscorum patuerit. Unum adjiciemus: si vera sint, quæ de portentosa morum apud Etruscos impuritate ex Timæo referuntur apud Athenæum XII, p. 517, E, mirabile videri, quod hujus ruinæ, quamvis facilibus ad vitiosa adolescentium ingeniis, per quatuor sæcula ne vestigium quidem

Romæ animadversum fuerit. Et luxum quidem summamque magnificentiam apud populos illos opibus florentes Volsiniensium exemplum ostendit; sed quanta flagitia mendax Græcia peregrinis gentibus affinxerit, idem Timæus testis, quum narrat, morem lævigandi corporis, pilorumque turpi artificio evellendorum a Messapiis Samnitibusque (gentibus quotidiano armorum usu duratissimis) ad Græcos fuisse perlatum. Quippe vitii excusationem a mendacio petebat.

5. Disertorum hujus ætatis hominum perexigua ad nos penetravit memoria. Possumus, inquit M. Tullius in Bruto (c. 14), suspicari *L. Brutum* disertum, quod regibus pulsis civitatem magistratibus legibusque devinxerit; possumus *L. Valerium Potitum*, qui Decemviris contemptis in ipso senatu de regia eorum potestate liberrime conquestus, et gentilis gloriæ memor legibus saluberrimis gravem discordiam sedavit. *M.* (al. *M'.*) autem *Valerium*, quem Cicero l. c. dictatorem compescuisse secessionem in montem Sacrum dixit, Funccius (De adolesc. L. L p. 180) M. Valerium Corvum esse censet, sexies Cos., qui seditionem militum in Campania dictator composuit, quamvis rem per Coss. transactam alii Annales apud Liv. VII, 38, testentur. Falsam Funccii sententiam nemo non videt. Neque verior est Burignii (*Mém. de l'Acad. des Inscr.* vol. XXXVI, p. 35), Ciceronem cum Valerio Maximo, VIII, 9, 1, errasse existimantis. Non erravit; sed alios Annales secutus est uterque. Conf. Niebuhr. Hist. Rom. vol. II. p. 404 sqq. ed. sec. Porro *C. Fabricium*, *M. Popillium*, *M. Curium*, qui ter Cos. Pyrrhum Italia expulit, *Tib. Coruncanium*, primum de plebe Pont. Max.; et ex iis, qui serius vixerunt, *C. Flaminium*, *Q. Fabium Maximum*, *Q. Metellum*, verbo tangens Cicero persequitur.

[Quibus Westerm. p. 31 sqq. addit P. *Valerium Poplicolam*, L. Bruti collegam, quem Plutarchus in Vita c. 1, ἐπιφανῆ διὰ λόγον fuisse refert, laudationemque collegæ defuncti ipsi tribuit c. 9, post Dionys. Hal. A. R. V, 17. Deinde *Menenium Agrippam*, e Livio II, 23; et quos posterius hic orationes habuisse vel finxit vel in Annalibus invenit, *M. Fabium*, a. 273 Cos., II, 47; *Kæsonem Quinctium*, III, 11; *C. Canuleium*, tribunum, IV, 3—5; *Appium Claudium*, V, 3—6; *Furium Camillum*, V, 51—54; *Appium Claudium Crassum*, VI, 40 sq.—

De illis quos Cicero memoravit hæc excerpimus. *C. Fabricium* ad Pyrrhum regem missum fuisse constat «oratorem» de captivis recuperandis. *M. Popillius Lænas* Cos. erat annis 394 et 397. *M'. Curius Dentatus*, Trib. pl. a. 455, Cos. 463, 478, 479. V. Wetzel. ad Cic. Cat. c. 16. *Tib. Coruncanius*, Cos. 473, Pontifex Max. a. 500—509, Ictus æstimatissimus : v. Cic. De orat. III, 15 et 33; Pompon. De orig. juris I, 2 Dig. § 35. *C. Flaminius*, Trib. pl. a. 525, Cos. 530 et 536. *Fabius Maximus Verrucosus*, ille qui Romanis *cunctando restituit rem* (Ennius ap. Cic. Offic.I, 24), quinquies Cos. ab a. 520—544. De quo præclara dixit Cic. Cat. c. 4. Plura in fragmentis et de hoc p. 2 sq. et de *Q. Cæcilio Metello*, p. 94 sqq.]

6. Omnium autem, qui hæc tempora illustrarunt, nemo *Appio Claudio* clarior, qui *Cæci* cognomen accepit oculis privatus, quod Herculis sacra a Potitiis et Pinariis deseri passus servos ea publicos doceri instituit (Liv.IX, 29; Valer. Max. I, 1, 17). Is ingenita familiæ suæ ferocia (Sueton. Tib. c. 2; Tacit. Ann. I, 4; Liv. l. c.) neque senatus, neque populi, neque legum satis reverens, haud dubie Ap. Claudio decemviro, si sæculo prior fuisset, simillimus erat futurus. Nunc quidem omni studio laboravit, ut leges æquabilitatem juris patricii et plebeii continentes sperneret; neque impune sprevisset, nisi major pars senatus patricii spiritus nondum esset oblita. Non consulare ingenium sed juri disceptando natum L. Volumnii ore Livius X, 22, huic recte tribuit : variis præterea locis famam de ejus eloquentia ad sua usque tempora permansisse testatus, ut X, 19. Nec minimi ad ejus eloquentiam laudibus tollendam ponderis est, quod Isidorus Origg. I, 37, hunc primum prosa oratione inter Romanos usum refert, quippe remotiora ex sæculi sui ingenio per caliginem cernens. Idem Appius in consulatu L. Volumnii de plebe consulis acerrimus obtrectator, quem vel ipse vel fama rei male gestæ ex Samnio in Etruriam acciverat, suæ potius superbiæ quam reipublicæ commodis servire voluit. Nec minores spiritus ostendit, quod censor a. U. 440, spreta lege Æmilia magistratum cum summa invidia solus per quinquennium gessit (Liv. IX, 33); et interrex consulem de plebe non accipiendo, M'. Curium Trib. pl. eo compulit ut in Coss. ejus anni creandis Patres ante inita suffragia auctores fieri cogeret. Per-

magnum hoc dicit Cicero Brut. c. 14, nondum lege Mænia lata. V. Gronov. Obss. I, 25; Wachsmuth. Hist. Rom. p. 337. (Cos. erat annis 446 et 447.) In gravitate hujus viri laudanda multus est Cicero, nec fortasse injuria. Cum enim fieri potuit, ut ferocis adolescentiæ errores compositæ ætatis virtutibus compensarentur (quin etiam cæcitatem ingenti animo tulisse fertur); tum casu suo non impeditus nec publicæ nec privatæ rei defuit, ut idem Cicero (Tusc. V, 38) ingentem domum, magnasque clientelas ab eo sene et cæco recta esse dixerit. Fœdus Pyrrhi ab eo discussum passim celebrant scriptores. (Liv., Cic., Sueton. Tib. c. 2, Val. Max. VIII, 13, 5, Plutarch. in Pyrrho c. 18. sqq. et in opusc., An seni sit ger. resp. § 21, p. 794, D, alii.) [V. Fr. p. 1 sq.] Hinc, quem uno ore omnes disertum vocant, in literis quoque plus aliis vidisse probabile est. Orationum quidem sola *de fœdere Pyrrhi* habita exstitisse videtur, nescio, an sequenti ætate conficta; quam Plutarchus in Pyrrho composuit, pro genuina temere habet Burignius l. l. XXXVI, p. 35. Carmen ejus magnopere Panætius in epistola ad Q. Ælium Tuberonem laudavit (v. Cic. Tusc. IV, 2)'tos ne qd gaf-oo aus rd mas vel sententiarum libellum spectat, cujus etiam Priscianus VIII, p. 792, ed. Putsch. (p. 370, Krehl.) particulam videtur servasse. Nam et sententiæ genus obstat, quominus ad orationes ejusdem referatur, et additurum grammaticum credo fuisse, si ex tralatitia illa oratione de Pyrrhi fœdere desumpta esset. [Locus est : « Amicum cum vides, obliviscere miserias, inimicus si es commentus cæco. » Ita codd. Fort. leg. *obl. miserias* EX *inimicis; si* EST *commentus*,... et imperativus in *to* latere videtur in postremo vocabulo. Ceterum omittere non debebat Krehlius græcam vocem πεπλασμένος, qua passivum usum vocabuli *commentus* indicabat Prisc.] Eædem sententiæ memorantur pseudo-Sallustii Orat. I de republ. ordinanda init., Festo in *Struprum* et, sicut videtur, Sallustio ap. Nonium v. *Rabula*, p. 60, 24, ed. Merc. Conf. Quintil. XII, 9, 9, ibiq. Spalding. [et Orell. ad Cic. Tusc. IV, 2, 4, ad Wolfii scholam. *Meyer*.]

Gentis Claudiæ, quæ ad Ap. Cæcum usque una fuerat, mox ab ejus filiis Tib. Nerone, C. Centone et P. Pulchro in tres stirpes divisa est, stemma habes ap. Glandorp. Onomast. p. 946, et ex Sigonio ad Liv. IV, 68, in ed. Drakenb.

Æqualium hujus Ap. Claudii neminem magnopere eloquentiæ nomine celebratum accepimus; eorum, quos sequente ætate fama extulit, supra mentionem feci, hoc addens, nulla cujusquam litterarum esse monumenta.

7. Altera eloquentiæ Romanæ ætas, quam recte adolescentiam dixeris, deducatur a finito bello Punico secundo ad tempora usque Sullæ dictatoris. Fieri non potest, quin qualicunque utentes divisione, pro rapidis imperii Romani incrementis, et diversum cultum, et homines eruditione non simillimos in unum ordinem cogamus. Verum ne nimis multas eloquentiæ inventæ et auctæ ponamus ætates, hacce complectemur, quomodo Græcorum eruditione et literis plus minusve tincta, sed neque ad horum imitationem composita, neque artificiose a magistris tradita, parum tamen abfuerit, quin ad summum præstantiæ fastigium perveniret. Prima Græci cultus initia ante Punicum bellum alterum cum Romanis communicata sunt [hæc veterum ipsorum opinio, sed non satis vera : v. Niebuhr. Hist. Rom. vol. 3, p. 364 sqq.]; sic autem cultus vere Romani florem nondum natum, Græcorum interventu fortasse exstinctum esse, dolere debemus. Sed dummodo Romani in imitando Homero, Sophocle, Aristophane stetissent, neque horum impatientes, quod vera poeseos exempla præbebant ingeniis a poesi vulgo alienis, ad doctos grammaticos et versificatores, Alexandrinos dico, transire voluissent, major tamen et laudabilior artium honos emicuisset. Hoc ne fusius exsequamur, res admonet. Paucis Romanorum ab initio Græcorum artium studia innotuerunt. Majus enim videbatur, orbis Romani rebus, legibus et institutis patriæ temperandis, senatoris, imperatoris, jureconsulti muneribus vacare, quam rebus et ludicris et minimi usus navare operam. Hanc Romanis ingenitam superbiam auxit Græculorum in rebus minimis tumultuatio et vaniloquentia; ut paucis exceptis, qui artibus operarentur reconditioribus, quemadmodum *P. Sulpicius Gallus*, astronomus, *M. Manilius* et *Scævolarum* tota familia, jurisconsulti, fecerunt, vix esset quisquam, qui literarum notitia imbutus eam ore et sermonibus præ se ferret. Populo orbis terrarum domino ne ludicra tractando displicerent, non modo Antonius et Crassus noluerunt (Cic. De orat. II, 1 et 36), sed ad Ciceronis usque ætatem ea permansit opinio, quemadmo-

dum locis Ciceronianis usus haud obscure prodidit Quintilianus XII, 9, 5. Neque si non ita fuisset, multis verbis ad sese excusandum, quod poetis et philosophis operam daret, M. Tullius pro Archia dicens, opus esse putasset.

8. Ceterum Cicero non uno loco ostendit recens invectam esse *artem*, τέχνην ῥητορικήν. Vide, quæ de Catone refert De orat. III, 33 (coll. Orat. c. 51); III, 51, Brut. c. 14 et 17, Arch. c. 6 et 7, Tuscul. I, 3. Neque tamen hoc primum adspicientibus similitudinem veri habet. Scimus enim, consuetudine et usu nobilium Romanorum cum Achæis intercedente, qui bello Persei finito de patriæ sinu erepti fuerant, Græcæ elegantiæ studium et amorem invaluisse. In his eminent adolescentes P. Scipio et C. Lælius; ipsumque adeo Catonem, qui philosophos Roma ejiciendi auctor fuerat, moribus mutatis id indulsisse scimus, ut exacta ferme ætate Græca disceret (Cic. Cat. maj. c. 1, Acad. IV, 2). Deinde Carneadem, Critolaum et Diogenem philosophos eo tempore Athenis clarissimos singulari casu Romam delatos trium principalium in philosophia sectarum placita non minus diserte quam perite exposuisse, et coram viris reipublicæ principibus de variis hujus generis argumentis disseruisse, ex Cicerone De orat. II, 37, Quintiliano XII, 1, 35, et aliunde satis cognovimus. Considerantibus igitur Romanam eloquentiam præ rebus Græcis parum antiquam videri (Cic. Brut. c. 13; conf. c. 15 extr.), hi homines centum ferme ante florentem, quinquaginta ante natum Ciceronem annis Romam delati satis vetusti artis oratoriæ apud Romanos videri possunt auctores atque parentes. Sed ne obliviscamur, non modo Epicureos olim Roma ejectos, indecentiæ magistros, sed etiam postea vix toleratos Græcos rhetores, sola fortasse sermonis, quo docebant, peregrinitate tutos fuisse.

9. Nam rhetores et philosophi SCto ejecti C. Fannio et M. Valerio Messala Coss. (a. U. 592, ante Chr. 161). Vide Sueton. De clar. rhett. c. 1, A. Gell. XV, 11, ut Pighium et Sigonium taceamus (p. 475), qui a censoribus P. Scipione Africano et L. Mummio de his aliquid sancitum esse censuerunt. At L. Licinius Crassus, L. Domitius Ahenobarbus censores, Latinos rhetoras de civitate magis cupierunt tollere, quam sustulerunt et cum notissimo illo edicto ludos, in quos itarent adolescentes, a

majoribus constitutos esse dicerent, non ludos rhetoricos, quippe nemine jubente ortos, sed literarios et fortasse Etruscam disciplinam intellexerunt. Censorium illud a. 661 edictum a Suetonio De clar. rhett. 1, p. 30 ed. Wolf. et A. Gell. l. l. relatum, egregium veteris gravitatis documentum legentibus exstat. Ad L. Plotium, qui sibi primus Latini rhetoris nomen indiderat (Sueton. l. l.) et quem Quintilianus II, 4, 42, extremis L. Crassi temporibus exstitisse dicit, concursum factum, et Ciceronem a patre prohibitum, quominus eo itaret, ex epistola ejus ad Titinium apud Sueton. l. l. discimus. Eundem Cœlius Atratino, adversario suo, argumenta s. capita actionis composuisse, maledicto incessens exprobavit. V. Wolf. ad h. l. et Casaub. p. 310, 311. Diutissime igitur vixit. De hoc agunt Quintilianus l. l. et XI, 3, 143, Seneca Controvers. II prooem.; meminit Varro ap. Nonium v. *Bubulcitare*, p. 79, 29. Ex Quintiliano discimus, scripsisse de gestu Plotium. Idem est haud dubie, qui a Cicerone Pro Arch. c. 9, Marii dicitur familiaris, et quem poetam faciunt Gesnerus in Chrestomath. Ciceroniana cum Ernesto in Clave, non corrigente Schuetzio. Marius enim res a sese gestas ab illo posse celebrari dicitur existimasse. Et fortasse utrumque opus attigit. Sed manifesto erravit Pighius ad a. 691, vol. III, p. 328, dum, quæ ad Archiam referuntur, invito sermone Latino, Plotio vindicare studet: bellum nimirum Luculli Mithridaticum scriptum. Is autem, et qui secuti sunt M. Antonius Gnipho, L. Otacilius, Sex. Clodius, alii, libertini generis erant, neque ars rhetorica nisi apud Græcos liberali cultu hominum munus erat. Nam Seneca l. c. Blandum, haud dubie Augusti ætate, primum equitem Romanum eloquendi arte docenda inclaruisse auctor est. Factum inde, ut, quod honorificum erat discere, esset ignominiosum docere. Et si mores horum hominum, qui dum serviebant dominis ad omne genus flagitii et libidinis coacti adhibebantur, respexeris, non minimam in hac re causam repereris, cur viri prisca sanctitate cerea adolescentum ingenia ab illis impudentiæ magistris cohibenda censuerint. Hoc recte jam Cellarius ostenderat dissertatione De studiis Rom. literariis in urbe et provinciis, frustra renitente Funccio De adolescentia L. L. p. 171. De rhetoribus fusius agere cum hujus propositi non sit, remittamus lectorem ad interpp. Cic. Philipp. II, 17, et Cresollii Theam rhett. I, 2 sqq. [V. Westerm. p. 53 sqq.]

10. Mansit igitur in plurimis, quæ fuerat, disciplina juventutis. Ad senes honoratosque deduci et horum in sinu educari, prudentes de jure respondentes audire (ad quod penitus perdiscendum Cicero a Q. Mucii latere non discessit), in foro, in judiciis cum illis adesse, morem civitatis, instituta populi et leges senatoriamque usu accipere prudentiam, hæc fuit educandæ juventutis ratio. Quis hanc vituperaverit, quæ Romanis, addito militiæ usu et ducum contuberniis, imperium orbis peperit? Quippe numquam inde deficiebat magnorum virorum propago, aliis in aliorum vicem succedentibus. Mos ille juvenum ad spectatos prudentia et honestate viros deducendi ad Ciceronis usque florem permansit, ut alio loco demonstrabitur. Nemo autem hujus ætatis et moris sanctitatem, juvenesque nobiles ex sinu parentum et clarissimorum hominum exemplis ad res domi militiæque gerendas progressos cum Pliniani temporis lascivia comparando eloquentius deploravit quam aurei De oratoribus dialogi auctor c. 28, 33 sqq. Ita factum, ut felix oratorum propago succresceret, non lenociniis fucatorum, sed dignitatem generis vita sua et munere æquantium. Literis enim plurimos non optime fuisse eruditos, jam inde colligitur, quod maximi nominis summæque potentiæ homines M. Lepidus Porcina, C. Papirius Carbo, Ser. Sulpicius Galba ne juris quidem, ut alias artes taceam, periti traduntur (Cic. De orat. I, 10). Neque Crassum magnopere floruisse literis, æqualium constans opinio erat, Antoniumque prorsus ἄμουσον existimatum fuisse ex Cicerone De orat. II, 1, aliisque locis constat, qui in refellendis sententiis ejusmodi frustra multus est.

11. Ingruente post Carthaginem et Græciam eversam morum labe, quæstionibusque perpetuis institutis major inde oratoribus materies succrevit. Notabile in primis quod fervida juventa adolescentibus, ut improbos persequerentur, quasi solenne munus fuerit. Non tamen ex Cicerone Div. in Cæcil. c. 21 coll. Verr. IV, 1, 2, unde sua hausit Plutarchus, hoc ita accipiendum, quasi insolitum fuerit, homines honoribus idoneos vel eorum compotes ad accusandum descendere. Quippe ambitiosi Ciceronis æquales et in primis ipse Cicero, miserationibus oratoriis veritatem et honestatem sæpius postponere solitus, hanc sibi finxerunt regulam, ut quam plurimos defendendo gratiam vulgi et potentium

validiorem inirent. Sed hæc ratio aliquot annis ante P. Rutilio Rufo et M. Scauro non innotuerat. — Sin vero ad vetustiores adscendimus, ordinem merito ducit *M. Cato Censorius*, cujus celebres Servii Galbæ, P. Furii et aliorum accusationes in omnium ore fuerunt. Sequitur *P. Scipio Africanus*, qui consularis et censorius L. Cottam reum fecit. Videantur Cic. Div. in Cæcil. c. 21, Pro Muren. c. 28, Brut. c. 21, Val. Max. VIII, 1, 11. Rursum *P. Lentulus* princeps senatus M. Aquillio repetundarum reo agendo suæ nihil auctoritati noceri persuasum habuit. Neque audiendus Cicero eumque inepte sequens Valerius potentiam accusatoris reis auxilio fuisse narrantes. At vim judicibus factam, versus finem hujus ætatis haud raro reperimus. Quid enim, nisi artes illicitæ, fuerunt, quæ Ser. Galbam Catone accusante eripuerunt. Nec *M. Antonius* (at quantus vir!) ambitiosæ contentionis culpa liberari potest, qui Q. Marcium, Cn. Manlium, M. Aquillium certæ damnationi subtraxerit, Caiumque Norbanum, ut non malum, ita violentum et seditiosum civem callide legem interpretando servaverit (Cic. De orat. II, 27, 47, 48). Plures ut unum defenderent, Ciceronis demum ætate invaluit, qui mos vitiosus ei visus, etsi graviores sint, quam quas commemoravit, causæ. Vide Brut. c. 57.

12. De dicendi forma, quæ hac ætate obtinuit, bene Quintilianus XII, 10, 10, hæc generatim ponit, artis statuariæ et oratoriæ incrementa comparans: *Sed fuere quædam genera dicendi, conditione temporum horridiora, alioqui magnam jam ingenii vim præ se ferentia. Hinc sint Lælii, Africani, Catones etiam Gracchique, quos tu licet Polygnotos vel Callonas appelles. Mediam illam formam* (Phidiæ et æqualium) *teneant L. Crassus, Q. Hortensius.* Hæc ille. Laudem latine dicendi, ut innocentiæ, huic ætati propriam fuisse, haud inepte Cicero judicavit in Bruto c. 74; nec distat ab hac sententia, cujus modo testimonio usi sumus, Fabius XII, 10, 39, Scipionem et Lælium quasi Attica loquendi castitate usos esse pronuntians; quod non artis fuit, sed naturæ, nondum ob variam gentium contagionem sermonis Latini integritate corrupta. Inde recte Cicero Brut. c. 37, latine dicendi virtutem, si absit, magnum vitium, si adsit, exiguam laudem esse significavit. At vim et ingenuam virtutis suæ fiduciam illi viri et senserunt et expresserunt. Ut taceam

Gracchi vehementiam et Crassi maturitatem, quam recte calamistris Mæcenatis et tinnitui Gallionis præferendam censuit auctor Dial. de orator. c. 26, jam Catonis fragmenta majora, in primis quæ apud A. Gellium exstant, arte quidem destituuntur, at plena sunt generosi spiritus. Quare nec ipse A. Gellius (ceterum immodico quodam antiquitatis studio captus) neque Cicero culpandi, cum veteres laudibus egregiis ferunt (v. Brut. c. 16, coll. 33); nec absurde Quintil. Cicerone præeunte judicavit XII, 10, 45, coll. X, 1, 40, multa a Catone Gracchoque oratori petenda. Præterea conferri possunt, quæ a Cicerone in Brut. c. 74 et 86, Quintiliano XII, 10, 10 et 39, Dial. de oratt. c. 18, sqq., de hujus ætatis oratoribus existimantur. Nam de Crassi fragmentis, ut exiguis, ita claritate, vi et colore sic eminentibus, ut Ciceronem majore vehementia unquam dubitem dixisse, alio loco uberius dicemus. Sed simplicibus hominibus, licet casti mores sanctitate etiam verborum exprimerentur, ingenuo sensu quædam ponere libuit, quæ cultiores nepotes repudiarunt. Velut quæ Cic. De orat. III, 41 et ex eo Quintilianus VIII, 6, 15, parum munde dicta refert, *stercus curiæ Glauciam* et *castratam Africani morte rempublicam*, quæ partim mendose, partim ex interpretamento Marcianus Capella Rhett. p. 425, ed. Capperonn., editore nihil notante, sic refert : *Castratam Africam, mortuam rempublicam, et Clodium stercus senatus* — hæc, inquam, nescio quem illius ætatis dixisse, haud improbabili conjectura assequi posse mihi videor. Fortasse alterum Q. Metellus Numidicus, aut M. Scaurus, ut Glauciæ, ita Saturnini et Marii inimici; alterum Q. Scævola alicubi posuerat. Nam parum puris auribus hæc castiora videbuntur, quam quod homo candidissimus L. Piso Frugi in Annalibus dixerat, *adolescentes sui temporis peni esse deditos* (Cic. Ep. ad Att. IX, 22, qui locus totus lectu dignus), expressitque inani vetustatis affectatione Sallustius Catilin. c. 14.

[Inserimus hic M. Catonis æquales seniores et minus illustres. *M. Cornelius Cethegus*, a. 549 Cos., de quo Cicero in Bruto c. 15: « Quem vero exstet, et de quo sit memoriæ proditum, eloquentem fuisse et ita esse habitum, primus est M. Corn. Cethegus, cujus eloquentiæ est auctor, et idoneus quidem, mea sententia, Q. Ennius; præsertim quum et ipse eum audierit, et scribat de

mortuo : ex quo nulla suspicio est amicitiæ causa esse mentitum. Est igitur sic apud illum in nono (ut opinor) Annali :

Additur orator Corneliu' suaviloquenti
Ore Cethegus Marcu', Tuditano collega,
Marci filius. . . . .
. . . . . . Is dictus ollis popularibus olim,
Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant,
Flos delibatus populi Suadæque medulla.

Πειθώ quam vocant Græci, cujus effector est orator, hanc Suadam appellavit Ennius : ejus autem Cethegum medullam fuisse vult, ut, quam deam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitavisse, hujus hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit.» De eodem Catonem inducit Cic. Caton. c. 14, 50, dicentem : « M. vero Cethegum... quanto studio exerceri in dicendo videbamus, etiam senem! »—*C. Terentius Varro*, a. 537 Cos., fere rabula, de quo Liv. XXII, 26 et 38. — *P. Licinius Crassus Dives*, a. 548 Cos., de quo Liv. XXX, 1 : « Facundissimus habebatur, seu causa oranda, seu in senatu, ad populum, suadendi, ac dissuadendi locus esset; juris pontificii peritissimus.» Conf. Wetzel. ad Cic. Cat. c. 9, 27. — De *P. Cornelio Scipione*, Africani filio, Cic. Brut. c. 20, 77 : « Si corpore valuisset, in primis habitus esset disertus : indicant tum oratiunculæ, tum historia quædam græca scripta dulcissime. » Conf. Vellei. Pat. I, 10, 3. — *S. Ælius Pætus*, cognomine *Catus*, a. 555 Cos., 560 Cens., juris civilis illo tempore omnium consultissimus, « sed etiam ad dicendum paratus, » verbis Ciceronis Brut. c. 20, 78.]

13. Omissis igitur, qui præter nominis memoriam famæ nihil reliquerunt, statim ad *M. Porcium Catonem* transeamus. Sed ne hujus quidem vitam enarrabimus, quam apud Plutarchum, Nepotem, Livium, alios, vel totam vel ex parte adumbratam studiosi quærant. [Narravit *Ger. Corn. Brillenburg*, Diatribe lit. de M. P. C. Censorio, Lugd. Bat. 1826, præter citt. a Meyero p. 11.] Sed imaginem ejus tanquam oratoris ponamus. Natus Cato a. 519, mansit ad a. 604, M'. Manilium, L. Marcium Coss. (Plin. H. N. XXIX, 1, Cic. Brut. c. 20), quanquam alii vitam ejus longius producunt, et Livius XXXIX, 40, anno eum octogesimo quinto causas egisse et nonagesimo Servium Galbam in judicium

adduxisse dicit, assentiente Plutarcho in Vita c. 15. Etiam Valerius Maximus, VIII, 7, 1, octogesimo sexto ætatis anno capitis judicium subiisse narrat. Nota laus est Plinii de Catone (H. N. VII, 27), optimum fuisse senatorem, optimum oratorem, optimum imperatorem. Conveniunt Liv l. c., Nepos c. 3, Macrob. in Somn. Scipionis II, 17, Aurelius Victor De viris illustr. 47. Clarissimum ejus in patronis nomen, quippe cui (ut Duronii apud Ciceronem De orat. II, 68, verbis utar) inter omnes frequentissima occasio oblata fuerit, suum negotium faciendi. Nam undequinquagies accusatus et semper absolutus est. Vide Plinium l. c. Varias autem hujus viri laudes nemo magnificentius ornavit T. Livio XXXIX, 40. Romanorum nescio an soli Catoni contigerit, ut, cum ab alienis et cognoscendis et compilandis remotissimus esset, et senex tantum Græcarum literarum notitia imbutus, nullum ferme genus artis non tetigerit, nullum, quod tetigisset, non ornaverit. Senex Carneadem disserentem audivit, anno fere Urbis 590: conf. Cic. De republ. III apud Lactant. Institut. divin. V, 14. Ita Servio quoque Galbæ, M. Antonio, aliis præstitit, qui tempore posteriores, multo ad literas aditus faciliores habuerunt, quod rerum patriarum egregiam scientiam, juris peritiam, remque militarem et arte et usu cognitam indefesso studio Græcis literis adjunxit. Quippe quantus fuerit agricola, libri testantur, ut scriptorum testimonia adducere non sit opus; jureconsultum Cicero De orat. II, 33, fuisse affirmat; de arte militari scripsisse, et peritissime quidem, Vegetius I, 8, sese rerum militarium, quales tunc erant, notitiam ab illo petisse addens, et Plinius præterea præfatione Historiæ naturalis, A. Gellius VII, 4, Philargyrius ad Virg. Georg. II, 412, testati sunt. De liberis educandis libellum Nonius s. *assa voce*, Festus locis multis memorat [Res dubia; Nonius certe *Varronis* librum logistoricum citat, inscriptum *Cato vel de liberis educandis*, quem suspicor etiam dicere voluisse Macrobium Saturn. III, 6. Festus disertis verbis nihil ejusmodi commemorat]; Epistolæ passim a Prisciano [et Festo] allatæ; apophthegmata non modo Plutarchus in Vita laudavit, sed Cicero libro secundo De oratore varia inde joca deprompsisse creditur. Epistolicas quæstiones laudat A. Gell. VII, 10. Carmen de moribus, sive, quæ videntur eadem, Præcepta ad filium, A. Gell. XI, 2, et Nonius scripsisse docent;

denique De oratore ad filium omnium Romanorum primus exposuit, nec fortasse M. Antonio inferius. Vide Quintil. III, 1, 19. Quin etiam definitionem, quam de Oratore posuit, non modo Cicerone præeunte Quintilianus passim accipit et suo Herenniique Senecionis assensu mire probat Plinius Epist. IV, 7, sed ex his Curius Fortunatianus in Arte rhet. schol. I, p. 53 ed. Capper. et in ultima barbarie Isidorus Hispalensis Origg. II, 3, retinuerunt. De Originibus, in quibus damnum literæ fecere nulli secundum, disserere ab re abest. V. Voss. De historicis Lat. I, 5, p. 22. [Meliora *Jo. Hugo van Bolhuis*, in Diatribe lit. in M. P. C. quæ supersunt scripta et fragmenta, Traj. ad Rh. 1826, p. 1 — 80 de Origg.; p. 188 sqq. de reliquis scriptis hic memoratis. Alios plurimos indicat Westerm. p. 39 et 52 sqq.]

14. Hunc virum, ea severitate, tot laudibus florentem, rectoque sensu et mente paulisper rigidiore præditum multas æqualium offensas incurrisse etiam sine disertis auctorum testimoniis verisimile esset. Sed traditur, eum non mediocriter malos cives hominesque improbos insectatum, ut Q. Minucium Thermum duplici, ut videtur, accusatione petierit. Neque L. Flaminium senatu motum notæ instar gravi insectatus esset oratione, nisi rigidus morum censor potentium gratiam negligeret. Vide Liv. XXXIX, 42 sqq., Cic. Cat. maj. c. 20... [Et contra alios multos, in censura præsertim, acerbas orationes habuit. V. in fragmentis p. 8-92.]

Præcipuam tamen Hispanis operam præstitit, qui sæpe avare et crudeliter habiti numquam tutam cum Romanis pacem esse sinebant... [V. fr. n. 37 et 48.] Et diserto Ciceronis testimonio, Brut. c. 23, confirmatum videmus, patrocinium Hispaniæ a Catone impigre susceptum, quamvis obstante multorum nobilium simultate.

Æqui bonique vir tam acer haud segnior exstitit patronus. Testimonio est oratio *de Rhodiensibus* libro Originum quinto inserta; et oratio *de Achæis*. Eodem studio causas egisse censendus est... [Conf. fr. n. 52, 65.] Ejus rei gratia aliis etiam orationes in judicio habendas scripsit, quod comparationis cum Lysia caput Cic. Brut. c. 17 non attigit. Harum una *pro Furio contra Gellium* fuit (A. Gell. XIV, 2), quam Furio scriptam Festus ait s. *Vindiciæ*. [V. fr. p. 81.] E republica fuerunt ora-

tiones... (n. 1, 25, 26, 35, 87). Moris et juris publici tenacem ostendunt aliæ orationes... (n. 42, 45, 32, 27, 81, etc.) Ad orationem *de ambitu*, vel ad alteram, *Ne quis iterum Cos. fiat*, ea referenda sunt, quæ habet Cic. De republ. II, 21, ut nunc hoc opus digestum est. [Quæ tamen ex *Originibus* potius ducta esse, bene videtur demonstrasse Bolhuis. in libro supra cit., p. 19.]

15. De genere ejus et arte dicendi non constans est veterum judicium. Cicero, qui in Bruto c. 17, magnificis eum laudibus tulerat, c. 74 Atticum contra disputantem induxit, ut, quid senserit, non sit apertum. Præterea huc faciunt loci De orat. I, 37; III, 33; Cat. maj. c. 11, Liv. XXXIX, 40, Quintilian. XII, 11, 13 et 10, 10. Hi consentiunt in eo, ut magnum, temporibus illis, sed robigine vetustatis obsitum dicant. Addendus Quintilianus II, 5, 21, ejus ut veterum imitatores omnium, si nihil aliud habeant, quod æmulentur, jejunos et horridos fore dicens. Sallustius brevitatem Catoni tribuit, sed etiam disertissimum Romanorum vocare non dubitavit, assentiente Acrone ad Hor. Serm. I, 10. Vide viros doctos ad fragmenta Sallust. p. 2 ed. Haverkampi, et Marium Victorin. Expos. in Cic. Rhett. I, p. 149 ed. Capper. Si singula τεχνικά, quæ pauca exstant, recensere placet, assiduam in Catone partitionem, quæ in Cicerone rara sit et tecta, exstare Sulpicius Victor Institutt. rhett. p. 266 ed. Capper. animadvertit. Idem Hortensio vitio datum. Deinde Ascon. ad Cic. Divin. in Cæcil. c. 13, morem antiquum Catonis et Gracchi, a diis præfationem ducendi, ut minus cultæ ætatis notavit. Alludit Symmachus Epist. III. 44, sic scribens : *Jovem deosque ceteros Catonis lege præfabimur* (*si nobis scribenda sit oratio forensis*), *ne nobis vitio detur vel negligentia antiquitatis vel inscientia.* Conf. Serv. ad Virg. Æn. XI, 301. Omnia comparantes sic de Catonis laudibus oratoriis judicabimus : Ingenio maximus, studio indefesso, multis literis ætate sua superior fuit. Eloquendi claritate, probabilitate, vehementia nemini secundus, facetiarum plenus, sententiis refertissimus, horrida quædam verba habet, et antiquitatis quemdam colorem, temporibus illis congruentem : artis defectum tum ingenio tam præclaro libenter condonamus, tum non putamus officere ceteris ejus laudibus. Nam pedes cum sono compositi et verborum comprehensiones numerose cadentes aures nostras minus

tangunt. De vehementia Catonis nobiscum sentit A. Gellius XIII, 24, ejus commiserationes cum Gracchanis comparaturus. Præterea cum in omnibus illis laudibus egregie nobiscum conspiret, non possum quin testem producam Frontonem, qui cum in Principiis historiæ 9, p. 256 ed. Berol. (p. 314 ed. Rom.) oppidatim statuis ornandum dixisset, qui primam Latini nominis subolem et Italicas origines illustrarit, in Laudibus fumi et pulveris, p. 236 (p. 326), dulce et pudicum et Tusculanum et Ionicum ejus dicendi genus vocat, cum Herodoto Catonem componens. Inde non nimis urgendas dixerim (ex emendatione Buttmanni) *ligneas nuces*, De oratt. 4, p. 123 [receptas ab A. Maio p. 239 ed. Rom.]. Conf. Epp. ad Antonin. II, 11, p. 67 sqq. [Add. fr. p. 14 sqq.]

16. Sequuntur, quamvis Catone sene adolescentes, *P. Scipio* et *C. Lælius*, tamen cum eo conjungendi et sui temporis principes. Nam quos per saturam componit Cicero Brut. c. 20, iterum nominare nihil refert. *T. Flaminium* non sine eloquendi fallaciis Græciæ vincula servilia præparasse credimus : amamus *C. Sulpicii Galli* (Cos. a. 587) et *M'. Manilii* (Cos. a. 604) studia, alterius in rebus astronomicis, alterius in jure civili posita: *Tib. Gracchum* bis Consulem, etsi Ciceroni l. c. placet, eloquentem fuisse aliorum testium [? Westerm. p. 36] causa non concedimus, quanquam optimum virum veneramur [V. fr. p. 3-5]; sed horum nemo memoriam eloquentiæ fama signavit. [Meminit Cicero l. c. *P. Scipionis Nasicæ*, cui cognomen *Corculum*, Coss. a. 591 et 598, Cens. 594; *L. Lentuli Lupi*, Cos. a. 597; *Q. Fulvii Nobilioris*, Cos. a. 600; *L. Æmilii Paulli Macedonici*, de quo fr. p. 92 sqq., et aliorum quorumdam minore etiam fama.]

P. Cornelius Scipio Africanus minor Æmilianus et *C. Lælius Sapiens, C. F. C. N.*, vetustam avorum amicitiam discordi alterius cum L. Scipione Asiatico consulatu discussam ita repetisse videntur, ut æquales et honoribus juncti, sapiendi dicendique gloriam sese invicem tollendo æquarent. Lælium quæstorem provincialem ponit Pighius Annal. p. 424, anno 598, Scipionem a. 602. Ædilitatem curulem hic erat petiturus, cum plebeia fungebatur Lælius a. 606, sed eo ipso anno lege Villia solutus et consul creatus est. Est igitur probabile, natalem Scipionis annum esse 572 vel 573 [Westermanno a. 570, p. 72, not. 2],

Lælii autem 567 vel 568, quoniam ætate præcedens a Scipione observatus dicitur (Cic. De republ. I, 12), ut Lælius primum honorem trigesimo ferme anno gesserit. Præturæ inde et consulatus consortium cum Scipione habere non potuit. Utrum filius an nepos Lælii senioris noster fuerit, non satis constat, prætérquam quod unum Ciceronis testimonium Philipp. XI, 7, filium facit. Dubitat Glandorp. Onomast. p. 515. Per ætatem sane utriusque hoc constituamus licet. Nam consul Lælius major fuit a. 565. Assentitur Pigh. vol. II, p. 424. — Minus autem solenne, ex tribunatu, quem Lælius anno 603 (602) videtur gessisse, ædilitatem plebis peti; nam in curuli hoc sane sæpius factum reperitur. Est vero in tribunatu *Sapiens* appellatus, cujus honoris causam ceteroqui notam Plutarchus aperit, Vita Ti. Gracchi c. 8. Sophum, sive σοφὸν potius, quoniam tam multa Græca immiscuit, dixit inde poeta Lucilius; unde per ὑπαλλαγὴν *doctum* Quintilianus VIII, 6, 38, non intelligente Spaldingio. In prætura a. 607 gesta legem Liciniam de sacerdotiis per populum conferendis dissuasit, quæ est celebris illa *de collegiis* oratio. Ex hoc magistratu Hispaniam sortitus, quanquam in minore materia, Scipionem imitatus est, Viriathum frangendo, successoribus ut bellum facile confectu relinqueret. Sic Cicero Offic. II, 11. In consulatu petendo a Q. Pompeio deceptus repulsam tulit. Nam recte Pighius p. 479 Plutarchi narrationem refutat, sua sponte Pompeio cessisse Lælium. Nam Plutarchus ejus rei solus auctor, Præceptt. politt. sect. 11, p. 806, A. Consulatum igitur sequenti anno gessit (613, cum Q. Servilio Cæpione). At iterum consul nec opinato Scipio a. 619, postquam censuram cum L. Mummio parum concordem a 611 gesserat. Mortis nefariæ hujus viri suspicionem, ut et causam multi tetigerunt; neque abest a similitudine veri, cum de ea ne quæstionem quidem habitam Velleius II, 4, Cic. Pro Milone c. 7, Plin. H. N. X, 33, affirment. [V. dissertationem de hac re in Beieri editione maj. Cic. Lælii (Lips. 1828), p. 174-201.] Nunquam celebriore laudis præconio ornatus fuit quisquam quam hic ore Q. Metelli Macedonici, cum quo per vitam simultates exercuerat. Vide Cic. Offic. I, 25, Vellei. l. l., Cic. Q. Fr. II, 3, De nat. deor. III, 32, etiam De republ. I, 19. In re agraria popularis Metellus fuisse videtur; et defendit etiam L. Cottam,

Africano accusante. V. Cic. Brut. c. 21. Lælii gens (quoniam de Cornelia dici non est opus) non solum ad Augustum usque duravit (quippe D. Lælius Cos. a. 747), sed ad Neronis ætatem. Vide Qintilian. IX, 4, 31. [De Lælio Westerm. commendat Wetzelii Excursum ad Cic. Cat. maj. § 10. Fragmenta utriusque p. 96 sqq.; 101 sqq.]

17. De vita horum virorum et moribus nulla est dissensio. Lenis et per totam vitam æquabilis Lælius (Cic. Offic. I, 30, 108; Top. c. 20, Hor. Serm. II, 1, 72), quare moderate mortem amici tulisse credendus est, quod persuadere cupit Cicero De amicitia libello. Auctoritate cum Scipione contendere visus est, cum nusquam fere alterius sine altero mentionem reperias. Luculentus in primis locus est Ciceronis De republica I, 12: *Fuit enim hoc in amicitia quasi quoddam jus inter illos, ut militiæ propter eximiam belli gloriam Africanum ut deum coleret Lælius; domi vicissim Lælium quod ætate antecedebat, observaret in parentis loco Scipio.* Vide Cic. De invent. I, 4, De orat. I, 48, Plin. H. N. VII, 28, Vellei. II, 9, et I, 13. Tamen fervidior paulo Scipio, agrariam legem, ut a plebeia ambitione alienus ferre haud facile poterat, si tulisset, non, ut Lælius, retro cessurus fuisse videtur. Cultu quidem ingenii et morum jucunditate adeo pares fuerunt, ut neutri primas jure vindicari potuisse Cicero scribat But. c. 21; Lælium tamen sapientiæ opinione majorem fuisse, nulla de causa, nisi quod non omni laude unum excellere voluerint homines. Græcorum consuetudinem eruditissimorum utrique tribui videmus ap. Cic. De orat. II, 37, 154, Tusc. I, 3, Pro Arch. c. 7, Vellei. l. c. Ita studiose Diogenem audierunt et Panætium Stoicos (Cic. De fin. II, 8), ut Rhodio magistro usus Scipio dicitur Sulpiciæ poetriæ v. 48; conf. Burmann. ad h. l. et Symmach. Epist. I, 22. Hunc Panætium in tertia legatione, quæ Asiana fuit, Scipionis comitem fuisse, Plutarchus refert Apophthegm. regg. et impp. p. 200, F, et seq. Xenophontis quod amator dicatur Scipio, apud Cic. Ad Q. Fr. 1, 8, rectius ad omnes refertur, qui bene senserunt unquam et scripserunt. Famam de Terentio ab utroque adjuto a Valgio et Memmio profectam, satis vulgatam a Suetonio Vit. Terent. § 2, non tangimus, quia in hujus generis rebus veritatem vel veritatis saltem speciem invenire non possu-

mus. Quin etiam invidiosius ipsum Scipionem Lælius adjuvisse ferebatur ore hominum, Cic. Philipp. II, 14, et Plutarch. An seni sit ger. respubl. § 27, p. 797, D; Præceptt. pol. § 11, p. 806, A; nec tamen id amicitiæ eorum dicitur offecisse. Nec minimum, ut illis temporibus, Lælii famam auguralis disciplinæ peritia adjuvit. Nam κατ' ἐξοχὴν *bonus augur* dicitur Philipp. II, 32, et varie ejus de collegiis oratio celebrata laudibus est. De eloquentia horum virorum quamvis multi testes exstent, tamen neque accuratius de laudibus eorum, neque quomodo civibus suis et æqualibus præstiterint, exposuerunt. Exiguæ utriusque, quæ exstant, reliquiæ ad plenam et justam de utroque existimationem non sufficiunt. Gravitatem Scipioni, lenitatem Lælio Cicero tribuit De orat. III, 7, 28, et consentit Appuleius Apolog. p. 551 ed. Elmenh. (p. 99 ed. Bip.). A Quintiliano XII, 10, 10, cui congruit auctor Dial. de oratoribus c. 25, inter horridos vetustate, sed magnam ingenii vim præ se ferentes recensentur; præstitisse inter æquales omnium, ut Ciceronis De orat. I, 13, 58, Velleii I, 17, consensus declarat. Latinæ dictionis in utroque laudem alio loco persecuti sumus.

Actionem utriusque paulo intentiorem, sed non sine intermissione virium vehementem, ut Galbæ, Cicero prodidit De orat. I, 59. At idem in Bruto l. c. dicendi in Lælio illustriorem gloriam exstitisse pronunciat, quanquam horridiores ejus, quæ essent adhuc, orationes magis antiquitatem redolere videbantur quam Scipionis.

18. Neque tamen illarum frequentem mentionem reperimus; res quia obsoletiores fuerunt, vel quod clarioris viri fama amatores descriptoresque magis in hoc tenuit. Permansit tamen memoria satis diu; quippe apud Festum reperitur, sed ex Verrio, ut videtur, Macrobio I, 6, p. 222 ed. Bip. fragmentum hæsit de augurali disciplina, deprômptum sine dubio ex oratione *de collegiis*...

Africani orationum longe frequentior memoria. [V. fr. p. 101 sqq]... Apud Frontonem cum aliqua Scipionis mentio sit (v. Epp. ad M. Cæs. I, 6, p. 15 ed. Rom.), quamvis ex eo diserte afferatur nihil, tamen non exolevisse ea ætate ejus memoriam intelligas. [Addendus locus alter, ibid. II, 13, p. 58, ubi Cæsar ipse : « Feci tamen mihi, inquit, per hos dies exerpta ex libris

sexaginta in quinque tomis : sed cum leges *sexaginta,* inibi sunt et Novianæ Atellaniolæ, et *Scipionis oratiunculæ,* ne tu numerum nimis expavescas. »]

19. Africano et Lælio ætate fere conjunctus exstitit *Ser. Sulpicius Ser. F. Galba,* vetustissimæ nobilitatis gente natus, ut quæ jam decimo post reges exactos anno consulem reipublicæ dederit Ser. Sulpicium Camerinum. Hunc Galbam, Lælio paucis annis majorem, honores auspicatum censet Pighius a. 595; ædilem posuit a 598, non alia causa, nisi ut suo anno videretur consulatum adeptus; sed ea his temporibus probabilis videri potest. Prætor a. 602 fuit, quo tribunus plebis Lælius. Cum deinde proprætor Lusitaniæ a barbaris turpiter fusus, sed tamen generose provocatus esset ad pacem, per simulationem fidei datæ armatum exercitum multitudini inermi circumdedit, novem millia (alii triginta millia dicunt) trucidavit, reliquos captos vendidit. Loci auctorum satis noti. Qua fœditate motus L. Scribonius Libo trib. pl. rogationem promulgavit, uti in libertatem restituerentur, qui in Galliam venundati essent; quam in accusationem rei capitalis vertit M. Cato. Respondit pro Galba in senatu Q. Fulvius Nobilior; quomodo in judicio ambustus evaserit, ex Liv. Epit. XLIX, et Suet. Galb. c. 3 (ubi conf. interpp.) liquet. Cicero tamen Ep. ad Att. XII, 5, dubius est, num Libonis rogatio a. 604, L. Marcio, M'. Manilio Coss., an T. Quinctio et M. Acilio Coss. (a. 603) perlata sit: ut etiam Galbæ annus prætorius non satis certus sit. Frequentibus tamen suffragiis aliquot annis post consulatum adeptus est (a. 609). Quando decesserit certo præfinire non possumus; non tamen vidit M. Aquillium, C. Tuditanum Coss., quibus a Cicerone colloquium de Republica habitum fingitur (v. III, 30). Is est annus 624.

Hunc, ut alios, quos alibi memoravimus, a literis prorsus rudem Cicero prodidit. [Immo juris tantum civilis ignaros, ut apparet ex l. De orat. I, 10, 40. Add. ib. 56, 239 sq. *Westerm.* p. 76.] Dissedit igitur a M. Catone sene et P. Scipione Caioque Lælio, quorum magnitudo literis exhilarata est. Tamen vel Græcis magistris aliquantum studii dederat, quod non improbabile videatur, quoniam ex Lactantio Inst. V, 14, una cum

Catone Galbam Carneadis auditorem exstitisse discimus, et sic Cicero De republ. III, prodiderat, ubi nunc est c. 6.; vel sui ingenii felicitate eo elatus est, ut primus *artem* oratoriam informaret; ut egrederetur a proposito, ut rem augendo, minuendove probare, ut delectare, movere, abripere judices institueret. Sic Cic. Brut. c. 21,82; c. 23, 90, De orat. I, 53; II, 2, Quintil. II, 15, 8. Asperitatem in dicendo eidem tribuens Tullius De orat. III, 7, 28, et clamore ac lateribus pugnasse dicens I, 60, 255, sibi convenit cum in Bruto c. 23, sqq., § 91-93, miro ardore, dum diceret, plenum, igni illo scribendi mora refrigerato sui prorsus dissimilem visum affirmavit. Inde exiles et antiquiores etiam Lælianis orationes ejus, quem sui temporis principem esse constabat. Quippe cum sibi omnia, nihil arti deberet, felici rerum agendarum irritamento extra se positus, deinde refrigeratus, qualis esset, apparuit. (Lege Brut. c. 22.) Reliqui auctorum loci, ut De orat. I, 13, Brut. c. 86, 295, Rhett. ad Herenn. IV, 5, parum faciunt ad laudes ejus oratorias altius investigandas. Aper in Dial. de oratt. c. 18, ut antiquitate ultima horridum prorsus damnat; contra mitius Maternus ibid. c. 25, *deesse aliquid*, quæ est λιτότης, *ejus laudibus* concedit. Exilitas earum orationum in causa fuit, cur totæ, ne argumentis quidem et nominibus servatis, intercciderent. [V. fr. p. 106.]

20. Galbæ addamus *M. Æmilium M. F. Lepidum*, qui cognomine est *Porcina* dictus, fortasse ob oris habitum. Nam alias hoc agnomen in Æmilia gente insolens est. Eum, ut legitimo annorum decursu ad honores pervenerit quæstorem Pighius habet a. 604; ædilem cum P. Nasica Serapione a. 608; prætorem a. 611, et post plures repulsas Cos. cum C. Hostilio Mancino a. 616. Ex hoc magistratu provinciam Hispaniam, Numantino Mancini fœdere parum tutam, prorogato in annum imperio rexit, quamvis ipse quoque ab hostibus cladem accepisset (Liv. Epit. LVI). Inde multam ei dictam Appianus Hispan. c. 83 refert. De aliis rebus et morte M. Æmilii non satis constat. Hic homo majorem quam pro Romano ejus ætatis cultum et luxuriam setari cœpit; ut elegans adeo et Græcis literis et habitu tinctum ejus vitæ genus suspicemur. Luxuriæ post in nimium auctæ exemplum primus villa dedit altius et magnificentius exstructa. Qua

de re Pighius Annal. vol. II, p. 497, in ipso consulatu a L. Cassio trib. pl. correptum eique multam irrogatam esse scribit. Sed errare videtur. Apud Valer. Max. VIII, 1, 7, exstat, multam a populo irrogatam, L. Cassio accusante. Hoc in consulatu factum existimans Pighius rem inauditi exempli vetere Camilli casu munit; oblitus autem est, majestatis læsæ causam longe aliam esse, ac luxus privati, cujus notatio ad tribunos non pertinuit. Sed cum Velleius II, 10, ob domum sex millies HS. conductam adesse jussum a L. Cassio Æmilium vel, ut Valerius, ob villam elegantius structam, scripserit, hoc a censore Cassio factum, et notatum fortasse Æmilium vero videtur simillimum. Unde tribunus nescio quis si occasionem arripuit, Æmilium ad populum criminandi, hominum nominibus errore confusis factum est, ut celeberrimus severitate L. Cassius pro accusatore acciperetur. Rectius Pighio de hoc loco existimat Glandorp. Onom. p. 27. Laus Æmilii oratoria, ut indubia, ita nullis ferme monumentis, nec fere, præterquam Ciceronis, munita testimonio est. Hic sane honorifici sui judicii testes exstare dicit orationes (Brut. c. 25), sed idem De orat. I, 10, 40, parum a literis instructum fuisse pronuntiat. Magna tamen sunt, quæ in Bruti loco prædicantur: lenitatem in eo Græcorum apparuisse, verborum comprehensionem et stilum quasi artificem; quæ ingenium non satis quidem cultum, sed haud spernendum indicant. Rhetor, qui Ad Herennium scripsit, l. IV, 5, hunc cum Scipione, Galba, Crasso, aliis, in exemplis eloquentiæ ponit... [V. fr. p. 107 sq.]

21. Verbo memoratos absolvamus *L.* et *Sp. Mummium* [in fr. p. 108], *Sp. Albinum* [ibid.], *C. Tuditanum*, alios, quos Cicero in Bruto capp. 25, 26, collegit; cum non sit nostrum, colligere omnes, qui aliquanto stantes dicere ausi sunt, ut lepide Atticus in Brut. c. 77, sed disertorum proventus exponere. Sequitur igitur *C. Papirius C. F. Carbo*, patre prætorio, si vera est Pighii conjectura, eumdem esse, qui a. 585 prætor apud Liv. XLIV, 17, dicitur. Hunc tamen annorum ratio pro avo potius accipi jubet. Multa post hunc Carbonum memoria, quæ ante tenuis aut nulla. Locus principalis Ciceronis est Epist. ad divv. IX, 21. Qui tamen cum subobscurus sit, varie turbarunt Gland. in Onom., tum in gente Papiria, tum in stemmate, quod exstat

p. 961; et Ernestus in Clav. Cic., nihil ferme corrigente Schützio. Sunt autem a

C. Papirio Carbone

C. Carbo C. F. Coss. 633	Cn. Carbo C. F. Coss. 640.	M. Carbo C. F.
	ab Antonio accusatus.	

C. Carbo C. F. C. N. trib. pl. 663, a Damasippo F. cæsus 671, solus e republica. Cic. l. c.	Cn. Carbo Cn. ter Cos.	C. Carbo Cn. F. a militibus cæsus. Val. Max. IX, 7, 3.	Frater scurra. Cic. l. c.

Haud sane patet, unde Glandorp. *P.* quemdam Carbonem a Flacco accusatum fugisse dicat, qui apud Ciceronem l. c. *M.* appellatur. Neque opus cum Pighio Ann. vol. III, p. 228, C. Carbonem C. F. P. N. tribunum anni 664 constituere. Plebeios autem Papirios Carbones a patriciis, Cursoribus illis et Mugillanis et Crassis dissedisse non est mirum. V. quæ dedimus ad Brutum c. 14. [«Duos de plebe consules creari quamvis legibus licebat, religione tamen prohibitum est (conf. Liv. XXIII, 31) usque ad a. 581, C. Popillium Lænatem, P. Ælium Ligurem Coss. V. Niebuhr. Hist. Rom. vol. III, p. 80.»] Conf. Wetzel. ad Brut. c. 62.

Quæstor C. Carbo a. 617, tribunus plebis a. 622, legem Tabellariam tertiam pertulit, ut leges tabellis juberentur et antiquarentur; seditiosus Ciceroni dictus Legg. III, 16, quod Gracchi memoria cum multorum insectatione deplorata (De orat. II, 40) tumultuandi cupidos incitare videretur. Nota in hac re Africani, quem pro concione de morte Gracchi interrogaverat, magnitudo animi, Velleio II, 41, Cic. Pro Milon. c. 7, Valerio Max. VI, 3, 3, relata. Legem Carbonis de tribunis reficiendis, quamvis adnitente C. Graccho admodum adolescente, dissuadentibus Africano et Lælio rejectam supra exposuimus, haud dubia mala de Carbonis fide notaque nequitia vulgi existimatione, de qua vide Plut. Præc. Politt. § 4, p. 801, B. Relatum in senatu de his conatibus et severas sententias dictas Cicero l. c. enarrat. Post præturam a. 628 gestam, consulatum a. 633 adeptus multa, credo, optimatium sollicitudine fuit; quippe anno post C. Gracchum occisum. In hoc magistratu ambitiose potentium partes amplexus est, ut invidiam de triumviratu agris dividundis et su-

specta Africani morte leniret. Nam suo more ad bonos rediisse Carbonem Cicero dixit. L. sane Opimium a P. Decio trib. pl., quod indemnatos occidisset, majestatis postulatum defendit, et ut absolveretur evicit. Sed ut hic alia in causa meritas pœnas dedit, ita Carbonem ne defectio quidem a populari ratione servare potuit. Quippe vixdum magistratu abierat, cum a L. Crasso adolescente accusatus est, et certam damnationem videns cantharidas sumpsit. Non improbabile est, Gracchanos judices sic punivisse, quod suam causam nuper deseruisset. V. Cic. Legg. III, 19, Epp. ad divv. IX, 21, Brut. c. 27. Dissidet Valerius Maximus III, 7, 6, in exsilium abiisse narrans. Sed manifesti erroris aliorum testium consensu coarguitur, qui mortem certam ostendentes, de mortis genere ambigunt, quod necopinato et celeriter exstinctus est.

22. In hoc viro rursus dolorem confitemur, quod vix ullum aut testimonium aut documentum aliud de laudibus ejus oratoriis exstet. [V. fr. p. 110 sqq.] Ingenio autem magnum fuisse ex Bruto Ciceroniano c. 27 licet colligere. Nam cum Porcinæ auditor fuisset (ib. c. 25), multa exercitatione confirmatus, tum vehementia actionis et canora et profluente verborum volubilitate (De orat. I, 7), tum commovendis sedandisque animi motibus admirabilis evasit.

Sed literis et patrio etiam more et jure parum imbutum fuisse certum est (Cic. De orat. I, 10, 40). Quod de C. Carbone etiam in tabernaculo quotidiana scriptione occupato Quintilianus affert X, 7, 27, nostro injuria tribui recte animadvertit Spaldingius; nam hunc bellicis rebus vacasse nusquam legitur. [Nihilominus probabiliter de nostro intelligi locum Quintiliani exponit Westerm. p. 88 sq.] Sed Caium pro Cnæo Carbone ter Cos. aberrante memoria Quintilianum dixisse non magis probabile est; nam hunc rursus eloquentiæ studuisse non est traditum. Relinquitur igitur ut C. quidem Carbonem cogitaverit Quintilianus, sed rerum castrensium commemorationem Cn. Carbonis imagine obversante fortuito admiscuerit. Auctor Dialogi De oratt. c. 18, nil nisi nomen ejus inter veteres oratores recenset.

23. At nemo hac ætate uberiorem sibi gloriam quæsivit quam duo *Gracchi*, in quibus tamen illud rursus evenit, ut major al-

terius gloria alteri prorsus officeret. Gens Sempronia, cujus stemma habent Glandorp., et Sigon. ad Liv. IV, 44, tum patricia, cognomento Atratinorum fuit, cujus post a. 350 rara mentio est; tum plebeia longe clarissima, Longorum, Tuditanorum, Gracchorum imaginibus illustris. Gracchorum cognomen ab Æquis desumptum videri potest, apud quos (v. Liv. III, 25) fortasse prænominis instar fuit, ut multa veterum prænomina, Agrippæ, Postumi, Vopisci, Tulli, Atti s. Attæ in cognomina abierunt. Pater Ti. Sempronius Ti. F. Gracchus non magis duobus consulatibus et censura rebusque in Hispania pari fortitudine et sanctitate gestis insignis quam nobili cum Scipionibus simultate deposita. Eloquens non fuit. Nam major Ciceronis in libro De orat. I, 9, coll. c. 48, auctoritas quam in Bruto c. 21, quo loco omnes nobiles eloquentes fuisse ostendere cupit. Contra filii fecerunt; non quidem prudentiam civilem cum vana popularium hominum gloria permutantes, sed alter tamen minus prudenter, alter nimium iracunde in procellas ruentis reipublicæ præcipites dati interiere. Post eos rara Gracchorum mentio; et videtur consensu nobilitatis infausti nominis gens a petendis honoribus deterrita. *Tib. Gracchus* natus videtur circa a. 587, aut 589, cum quæstor in Hispania fuerit a. 616. [Fortasse tamen jam 585, si quidem suo anno quæstor erat. *West.*] Tribunatum, quem et ira Hostiliani fœderis sublati incensus et plebis infortunium miseratus a. 620 gessit, non enarrabimus, neque copiosiores neque eloquentiores futuri Plutarcho, Appiano, Velleio, aliis. Hic cum fratre solus ex duodecim partubus reliquus (Seneca Consol. ad Marc. c. 16; Plutarch. Vita c. 1), in gremio matris educatus ingenium longe præstantissimum illius consuetudine et lectissimis magistris eruditum habuit. Utriusque rei ex omni antiquitate testes sunt. Videantur Cic. Brut. c. 27, 103, et c. 58, 211, De harusp. resp. c. 19, Quintil. I, 1, 6, Plin. Epp. I, 20, Plutarchus in Vita c. 8. Hi de ingenio, de matris elegantia, de Diophane Mitylenæo magistro consentiunt. Egregium de Corneliæ animo et culto dicendi genere documentum Epistola est ad Caium filium scripta, ut eum a tribunatu petendo deterreret; exstat inter Cornelii Nepotis fragmenta. De qua non recte quidam dubitare videntur. [Inter hos maxime memorabilis *Langius*, in Actis Seminarii Lips. vol. II, p. 177 sqq. *Westerm.*

p. 71. Adde fr. p. 111.] At Blossium Campanum, Gracchi amicum, philosophum injuria facit Plutarchus l. c. De eloquentia Tiberii non inepte idem existimat, cum adscribit ei λόγον ἡδὺν καὶ ἐπαγωγὸν οἴκτου, vocatque τῇ λέξει καθαρὸν καὶ διαπεπονημένον ἀκριβῶς: nec ab sonasunt, licet minus accurata, Ciceronis in Bruto verba c. 27, 104. Duros si Gracchorum fore imitatores censet Quintilianus II, 5, 21, recte hoc dicit, si solos imitentur. Voluntatem Tiberii cum laudavit Cic. Rullianæ II, c. 29, quamvis Plutarcho consentiat l. c. (cujus in hac re, utpote Caji fratris testimonio nisi, fides gravissima est), populo aliquid concessisse credendus erit. Nam innumeros illos locos memorare nihil attinet, quibus homo novus et ea ipsa de causa acerrimus nobilitatis defensor in utriusque Gracchi nomen contumeliosissime invectus est. Famæ autem Tiberii frater gloria major ita obstitit, ut (quod in tanto homine mirere) reliquiæ sint orationum nullæ, et unius tantummodo nomen exstet. Nam quæ Plutarchus habet, argumentis vero haud absimilia, verbis nihil a Graccho desumptum habent. [V. fr. 111 sqq.] Αὐτόγραφα orationum usque ad Plinii majoris tempora fuerunt; sed rara et inter paucorum amatorum manus. Nam ipse maximus librorum conquisitor hæc non habuit, sed vidit apud poetam Pomponium Secundum: v. Hist. Nat. XIII, 12. Infra tamen A. Gellii tempora inopia descriptorum interisse putandæ sunt; nam apud hunc constantissimum antiquitatis assectatorem multa Caji, nulla Tiberii Gracchi orationum mentio est.

De Graccho tragœdiarum scriptore v. interpp. ad Ovid. Pont. IV, 16, 31. [Ubi Heinsius fallitur de nostro Graccho.]

24. Latius *C. Gracchi* memoria patet. Is major ingenio, facundia vehementior et ira ad ulciscendas fratris injurias accensus, cum tirocinium dicendi in defendendo Vettio quodam, sibi amico, posuisset (Plut. in Vita c. 1), ante quæsturam legem Carbonis de tribunis reficiendis suasit, et quæstor a. 627 legem T. Junii Penni, quem deinde adversarium habuit (Cic. Brut. c. 28), de peregrinis urbe pellendis impugnavit. Hunc Pennum cum a Graccho agitatum scribat Gernhardus ad Offic. III, 11, 47, erravit, si quidem ad locum Bruti modo allatum respexit. Perlatam tamen hanc legem Pighius Ann. vol. III, p. 35, sed non ex locis Ciceronianis, persuadet. Verum metuentes in-

genti spiritu juvenem optimates cum per plures annos in Sardiniam succedi illi non paterentur, Gracchus sponte relicta provincia Romam rediit. Motus in Urbe dicitur factus, auctusque ira Gracchi et gratia apud milites Sardinienses inita metus optimatium. Quare et apud censorem L. Cassium causam dicere coactus, sed absolutus est; et optimates quolibet pacto hominem in insidias dare cupientes Fregellanæ conjurationis culpam in eum contulerunt. Sed quamvis acerrime quæstionem exercente prætore L. Opimio, qui exinde internecinum cum Gracchio odium exercuit, etiam hoc crimine liberatus est. Hujus defensionis non ut censoriæ fragmenta exstare videntur; sed apud Auctor. ad Herenn. IV, 9 et 11, imitationes referri orationum in hac causa ad senatum et populum habitarum conjectura nobis quidem haud absurda videtur. Talium enim μιμήσεων refertos esse illos libros probabile ostendi poterit, imo exempla quædam ex oratoribus ipsis, demptis nominibus, retenta.

Nam notabiles eloquentiæ magistros non sicut metricos artifices exempla sua sibi ipsos fingere videmus, sed ex veris causis desumere. Sic Cicero in Oratore et libro De oratore secundo; ita Quintilianus, ubicumque opus est, imprimis libris nono et undecimo; ita Senecæ rhetoris totum opus in his exemplis colligendis constat; ut rhetorem, qui ad Herennium scripsit, a more communi descivisse oporteat, si ad unum omnia exempla ab ipsius ingenio profecta dicamus. Nam infimæ solum ætatis τεχνογράφοι sic faciunt, ut Emporius rhetor apud Capperonn. Rhett. p. 303, et Priscian. Præpar. rhett. p. 359, vetustiores autem et nobiliores, ut Rutilius Lupus, nonnisi cum apud potiores auctores satis apta non inveniebant. Deinde non difficile modo erat, sed lubricum etiam. Nam simulatio declamatorum a forensis veritatis ἐναργείᾳ et vehementia longe superatur (Quintil. X, 2, 12) et discentibus in mentem venire poterat, ut ficta illa exempla cum veris compararent. Porro justo arrogantior auctor erat futurus, si sermocinationis quod exemplum dedit IV, 52 fine, a se inventum tantopere laudaret. Genus etiam sermonis inest prorsus diversum; antiquius certe in nonnullis et incomptum, inurbanum adeo, ut IV, 37, et a Ciceroniano sane nitore remotius. Denique unum, et quidem Curionis pro Servio Fulvio de incestu exemplum habet Auctor II, 20; nomen

ab ipso non additum ex Cic. De Invent. I, 43 edocemur. Qui Ciceronis libri si absoluti essent, certius de hac causa judicare liceret. Sic etiam a Demosthene De cor. c. 40, p. 170 ed. Bekk. (239 Reisk.) exemplum sumpsit, quod sine nomine addito exstat IV, 34. Quare adducimur, ut oratorum, qui ante fuerant, exempla vel integra nonnulla, vel immutata et imitatione expressa, ab Auctore retenta esse credamus; quæ suis quæque locis diligenter notabimus. Verum ad Gracchum redeamus.

25. Igitur ad populum post quæsturam dixit. Tribunus plebis a. 630 leges eas tulit, quibus tota civitas permisceretur; in primis agrariam, frumentariam et quæ κατ' ἐξοχὴν Sempronia Ciceroni dicitur in Vrr. V, 63, Catil. I, 11, Pro Rabir. perd. c. 4 et 11: *Uti si quis magistratus de capite civis injussu populi judicasset, de ejus capite populi esset animadversio.* Quam legem in P. Popillium Lænatem quasi privilegium latam esse constat, qui consul in Ti. Gracchi amicos acriter quæsiverat. Ipse etiam Popillius, continuis Gracchi in senatu et pro concione maledictis laceratus, priusquam in jus vocaretur, urbe cessit. Eodem anno legem Aufeiam de Cappadocia heredibus restituenda dissuasit. Sequenti anno cum C. Fannium dejecto L. Opimio consulem fecisset, nondum cedente senatu judicia ad equites Romanos transtulit, provinciarum conferendarum jus minuit, sociosque civitate promissa suis partibus conciliare studuit.

Quam legem Fannius ipse nobilium consensu, quod ex Bruto c. 26, quamvis dissimulante Cicerone, licet videre, coactus dissuasit, vel potius suo ore protulit, quæ disertissimus quisque nobilium in unam orationem contulisset. Leges Gracchanas omnes, quam fieri potest, restitutas, Pighius exhibuit Annal. vol. III, p. 51 sqq. et 59 sqq. In hoc tribunatu vix diem fuisse, quo non vel se defenderet, vel inimicos lacesseret Gracchus, suspicari facile possumus... 26... [V. fr. p. 116-128.]

27. De Graccho oratore vix discrepat auctorum judicium. Præter Diophanem alium dicendi magistrum habuisse Menelaum fertur Marathenum (Cic. Brut. c. 26, 100). Artem diligenter didicisse et orationem ex ea temperare scivisse in primis illa de homine fistulam, dum concionaretur Gracchus, inflante narratio demonstrat, quam præter Cic. De orat. III, 60, 225, unde sua hausisse credendus Plutarch. in Vita c. 2 et 3, Valerius Max.

VIII, 10, 1, Quintilianus I, 10, 27, A. Gellius I, 11, exhibent. Ciceroniano in loco rectene pro Licinio Erycinum scripserit Ernestus non sine causa dubitat Spalding. ad Quintil. l. c. Schützius utrumque nomen recepit, in quo Plutarchus et Gellius conspirant. Non improbabiliter factum, si cogitemus, Licinium hunc Erycinum gentis Liciniæ libertum cum Gracchi uxore Licinia in ejus clientelam venisse. Insignes de Gracchi eloquentia laudes reperiuntur Cic. Brut. c. 33. Idem De orat. III, 56, 214, in vehementia ejus extollenda cum judicio populari consentit, cujus Appuleius Apol. p. 551 ed. Elm. (p. 99 ed. Bip.) et A. Gellius X, 3, testes exstant, quamvis Catonem illum veterem in similibus locis tractandis videri nervosiorem non diffiteatur. Sed non satis prudenter locos Gracchanos elegit. Nam auctor etiam Dialogi De oratt. c. 18, pleniorem Catone, et c. 26, vehementiam ejus calamistris Mæcenatianis longe præferendam judicat. Amaritudine et dicacitate longe omnes superasse ex Plutarcho in Vita c. 4, coll. c. 2, colligere possumus, multa similia a sese prolatis in scriptis Gracchi inesse affirmante. Componendi artem non satis calluisse Cicero exemplo prolato Orat. c. 70, demonstrat, cui non absimile est id, quod ap. Auct. ad Herenn. IV, 34, legitur: *Nimium Quirites* sqq. Etiam A. Gellius XI, 13, artificiosius structa verba, quam pro ætatis ratione, illi elapsa miratur. Discimus inde, eo tempore Gracchanas conciones nondum desitas in scholis versari. Hoc multis quoque Frontonis locis videmus; ut Epp. ad M. Cæs. II, 1, p. 46 ed. Berol. et Epp. ad Antonin. Aug. I, 2, p. 98 [nimirum III, 18, p. 83 sq. et IV, 2, p. 93 sq. ed. Rom.]. Sic Catoni et Tullio cum laude additur, De eloq. p. 84 [p. 228 sq. ed. Rom.]. Neque inepte faciebant illo tempore, ad hos redeuntes, modo castitatem potuissent imitari. [Conf. Quintiliani judicium de ea re Inst. II, 5, 21.] Circumcisas et breves ejus orationes in transcursu tangit Plin. Epp. I, 20. Paulo magis ad interiora et partes et consilia orationum spectant, quod Servius ad Virg. Æn. XI, 301, ejus et Catonis simplicissima esse procemia et a laude fere deorum incipere; honorificentius autem quod Augustinus Præceptt. rhett. p. 327 ed. Capperonn., digna Gracchi persona, vita et moribus exordia videri pronuntiat, cum Erucii persona Nostrum comparans.

28. Haud multum saltem Gracchum ætate antecedens cum eo a Cicerone jungitur *M. Æmilius Scaurus*. De quo quæ singulari libello Brossius dixit in Historia Academiæ Gall. Inscriptt. et Litt. elegg. vol. XXIV, p. 235-260 (ut Vossium taceam De hist. Lat. p. 38), eatenus in rem nostram convertemus, qua cum proposito nostro convenire vel errore laborare videntur. Hujus majorum culpa, ut multorum patricii generis hominum, ita jacuerat honos et fortuna domestica, ut neque pater neque avus ad magistratum petendum accederet, et hic carbonario negotio partam exiguam filio pecuniam relinqueret. Vide si tanti est Cic. Or. pro Mur. c. 7, Ascon. ad Or. pro Scauro p. 22 ed. Orell., Plut. De fortitud. Rom. II, p. 318, C. Locupletissimus omnium testis est Valerius Maximus IV, 4, 11, ipsius Scauri Commentariis usus. Natum Scaurum dicit Brossius a. 590, Ti. Graccho, M. Juvencio Coss., nescio quo argumento nixus. Nam quæstor cum videatur anno ante Gracchum fuisse, a. 626, non ante a. 593 aut 595 natum censuerim. Sed cum primum argentariam fecisset, mox ardens ingenio, gravis, tectus etiam et virtutis simulatione morum vitia abscondens, repente concepta spe ad summa tetendit, quæstura gesta, a. 630 ædilis factus est, nec, cum tenui re a sumptibus faciendis cohiberetur, acriter gesta urbis cura et assidue dicendo jure minus populi benevolentiam meruit, quam ludorum magnificentia potuisset. Prætor a. 633, consul cum M. Cæcilio Metello fuit a. 638, cum suo anno dejectus esset a Q. Maximo et C. Licinio (Cic. Pro Muren. c. 17). Jam tum ingentem ejus famam fuisse necesse est, cum in ipso consulatu, quod nemini præter hunc contigit, a L. Metello, Cn. Domitio Coss. princeps senatus legeretur. De hoc consulatu v. Aurel. Vict. De viris illustr. c. 72, Cic. De nat. deor. II, 23, Plin. H N. II, 55, et de legibus eund. VIII, 57. Ex consulatu provinciam Galliam rexit (Frontin. IV, 3, 13). Censuram pontibus et viis minuendis s. contrahendis et struendis operibus publicis utilem (Strabo V, c. 8, p. 217, et Ammian. Marcell. XXVII, 3) cum M. Livio Druso gessit; sed mortuo collega, Ap. Claudii Cæci exemplum imitatus, magistratu abire noluit, donec a tribunis plebis in carcerem duci jussus esset. Sic diserte Plutarchus Quæst. Rom. c. 50, p. 276, E. De censura conferatur, ne multi simus, Pighius Ann. vol. III, p. 127. Consul iterum

suffectus est L. Cassio *, a. 646 a Tigurinis in prœlio interfecto; de quo honore dubitasse Brossium nollem p. 251. Sed dejecto competitore P. Rutilio, nobilissimæ contentioni, ambitus reus et accusatorem suum eodem telo petens, locum dedit, de quo mox uberius dissereiur. Post hæc princeps senatoriæ sententiæ maximis in rebus versatus, in primis Jugurthinæ invidiæ et belli socialis excitati culpam sustinuit, quamvis prudentia et dissimulatione satis tectus.

29. Tot sunt veterum de hoc viro testimonia, ut hujus ætatis neminis fama sit illustrior. Moribus, si Ciceroni credas, nihil sanctius, nihil gravius, nihil antiquius fuit. At Sallustius, Jug. c. 15, et ab hoc respectus fortasse Lucilius, Saturarum libri secundi fragmentis, ingenii magnitudinem cum ea morum fallacia junctam fuisse, ut specie virtutum pessima vitia tegerentur, et ille quidem rerum documentis, demonstrarunt. Nam neque Africanæ legationis neque quæstionis de lege Mamilia memoria obliterabitur, et acerbo avaritiam maledicto objecit C. Memmius apud Cic. De orat. II, 70; et magnas filio hereditate relictas divitias certum videtur. At, quæ summa Ciceroni laus est, omnibus seditiosis a Graccho ad Q. Varium obstitit; neque culpandus Cicero, quod seditiosos dixerit (Offic. I, 22, Or. pro Sextio c. 17). Nam post Gracchos nemo sine pessima cupiditate popularis fuit. Præterea severitatem commendat Cic. Offic. I, 30, Val. Max. V, 8, 4, de filio graviter castigato argumentum petens (non luxurioso illo, de quo Ascon. ad Verr. I, 4, et in argum. Or. pro Scauro, Plin. H. N. VIII, 5 et 26; XXXII, 7; XXXVI, 2), Cic. Pro Fontei. c. 7 et 8; et ex eo idem Valerius l. c. Sed cum multos omnium ordinum haberet inimicos, in perpetuis simultatibus consenuit. Cicero De prov. coss. c. 8, et Off. I, 22, Mario inimicum refert; repetundarum reus factus est a M. Bruto, quem accusatoria vita a majoribus degenerem multis locis Cicero diffamavit; in qua causa orationes utrinque habitæ Charisii tempore exstabant. Deinde judicia subiit a Cn. Domitio trib. pl., Q. Cæpione, Q. Vario... Omnino sæpe periclitatum Asconius adnotavit. Erat autem Domitiana accusatio ea, ut

* Non Q. Hortensio. Huic enim suffectus (a. U. 645) M. Aurelius Scaurus.

Scauri opera multa populi Romani sacra obliterata aut eversa dicerentur. Sic Cic. Or. pro Deiot. c. 11, et Ascon. p. 21 ed. Orell. Omnes popularis factionis homines hac in causa contra Domitium stetisse Valerius scripsit VIII, 5, 2; a quo VI, 5, 5, de Domitii actoris candore et justitia edocemur ; Asconius autem infensi in Scaurum animi causam memoriæ prodidit. Acta causa est a. 649, C. Mario II, C. Flavio Fimbria Coss... [V. fr. p. 128-130.] Non ineruditum fuisse Scaurum, quamvis non Ciceroniano more, ex scribendi dicendique ejus studio patere videtur. Præter orationes enim notissimi sunt tres *De vita sua ad L. Fufidium* libri, quem Fufidium Plin. H. N. XXXIII, 1, veteris frugalitatis exemplo fuisse laudat. Pauca quædam ex his libris, quos Cicero Bruto c. 29, Xenophontea Cyri Disciplina haud paulo utiliores recte prædicat, apud Valer. Max. IV, 4, 11 ; Frontin. Strategem. IV, 3, 13 ; Serv. ad Virg. Æn. XII, 120 ; Diomed. I, p. 371, 373, 381 ; Charis. I, p. 119, supersunt. Meminit etiam Tacitus Agricolæ initio.

De laudibus Scauri oratoriis, quoniam auctorum præter Ciceronem (Brut. c. 29, Pro Mur. c. 7) silentium est, paucis defungi licet. Legentibus enim locos Ciceronianos patet, viri principis gravitatem et prudentiam in orationibus expressam fuisse, sed cum neque ars neque ornamentorum lenocinia inessent, exempla ab iis ut desumerentur fieri non poterat, quare apud sequentis ætatis auctores memoria ejus emortua est.

30. Adjungitur Scauro annis octo ferme minor *P. Rutilius Sp. F. Sp. N. Rufus*. Fuere enim complures P. Rutilii, alter P. F. P. N., alter P. F. L. N. Mendose nostrum Glandorp. M. F. vocat, redarguentibus marmoribus Capitolinis. De hoc viro, cujus multa est et egregia apud veteres mentio, præter ea quæ Voss. De hist. Lat. p. 39, et De hist. Græc. p. 110, et Glandorp. l. c. quasi per saturam congesserunt, paulo distinctius egit Wernsdorf. ad Poett. Lat. min. vol. V, parte 1, p. 28 sqq. [vol. IV, p. 37 sqq. ed. Lemair.], dum Rutilium Numantianum illustraturus reliquos ejusdem nominis viros breviter percenset. Sed etiam ab hoc congesta augeri postulant.

P. Rutilius patre prætorio natus ab ineunte ætate eam ostendisse ingenii felicitatem videtur, qua morum prisca simplicitate juncta paulo post æqualibus fere omnibus præstitit. Integritatis

clarissimum quæstura Asiana documentum dedit, sub Q. Mucio proprætore gesta a. 632. Quoniam enim cum hoc, ut refert Asconius ad Div. in Cæcil. § 57, p. 122 ed. Orell., consenserat, ne quid publicani agerent in provincia, et hanc invidiam legatione post consulatum sub altero Q. Scævola prætore gesta iteraverat, innocentissimus omnium scelestissimis hominibus pœnas dedit. De qua causa post disseremus. Tribunus deinde plebis fuit cum C. Flavio Fimbria a. 638, anno priore repulsus (Cic. Planc. c. 21). Errat Schneiderus in Epist. ad Langerum, præmissa Bruto a Wetzelio edito, p. XXVII, cum tribunum plebis a. 616, et jam tribunitium bello Numantino militem facit ex Cic. De orat. I, 40, ubi P. Rutilius M. F. scriptum exstat. Præturam a. 642, consulatum cum Cn. Manlio Maximo a. 648 obtinuit, cum ante duos annos cum M. Scauro petente comparatus repulsam tulisset. Hoc enim ad secundum, non primum Scauri consulatum pertinere, cujus tempore vix tribuniciam ætatem Rutilius habere potuit, bene Pighius ostendit Ann. vol. III, p. 134. In quo magistratu cum collega a Cimbris ingenti strage fusus esset, omnes Italiæ juniores sacramento adigere jussus, rei tamen gerendæ occasione caruit. Tum primum et ab hoc consule tirones artem arma tractandi gladiatoribus arcessitis didicere.

In hujus viri constantia et animi magnitudine laudanda, dum ipsi similis videri cupit, in primis copiosus est Seneca, apud quem, præter loca a Spaldingio ad Quintil. V, 2, 4 collecta, v. Consol. ad Marc. c. 22, De provident. c. 3. Ne frustra colligere auctores videamur, duas maximas causas, in quibus versatus est, judiciales consideremus. Altera est, quod M. Scaurum designatum consulem ipse repulsus de ambitu postulavit, referente Cic. in Brut. c. 30, 113.

In qua causa cum austerus ipse neque blanditus cuiquam adversus hominem in civitate potentissimum frustra laborasset, ab reo absoluto mox eamdem actionem perpessus est. In hoc periculo repellendo multa Rutilium industria fuisse dicunt, eaque gratiore quod idem magnum munus de jure respondendi sustineret. Absolutus igitur haud dubie et jure merito, quod crimina in eum conficta summa veritatis similitudine in accusatorem retorqueri potuerunt; quod advocatus Rutilii facetissime fecit, C. Canius, eques Rom. Exstat dictum Cic. De orat. II, 69, 280.

Damnatum Brossius, in Vita Scauri, existimans, fortuita nominum similitudine, Rutilio et Rupilio confuso erravit. Lege Maria, cum Sigonio De judiciis, II. 30, p 1785 Thes. Græv. vol. II, et Rutilium et Scaurum postulatos putare non probandum videtur, quoniam hæc nonnisi pontes angustiores faciebat. Longe hac actione celebrior repetundarum quod subiit judicium, intentatum a publicanis, quorum exactiones et quæstor et legatus in Asia cohibuerat. Q. autem Mucium, cujus æque recens invidia, gratiæ et potentium affinitatum causa inimici non videntur petisse. Publicanos in Rutilium conspirasse Cicero varie prodidit, Brut. c. 30, 115, De orat. I, 53, 229, Pro Balb. c. 13, Fontei. c. 13, Liv. epit. LXX, Florus III, 17; ubi conf. intpp. Vellei. II, 13; Ascon. ad Div. in Cæcil. p. 122, Valer. Max. II, 10, 5, qui idem ab urbibus Asianis, cum eo abiisset in exsilium, ferme divinis honoribus acceptum narrat. Acta causa videri potest C. Valerio, M. Herennio Coss. a U. 660. Subornatus est autem accusator Apicius quidam, homo nequissimus, qui cum Sittio unicum eo tempore perditæ luxuriæ exemplar erat. Hujus rei Athenæus IV, p. 168, D, sq. ex Posidonii lib. XLIX testis est. Nam Rutilium, qua Stoica gravitate erat, suis Commentariis aliquid de hac re prodidisse non credo. Neque effugisset damnationem, etiamsi eloquentissimorum hominum patrocinio usus esset, vel precibus et fletu uti voluisset. Sed recte celsissimus animus ignavorum auxilia sprevit, nec quidquam præter nuda et recta dixit, dicive a Q. Mucio et C. Cotta passus est. Quam animi magnitudinem a Cic. Brut. c. 30, et De orat. I, 53, reprehendit, nobiscum, credo, honestissimi omnium temporum viri mirabuntur. Conf. de hoc judicio et lege Servilia, qua etiam Scaurus postulatus est, Sigon. De judiciis II, 27, p. 1770 sqq.

31. Nullo igitur negotio damnatus Smyrnam in exsilium concessit (Cic. De nat. deor. III, 32; De republ. I, 8; Tacit. Annal. IV, 43). Neque a Sulla dictatore, ut rediret, adduci potuit. Hoc tangit Seneca De beneff. VI, 37. Capitis discrimen a Mithridate omnibus Romanis intentatum, Græcorum more palliatus, effugit (Cic. Pro Rabir. Post. c. 10). Addam, quo frugalitatem et sanctimoniam hujus viri incredibilem perspicuam reddam, Athenæum VI, p, 274, C, qui solos Rutilium, Scævolam et Tuberonem hoc tempore legem Fanniam sumptuariam ob-

servasse, haud dubie ex Posidonio tradidit. De morte Rutilii non constat. Nam quod Ernestus in Clave Cic. ex Tuscul. IV, 17, leviter ægrotantem ob fratris repulsam repente mortuum dicit, in hoc P. Rupilium Cos. 620 cum nostro confundens, ut ante de Brossio notavimus, egregie hallucinatur; de qua re Wetzelius in præf. ad Brutum p. LXXVII monuit.

Varias vir tam eximius in sese laudes sociali vinculo junctas exhibuit. Fortis enim bello et jam adolescentulus Scipioni ad Numantiam acceptissimus, ingenii cultu, Stoica disciplina eruditus, ut Panætii auditor, juris peritus, orator et historiarum tum Græce tum Latine scriptor excelluit. Præter hos, quibus jam testibus usi sumus, cf. Cic. De republ. I, 8, coll. 11, et Offic. II, 13, quo loco libri ejus de jure civili laudantur, ex quo multa præclara etiam orationes continuisse, ceteroqui jejunas, idem Brut. c. 30, 114 observat. Dederat enim se P. Mucio Scævolæ in jure erudiendum. Cic. Offic. l. c. Nam Opilium quoque grammaticum cum eo in exsilio consenuisse Suetonius De ill. gramm. c. 6, et Symmachus Epp. I, 22, retulerunt. Inter viros literis cultissimos cum Scipione et Persio Cic. (Brut. c. 26) eundem Lucilius posuit, non his sese, sed Tarentinis et Siculis, inconditis hominibus, scribere professus. Orationes Rutilii paucissimæ memorantur... [V. fr. p. 132.] Res Romanas Rutilius Græce, suam vitam Latine fertur scripsisse. [V. Kraus. Vitt. et fr. hist. p. 227 sqq.] Hannibalica Rutilium scripsisse dicit Popma Appiani usus testimonio Ἰβηρ. s. Hispan. c. 88, quamvis apud hunc disertis verbis id legatur, Scipionis in Numantia obsidenda præfectum fuisse Rutilium. Ejusdem memoriam cum Isidorus Origg. XX, 11, 4, habeat, recte quidem a Fabricio in Bibl. Lat. III, p. 375 ed. Ern. monetur, *Rutilium* pro *Satilio,* quod vulgatur, legendum, sed *vitam Scipionis,* ut idem emendavit, scripsisse nusquam reperitur. [Codd. antiqui quos vidimus *Salustius Rufus de vita sua.*] Dicendi genus quo usus est, cum melius notare non possimus, quam Cicero fecit Brut. c. 29, 30, hæc transcribi inutile duco.

Huic ferme æquales sunt, quos Cicero Bruto capp. 33, 34 composuit, *C. Galba Ser. F.* [in fr. p. 134], *P. Scipio P. Serapionis F., L. Calpurnius Bestia, C. Flavius Fimbria,* Cos. cum C. Mario a. 649 [ibid.], et alii. Horum nemo nomen suum illu-

stravit. Notior, quanquam parum honeste, *M. Brutus*, qui accusatoriam vitam factitavit. [V. fr. p. 131 sq.] Conf. Cic. Brut. c. 34, 130, Offic. II, 14, etc. Sed Cicero invidiose facit, quod inepta Græca et Romana componendi cupiditate hunc hominem, nulla honesta arte notum, in loco Bruti cum sanctissimo Atheniensium Lycurgo comparat.

32. Sequitur vir his longe superior, *Q. Lutatius Q. F. Catulus*; de quo satis testimoniorum, præterquam quod res bellicas et mortem attinet, non exstare dolendum est. Hic gentis intermortuam gloriam instauravit. Nam post C. Lutatium, qui consul vitio factus a. U. 533 cum collega se magistratu abdicavit, nemo ad summos honores pervenerat. De hujus magistratibus non constat, et factum ob annorum rationem quod quæstorem a. 632, tribunum 637, ædilem 641, prætorem 645, facit Pighius. Nam consulatum a. 647 petisse et bis repulsum C. Atilio Serrano, qui non omni saltem laude careret, sed etiam Cn. Manlio (a. 648) posthabitum, homini sine ingenio, sine virtute, denique ne gratia quidem aut populari laude florenti, disertis verbis exstat apud Cic. Or. pro Planc. c. 5, qui multa ibi insignium repulsarum exempla colligit. Consul demum cum Mario a. 651 factus, post magistratum prorogato imperio in societatem laudum C. Marii, veteris collegæ, pervenit. Sed neque hæc, neque mortem, cui sua vice crudeliter parentatus Sulla dicitur ap. Senecam De ira III, 18., neque ejus monumenta, in primis porticum sæpe Ciceroni memoratam, satis notis auctorum testimoniis cumulabimus. Sed eruditioni et humanitati Catuli veras, ut videtur, multis locis laudes tribuit. Græce doctissimum facit De orat. II, 7; multas literas suavissimumque cum summa gravitate genus dicendi præcipue Latini sermonis et appellandarum literarum elegantiæ junctum ei adscriptum videmus Brut. c. 35, De orat. III, 38 (coll. Quintil. XI, 3, 35); rectum autem et pulchrum assequendi studium Pro Arch. c. 3; ut plane Lælium visum esse jure pronuntietur Tuscul. V, 19. Unde elegantibus ejus literis dedit Cicero, quod disputationis De oratore partem habere voluit. Non exigua elegantia in duobus illis epigrammatis inesse videtur, quæ apud A. Gellium XIX, 9, et Cic. De nat. deor. I, 28, exstant. Ceterum carmina

ejus antiquitas lasciva dixit. V. Plin. Epp. V, 20.* [Conf. Weichert. Reliq. poetar. p. 129 sq.]

De orationibus non constat. Unam τοῦ ἐπιδεικτικοῦ generis commemorat Cicero, *matris Popilliæ laudationem*. [V. fr. p. 135.] Commentarios de rebus suis ad A. Furium poetam missos Cicero Brut. l. c. molli quodam et Xenophonteo genere scriptos censet. [V. Kraus. Vitt. et fr. hist. p. 232 sqq.]

33. Paulo seniorem Catulo, Rutilii æqualem, *Q. Cæcilium Metellum Numidicum*, huc distulimus, quod quamvis plurima testimonia non modo virtute, sed oratoria etiam facultate Catulo et Rutilio majorem facere videantur, non tamen in oratorum numero eum fuisse ex Cic. Brut. c. 35, 135, appareat.

Gens Cæcilia secundum Liciniam inter plebeias summam habet vetustatem et claritatem. Nam primus occurrit L. Cæcilius trib. pl. a. U. 315. Consulatum primus gessit L. Metellus a. 469, a quo fuit L. Metellus bis consul, dictator et pontifex max. Filius hujus Q. Metellus consul 547 cum L. Veturio. Nepotes (non filios, ut Glandorp. p. 944 annorum computandorum incuriosus facit) convenit esse Q. Metellum Macedonicum Cos. 610, et L. Metellum Calvum Cos. 611, cujus filii Dalmaticus Cos. 634, et Numi-

* Temperare mihi non possum, quin a librorum De oratore novissimo editore perperam inductum *Catuli* nomen lib. III, 23, pro *Cottæ* ostendam. Sic scripsisse se Müllerus ait, quod Cotta, qui tanquam discipulus audiat Antonium et Crassum, subtilissimum dicendi genus assecutus dici non possit. Cottam etiam Antonium imitando consecutum, Catulum autem quasi αὐτοδίδακτον videri. Deinde alibi quoque Cottam et Sulpicium, Cæsarem et Catulum componi, velut III, 8. Sed Cottæ laudes passim habet Cicero, De orat. I, 8 et Brut. c. 55. Porro quamvis Cotta, quibus careret non nescius, Antonii vehementiam cupiebat, ut violentus P. Sulpicius Crassi elegantiam, uterque tamen, quod petebat, non est assecutus. Summam autem rem prætervidit Müllerus. Nam C. Curio recte Cæsaris et Cottæ æqualis dicitur; Cæsar enim ædilitius occisus est, annum XL non egressus, a. 666. Curio Cos. fuit 677, Cotta 678, quinquagenarii ferme hunc magistratum adepti, cum bello civili et Sullanis asseclis inserendis retardati essent. Sed quomodo Curio et Cæsar Catuli æquales, qui undecim annis ante colloquium habitum consul, sexagenario major cum Cæsare fratre occisus est? De Catulo filio, cos. 675, nusquam in his libris mentio. Quid nota editoris mox addita sibi velit, non assequor.

dicus fuerunt. V. Manut. ad Cic. Or. pro domo c. 4, 7, et intpp. ad Vell. II, p. 727 ed. Ruhnk. Nec tamen Burmannus et alii Diadematum satis bene a Dalmatico secernunt. Rectius Ernestus; sed primum hoc vidisse censeo virum incomparabilis diligentiæ, Pighium, Ann. vol. III, p. 42, unde sua omnia recentiores delibarunt. Cognomen Metelli mercenarium significare, quasi meritellum, Festus s. v. e Verrio Flacco notavit, consentiente, ut Scaliger observat, Glossario, quod μίσθιον interpretatur.

Q. Metellus L. F. primum honorem Pighio visus gessisse a. 629, duobus post C. Gracchum, tribus ante P. Rutilium, duobus ante Q. Catulum. Tribunatus a. 633 modo occiso Graccho gestus, tacitus fuit. Ædilis cum M. Catone Saloniano a. 636, prætor 640 existimatur frumentariam habuisse provinciam, vel Siciliam vel Sardiniam. Cf. Cic. Verr. IV, 90. Nam verisimillimum est, post hanc præturam et fortasse ob frumentum in cellam imperatum repetundarum actionem ei intentatam, de qua Cic. Pro Balbo c. 5, Valer. Max. II, 10, 1. Post consulatum et bellum Jugurthinum, quod alii volunt, factum si esset hoc judicium, nobilius erat, quam quod tacerent auctores. Consul Metellus fuit cum D. Junio Silano a. 644, qui Catulum prætorem habuit, tribus ante Rutilium, sex ante Catulum consules, qui aliquoties repulsi sunt. Honorum cumulus accessit censura cum C. Metello Q. Macedonici filio gesta (a. 651). Meminerunt hujus censuræ Velleius I, 31, Cic. Or. pro domo c. 31, Pro Sext. c. 16, 47, Pro Cluent. c. 35, Valer. Max. IX, 7, 2. Et Cicero quidem Glauciam et Saturninum inimicissimos inde, notatos fuisse, quin Appianus Bell. Civ. I, 28, utrumque senatu movendum fuisse scribit, nisi collega obstitisset. Valerius ex Cicerone Or. pro Sextio l. c. inter insignia constantiæ exempla ponit Metellum, quod ab Equitio, quem libertini generis hominem pro Ti. Gracchi filio factiosi venditabant, censum noluisset accipere, lapidibus a populo petitum, nihilominus in sententia perstitisse. Consulatum iterum petens in annum 653, ut Saturninum et Glauciam, quorum alter tribunus, prætor alter erat futurus, frangeret, a Mario inimico per vim dejectus, mox horum omnium in se injurias persensit. Quin de exsilio ne nota narrem, nonnisi auctorum loca memorabo, Cic. Pro Sext. c. 16, Liv. Epit. LXIX, qui otium eum literarium in exsilio reperisse scribit; Vellei. II,

10, Valer. Max. III, 8, 4; IV, 1, 10, Appian. Bell. Civ. I, 29 sqq., Plutarch. in Mario c. 29. Restitutus est rogatione Calidia (Cic. Or. pro Planc. c. 28, ad Quir. p. red. c. 3) deprecante Pio filio; sed post nescio quomodo fracto fuisse animo dicitur Cic. Epp. ad fam. I, 9. Et suas Cicero cum Numidici rebus non sine fastidiosa jactatione sæpe comparat, ut fortasse illud etiam sui excusandi causa parum certo traditum arripuerit. Ad Mariana tempora non vixit; neque enim Marii sævitiam evasisset. Incertum videtur et ex fama, certe pervulgata, affirmari, a Q. Vario veneno sublatum esse, Cic. De nat. deor. III, 33, 81.

34. Moribus hujus viri sanctissimis et in nobili constantia lenitate temperatis offecit communis optimatium morbus, superbia, quæ C. Marium bello Jugurthino sibi legatum non in sui modo, sed in omnis nobilitatis et civium odium exacerbavit. Vide Sallustii Jug. c. 64. Severitatem enim summam (quippe qui Lucullum sororis suæ virum pro rostris laudare recusaverit, quod is repetundarum damnatus erat, soror autem male audiebat, Cic. Verr. IV, 66) elegantia literarum tinxit, quas si non multas neque Ciceroniano more varias tenebat, tamen Romani moris tenacior et bonarum artium amore cuivis æqualium par vocari potuit. Nam Archiæ familiaritate usum Cic. Pro Arch. c. 3 coll. Epp. ad Att. I, 16, et ib. Ernesto, Carneadis jam senis auditorem idem De orat. III, 18, ostendit; Ælium Stilonem magistrum etiam exsilii comitem habuit (Suet. De ill. gramm. c. 3). Inde iniquius Ciceronem Brut. c. 35 judicasse putes, cum a Velleio, II, 10, inter oratores numeretur, atque A. Gellio V, 6; VI, 11. non gravis modo, sed etiam disertus vir dicatur. Lectum autem et laudatum hujus auctoris tempore non est mirum. Sic cum Scipione, Catone et Gracchis etiam Frontoni acceptum et imitatione dignum visum Numidicum, ex illius Epp. ad M. Cæsarem II, 1, p. 46 ed. Berol. (1, 6, p. 15 ed. Rom.) manifestum est.

Factum inde, quod satis idoneas orationum reliquias exstare videmus... [V. fr. p. 135-138.] Ex Epistolis ad Cn. et L. Domitios, quorum alter cum L. Cassio, alter cum C. Cælio Cos. fuit, a Gellio particulæ quædam afferuntur XV, 13; XVII, 2.

35. His adjungantur viris *C.* et *L. Memmii* fratres. Et Lucii quidem pertenuis memoria. Nam præter locos Ciceronianos

Brut. c. 36 et 89, quorum altero si non magnus, at orator tamen, altero accusator acer et acerbus dicitur, neque apud Tullium neque apud alium quemquam diserta ejus mentio fit. Vixisse eum ad Sullanæ proscriptionis tempora ex Cic. Or. pro Rosc. c. 32, 89, intelligitur, si certa est Fulvii Ursini conjectura. Antea enim non *Memmios* legebatur, sed *Mamercos*. Numerus plurativus non prohibet, quominus de uno L. Memmio cogitemus. Paulo crebrius *C. Memmius* occurrit. Utrumque non improbabiliter Pighius Ann. vol. III, p. 96, filium dicit C. Memmii Galli, qui tribunus plebis legem de reis tulit, C. Lælio, Q. Cæpione Coss. a. 613. Hunc C. Memmium, de quo dicimus, quæstorem fuisse a. 637, tribunum plebis a. 642, ex Sallustio Jug. c. 27, 30 sqq. et aliunde constat. Prætura functus circa a. 648 videri potest, cum ex provincia causam repetundarum dixerit (Cic. Pro Fontei. c. 7, Valer. Max. VIII, 5, 3) et a. 653 C. Mario, L. Flacco Coss. consulatum petens a Glauciæ et Saturnini operis occisus fuerit. Noti loci sunt Cic. Catil. IV, 2, Liv. Epit. LXIX, Flor. III, 16, Appian. Bell. Civ. I, 32, coll. Plut. Mario c. 29. Inde octo vel decem annis Numidico minorem fuisse patebit. Multos accusasse Ciceroni Brut. c. 36 traditur, qui tamen fuerint, præter L. Calpurnium Bestiam, non liquet [V. fr. p. 138 sq.] Sed quoniam hic cum C. Galba, L. Opimio, Sp. Albino, C. Catone in numero damnatorum lege Mamilia fuit, quam legem ab ipso Memmio privato maxime perlatam verisimile est, hos fortasse omnes in judicium vocasse credetur. Mordacitas hominis ex acerbo ejus in Scaurum, Bestiæ advocatum, dicto perspici potest. Ipse tamen simile quid a Crasso passus est (Cic. De orat. II, 52). Hoc loco Ovidii admoneor, qui in Trist. II, 433, *Memmii carminum* meminit. Merula, neque Heinsio neque Burmanno notantibus, hunc nostrum Memmium, de quo diximus, et C. Memmium alterum, Cæsaris æqualem et inimicum, de quo Gellius judicat XIX, 9, eumdem esse credidit. Fortasse in Vita Terentii Suetoniana c. 3, p. 43 ed. Wolf. pro Q. Memmii ignotissimo nomine *Caii* scribendum est. Incerta cujus Memmii, fortasse poetæ, verba sunt apud Caprum p. 2244. Concio apud Sallustium in Jug. c. 31, memoriam saltem rerum a Memmio prolatarum continere credi potest.

36. Decursis igitur horum ætatibus, exiguo intervallo distin-

ctis, jam ad summos ante M. Tullium oratores, *Crassum* et *Antonium*, pervenimus. Gentis Antoniæ satis sunt vetustæ origines; at consulatum, censuram et triumphum primus orator intulit. Mansit gens, ut Lutatia et alia, libertinorum et ignobilium hominum quasi rivulis deducta ad quintum usque post Chr. n. seculum. Nam commemorat hujus nominis virum sibi cognitum Symmachus Epp. II, 4.

M. Antonius C. F. C. N. natus est Ap. Claudio Pulchro, Q. Metello Macedonico Coss. a. 610, triennio, quod in Bruto c. 43 Cicero testatur, Crasso major, qui Q. Servilio, C. Lælio Coss. natus est. Mature in forum venisse et vim ingenii a natura insitam optimorum, qui tunc erant, oratorum auditione corroborasse ex eo colligimus, quod ipse ap. Cic. De orat. II, 25, a se C. Carbonem auditum dicit, pro L. Opimio dicentem. Inde inter Antonium et Crassum, qui anno post eumdem Carbonem oppressit, perpetua videtur familiaritas et æmulatio intercessisse. Causas autem tam mature quam a Crasso, ab Antonio actas nescimus. Nam quod Cic. Offic. II, 14, dicit, eum accusando nobilitatum, hoc Cn. Carbonis causam spectat, quem voluntaria morte judicium prævenisse Cic. Epp. ad fam. IX, 21, significare videtur, εἰ ἀληθὴς ὁ μῦθος. Nam ipsa verba non satis patent. Quem etiam Appuleius Apolog. p. 71 ed. Bip. honoris causa accusatum scribit, ut Albucius a C. (lege Q.) Mucio, Cn. (lege C.) Norbanus a P. Sulpicio, M.' Aquillius a C. Fufio, Q. Metellus a C. Curione postulatus sit. Inde Cn. Carbonem majestatis fuisse accusatum oportet. Hoc in unum illum cadit, qui Cos. a. 640 a Cimbris exercitu exutus est. Acta igitur causa non ante ætatis annum tricesimum ab Antonio. Inde consentaneum est, priorem fuisse, quam pro se de incesto dixit, causam, de qua Valer. Max. III, 7, 9. De tribunatu et ædilitate Antonii non constat; tacitum sane, etiam in hac re Crasso similis, illum magistratum habuit. Ex prætura anno 649 gesta Ciliciam videtur provinciam habuisse, prædonesque bello maritimo persecutus esse. V. Liv. Epit. LXVIII, Cic. De orat. I, 18; II, 1, et Pighium accurate disputantem p. 157. Ex hac provincia triumphavit. Consul cum A. Postumio creatus a. 654, in primis Sex. Titium trib. pl. seditiosum adversarium habuit, Saturnini rationes repetentem. Quem quomodo fregerit, et opportunam nactus occasionem omnia con-

sulatus sui consilia pro concione exposuerit, ipsum dicentem facit Cic. De orat. II, 11. Ex hoc loco errasse Pighium verisimile fit, qui consulibus Antonio Macedoniam Postumio Italiam obtigisse censuit. Non fefellerat eum locus Ciceronianus, sed callide, habitam testimonii loco orationem de consulatu interpretatur, antequam in provinciam abiret. Sed quomodo totius consulatus consilia exponere, quomodo auctoritatem ad reprimendos seditionis igniculos adhibere potuit, nisi mansit in Italia? Neque erat eo tempore, cur in Macedoniam, quasi ad grave bellum, consul eo potissimum civitatis statu mitteretur.

Movit Pighium, quod seditiosus homo C. Norbanus ab Antonio, ap. Cic. De orat. II, 48, sibi quæstor additus dicitur. Sed cum præsidio ab urbe afuisse paulisper, Cicero notans Pro Cluent. c. 50, Pro Rabir. Perd. c. 9, coll. 1, causam simul aperit, cur quæstorem habuerit. Nam qui Italiam cum imperio, tumultus vel seditionis vel quæstionis causa, provinciam habebant, quæstorem secum habere necesse fuit. Censuram gessit M. Antonius cum L. Valerio Flacco a. 656. Cum M. Duronium, sumptuariæ legis tollendæ in tribunatu auctorem, senatu movisset, media ab eodem censura reus de ambitu factus est. Falsum est autem, quod Pigh. p. 189 hanc ambitus causam dictam non esse tradit. Diserte enim C. Cœlii in ea testimonium exhibet Antonius ap. Cic. De orat. II, 67. Sed plenissime absolutum, quod nemo in foro gratiosior erat, quamvis nullo affirmante, facile credimus. Nam Antonium a periclitantibus maxime expetitum fuisse Cic. Brut. c. 57, adnotavit, neque fastidiosum in recipiendo, quamvis de jure civili nihil admodum sciret. Sed tenuis causarum privatarum, quas egerit, memoria superest... [V. fr. p. 139-146.]

37... Bello Italico Antonius ab urbe afuit, cum vel legatus esset vel Italiæ partem tuendam accepisset, ut omnes ferme ea tempestate rebus gestis insignes (Cic. Brut. c. 89). De morte Antonii ne quæ nota sunt, exponamus, auctores excitemus Cic. De orat. III, 3, 10, Brut. c. 89; Vellei. II, 22; Valer. Max. II, 9, 5; VIII, 9, 2; IX, 2, 2; Liv. Epit. LXXX, Plutarchum Mario c. 44; Appian. Bell. Civ. I, 72.

Præter Crassi, Catuli utriusque, Caiique Cæsaris Strabonis familiaritatem cum omnibus ferme magnis viris, qui tunc essent, mutua benevolentia junctus fuisse videtur. Neque causam vide-

mus, cur C. Marius, cujus mœrore in M.' Aquillio defendendo magnopere adjutus dicitur, post in exitiabile ejus odium exarserit. Nam neque Saturniniani temporis memoria tantum valere potuit, et Aquillii causa post etiam acta est. Præcipue autem gaudet Cicero, quod gratos Antonio fuisse L. Ciceronem patruum suum, et L. Aculeonem et M. Marium affines sæpius inculcare potest. V. Brut. c. 45, De orat. II, 1.* De moribus nihil notatum invenio, nisi quod Appuleius Apolog. s. De magia p. 31 ed. Bip. hunc in raris parsimoniæ exemplis ponit, quod octo solum servos dicatur habuisse.

38. Sero et leviter attigisse literas Antonium tum mos plurimorum, qui causis dicendis sese dederunt, tum ipsius apud Ciceronem dictum De orat. I, 18, ostendit. Nam cum pro consule in Ciliciam navigans Athenas appulisset, prima artium Græcarum præcepta a philosophis (Mnesarcho, Charmada, Menedemo) accepisse fertur. Sed et hæc et quæ ibid. c. 14, et II, 12 sqq. de Græcis literis quasi Antoniana judicia proferuntur, vel tota ficta, vel in majus aucta et exornata crediderim, ne homo tam magnus in dicendo prorsus rudis videretur literarum. Eundem ex more popularium cultioris ætatis eruditionem dissimulasse, quod Cic. De orat. II, 36, et Quintil. XII, 9, 5, affirmant, magis a Ciceronis studio quam a veritate profectum puto. Nam jus etiam civile, cujus saltem aliqua cognitio oratori pernecessaria erat, parvi fecisse idem apud Cic. De orat. I, 38, traditur, et quod non satis latine ex ejusdem Bruto c 38 locutum scimus, ex minoris momenti rebus de gravioribus existimare possumus. Nec etiam judicium de oratoris ingenio apud Cic. De orat. I, 49, Antonii potius quam plurimorum Ciceronis æqualium videtur,

* Hunc locum manifesto depravatum nemo præter editorem novissimum sensit. Nam quid est: *Cicero cum M. Antonio in provinciam profectus una decesserat?* Schützius explicat: una profectus est; una etiam cum proconsule decessit. Putidam sane Ciceronis diligentiam; quasi quis in provincia mortuum crediturus esset! Hoc vidit Müllerus. Idem addit *decedere* de urbe Roma si accipiatur, ineptiorem fieri sensum. Verum est. Quod Müllerus scribendum suadet, *præfectus,* non bene defendi potest, quod *in provinciam decedere* non facile dictum reperietur; neque satis proconsulis et præfecti dignitas distinguitur. Verum lenissima mutatione *profecto* scribendum censeo, et commodissimus sensus exibit.

eruditionis novæ et peregrinæ reprehensorum. Quod Sulpicium atque adeo Ciceronem adhuc puerum de rebus oratoriis comiter docuisse dicitur ibid. II, 1 et 21, magis periti erat quam literati. Sed de eloquentia Antonii post tantum Ciceronis præconium, in primis in Bruto c. 37 (cui loco conferantur De orat. III, 9, Verr. III, 78, Tusc. II, 23) prolatum, loqui supersedemus. Ipse tamen Cicero Brut. c. 44, coll. c. 86, summos jam fuisse dicendi artifices Crassum et Antonium, paulisper dubitat. Cur nihil scripserit, Cicero in Cluentiana c. 50, et ex eo Valer. Max. VII, 3, 5, tradiderunt. [V. fr. p. 139.] Ob concitationem et vehementiam cum Apro componi videtur Dial. de oratt. c. 2 extr.— Macrobius ejus dicendi genus ardens, erectum, infensum, ut Crassi maturum et grave dicit. Adde Velleium II, 9, 18, 22 *. Scriptum, ut apud Ciceronem pluribus locis videre licet, nihil nisi exilem illum de *ratione dicendi* libellum reliquit, qui imprudenti excidisse dicitur Cic. De orat. I, 21 et 47. Inscriptum fuisse censet Burignius Histor. Acad. Francog. Inscriptt. et Lit. elegg. vol. XXXVI, p. 40, *de officio et ratione oratoris*. Hoc vero et minus latinum videtur, *de ratione* oratoris, et cur abscedamus ab iis quæ a Cicerone prodita sunt? Hujus libelli exiguæ quædam particulæ servatæ sunt. Alteram, cujus sententia notissima est, sese disertos plures, eloquentem vidisse neminem, Cicero pluribus locis posuit, ut Oratoris c. 5, 30; 18, 105; De orat. I, 21, 94, et ex eo Plin. Epp. V, 20; conf. Quintil. procem. VIII, 13. Hunc libellum ad suam usque mansisse ætatem, Quintilianus observat III, 1, 19. Alterum fragmentum est apud eundem auctorem III, 6, 45, simplici illud et antiqua gratia commendabile. Possunt autem pro Antonianis non verbis, sed sententiis haberi, quibus Cicero persequitur Norbani defensionis argumenta De orat. II, 40 et 48, et Aquillii causam ib. c. 47.

39. Sequitur, Cicerone laudatore, qui cultu huic videri similior voluit, magis adhuc nobilitatus *L. Licinius P. F. Crassus*. Fue-

* De tabulis conficiendis quod falso vulgo de Antonio credebatur, notissimum quidem est, sed tamen homini non indocto, Asconio, causam erroris dedit, qui de M. Antonio Cretico interpretatur ad Verr. II, 23. Conf. Corrad. Quæst. p. 380. Justus Lipsius hæc explicuerat, Varr. Lectt. I, 7, p. 803.

runt, qui de patre ejus dubitarent. Sed Muciani, qui consul a. 622, filius fuit, et consobrinus P. Crassi, consulis biennio ante ipsum L. Crassum, a. 656. Quæstorem Asiæ Pighius facit a. 643, sed unicum de hoc magistratu quod exstat testimonium, Cic. De orat. I, 11, 45, coll. III, 20, 75, incertum relinquit, anne Macedonia provincia fuerit. Unde rediens Athenis moratus, non suo anno, sed uno post tribunus factus est. Hic magistratus, quem tacitum vocat Cic. Brut. c. 43, 160, solus Crassum et Q. Mucium Scævolam collegas non habuit. Nam (contra ac sensit Pighius p. 147) Mucius tribunus anno post fuit. Ædilitate magnificentissima functus est a. 650 (Cic. De offic. II, 16, Verr. IV, 59; conf. Corrad. Quæstur. p. 314), cum tribunatum quatuor annis ante gessisset, non tribus, ut Pighius voluit; nam quem ex Cic. Brut. ante locum exhibuimus, is a. 647, quo lata lex Servilia, privatum fuisse ostendit. Præturam nulla re insignem, ut nescias quæstioni præfuerit an urbanam peregrinamve jurisdictionem habuerit, M. Antonio Cos. gessit, a. 654. Nam sequens annus est, quo Q. Mucius Crassi collega Asiam pro prætore rexit cum legato P. Rutilio. Consulatum deinde cum eodem Q. Mucio gessit a. 658. Provinciam Galliam, de qua administrata Valer. Max. III, 7, 6, et Cic. Or. in Pison. 26, ubi v. Ascon., dissentire videntur, utrum consul an pro consule habuerit, Gronovius disceptavit Obss. IV, 20, p. 760 ed. Lips. Evincit enim, magistratus in ipso honore provinciam sortitos, deinde prorogato imperio ex prætura vel consulatu rem gessisse dici solitos. Et sane nisi Crassus adhuc consul Galliam est ingressus, cum justo cupidior triumphi, in senatu potens, hunc honorem impetraturus videretur, quomodo Scævola collega, rem mali exempli videns, intercedendo controversiam dirimere potuisset? Sic enim Valerius. De lege Licinia Mucia de civibus regundis et contentionibus inde de civitate Italorum ortis res nota est. V. Ascon. ad Cic. Or. pro C. Cornel. 21 (p. 67 ed. Orell.). Censuram cum Cn. Domitio Ahenobarbo discordem gessit, ut mutuis sese conviciis incesserent, qua nullam altrecationem majoribus habitam clamoribus Cicero narrat Brut. c. 43. Multa præterea et clara hujus rei testimonia videantur Cic. De orat. III, 5, 11, ubi censum non egisse dicitur; II, 66; III, 24 (conf. Freinsh. ad Liv. LXX), Valer. Max. IX, 1, 4, Ælian. V. H. VIII, 4, Plin. H. N. XVII, 1, Plutarch. Præcc.

politt. § 14, p. 811, A, Macrob. Sat. II, 10. Adde Sueton. Neron. c. 2, et, quæ loca de edicto in rhetores agunt, Dial. de oratt. c. 35, A. Gell. XV, 11. Annus censuræ est 661, quo exacto tum primum sese a negotiis et ambitione liberiorem fore sperat apud Ciceronem De orat. Etiam augurem fuisse videmus ex eodem, ib. I, 10. Mortuus est autem vix quinquagesimum ingressus annum, a. 662, L. Marcio Philippo, Sex. Julio Cæsare Coss., cum adversus violentum consulem senatus auctoritatem tutatus vires nimia contentione dicendo fregisset. Harum rerum narratione ap. Cic. De orat. III, 1 sqq. nullam graviorem vel elegantiorem novi, quo loco dignis quoque laudibus summi viri memoriam exornatam videmus. Sunt, quæ receptæ in hoc viro modestiæ et severitatis famæ adversentur. Nam puerilem piscium amorem et nemus in tecto collega in altercando Domitius objecit, v. Macrob., Plin., Ælian. ll. citt.; Brutus autem accusator, apud Plinium H. N. XXXVI, 3, columnas marmoreas ex ædilitate domum translatas. Simile Philippi et Hortensii in piscibus, hujus etiam in platano colenda studium adnotatur. Hi autem amores fuere. Sed luxuriæ plenissime absolvit Plinius H. N. XXXIII, 11, qui nonnisi duo pocula argentea Mentoris manu sculpta, nec præterea quidquam cælati habuisse refert, illis etiam propter verecundiam uti non ausum, æratisque tricliniis usum esse, XXXIV, 3. Igitur ne in iis quidem fuit, qui lances illas argenteas ingentis ponderis haberent, quas multis Sulla dictatore proscriptis exitio fuisse idem scribit XXXIII, 52; conf. Heindorf. ad Hor. Serm. II, 4, 41. Neque igitur Crassus fuit, qui balneas calidas in ipso mari faciendas curavit; v. Plin. H. N. XXXI, 2; sed possedit tamen.

40. Mature in forum sese venisse, tum ipse apud Cic. De orat. I, 11, 17; III, 20, pronuntiat, tum inde repetierunt auctor Dialogi de oratt. c. 34, et Quintil. XII, 6, 1. Confer etiam Officiorum Ciceronis II, 13, quem locum emendavit Ruhnk. ad Rutil. II, p. 108, assentientibus Wyttenb. Bibl. crit. I, 3, p. 26, et Reiz. in marg. ed. Ernestianæ; quos auctores libentius sequimur quam Heusingerum et Gernhardum, qui lectionem parum probabiliter mutantes ab offensa muniunt. Sed puerum se ap. Cic. l. c. cum dicit, contemptim dictum existimabimus. Fuit enim, ut ex annorum computatione efficitur, natus annos XXI, cum C. Carbonem postularet, ut erraverit auctor Dial. de oratt. l. c. nonum et

decimum ponens. Sic de Lambini et Pearcii conjecturis, Ciceronem contra fidem historicam corrigentibus, satis dictum est... Legimus etiam apud Ciceronem, nunquam Crassum nisi quæstorem a foro afuisse, et mature in summorum oratorum venisse numerum. Sed quod Carbonis accusati eum pœnituisse dicitur Verr. IV, 1, neque Crassi ingenuitati, neque ætatis ejus consuetudini consentaneum est, sed pro Ciceronis excusatione habendum. [Non assentitur Westerm. p.115.] Secunda magni momenti causa est, quod in celebri illo judicio Liciniam virginem, genere sibi junctam, defendit... [V. fr. p. 146-157]... Apparet seniorem ætate paucas vel adeo nullas causas egisse publicas, non aptiorem, sed propensiorem haud dubie, quæ dignior est oratori provincia, concionibus et senatus deliberationi. Deinde causarum privatarum quinque nomina exstant. [V. n. 9-13.]

41. Perpauca esse quæ Crassus scripsit, nec ea judiciorum, in Oratore Ciceroniano c. 38 legimus; nec fere, quot verbis habita esset, tot etiam scriptam orationem idem auctor in Brut. c. 44 affirmat, cum de judicio virginum, tum de suasione legis Serviliæ. De oratione censoria non satis posse judicari dicit, cum exposita tantum capita, non explicata, nec nisi commentaria rerum paulo elaboratiora videantur...

42. L. Crassus omnes ferme, qui tunc erant, nobiles, præter P. Rutilium et Q. Catulum, ab eruditione videtur superasse. Quippe L. Cœlio Antipatro usus magistro (Cic. De orat. II, 12, Brut. c. 26) non Archiam modo poetam et eloquentem familiaritate amplexus est (Or. pro Arch. c. 3), sed etiam Athenis commoratus philosophos de suo et oratoris artificio disputantes audivit, Metrodorum in primis et Charmadam. V. Cic. De orat. I, 13 et 20. Quin etiam ibid. II, 1, Græcam locutus linguam dicitur, tanquam aliam non nosset. Hoc loco multus est Cicero in refutanda opinione vulgari, qua prima puerilis eruditionis elementa Crassus non credebatur egressus. Et fuisse aliquid in eo artium dissimulationis tum ex eo conjicere possumus, quod diligenter locutus dicitur, id quod orationum fragmenta plenissime testantur, tum quod Græca vertendi morem habuit secundum Cic. De orat. I, 34, et Quintil. X, 5, 2, qui et Ciceronis fuit et Messalæ; tum quod juris peritus fuit, et si non tam ab omni parte cautus, quam Scævola, magister ejus, elegantior tamen. Vide

Brut. c. 44, De orat. I, 42 et 45; II, 33. Etiam illud consilium juris in artis formam redigendi non totum de suo Crasso subjicere videtur potuisse. Horum locorum potiores non legerat Buttmannus ad Quintil. Spaldingii XII, 11, 4, de testimoniis Ciceronis ambigens, cum uno illo loco De orat. I, 42, non de respondendo agi observet. In laudibus Crassi oratoriis cum ineptum foret, Ciceronem superare velle, qui in Bruto c. 38, 42-44 et 53, omnibus ingenii nervis et elegantiæ coloribus imaginem ejus pinxit, nihil nisi ejusdem et aliorum testimonia hic illic dispersa colligere lubet. Quem igitur in Or. pro Rabir. perd. c. 9, et De orat. I, 9, cum Antonio omnibus eloquentibus præstitisse dicit, eundem pudore mirificum De orat. I, 27, tum vehementem ib. II, 45, salibus, lepore, facetiis affluentissimum ib. c. 54, Offic. I, 30 (et vide exempla ex Crassi fragmentis collata); actionis gravitate et elegantia eminentem De orat. III, 9, et 12 in altercando felicissimum ostendit. De lepore Ciceronis laudes repetit Quintil. VI, 3, 43; de gestus gravitate idem consentit XI, 3, 94. Inde dignus visus est, cujus nomen pro optimo patrono diceretur, ut fit in Or. pro Quinctio c. 26, Div. in Cæcil. c. 8. Consentiunt Auctor ad Herenn. IV, 2, Velleius II, 9 et 36, auctor Dialogi de oratt. c. 26, qui Julio Secundo, minus vehementi, sed beatissimi ingenii viro, Crassum videtur comparare c. 11 fin., ut Apro Antonium; conf. Macrob. Sat. V, 1, p. 60 Bip. Fama oratoris insignis Plinio Majori prodita XVII, 1, et alibi. Quin etiam artificiosam nonnullorum σύνθεσιν, qua parte veteres maxime claudicabant, in Oratore c. 65 et 66, laudavit Cicero et Quintilianus IX, 4, 109. Quis fuerit *Lucius ille* (al. *Lucilius*) *Septimius*, quem Priscianus ex Cicerone Or. pro Vareno sese ad illius imitationem contulisse refert (III, 7, p. 135 sq. ed. Krehl.), quod idem habet Quintil. VIII, 3, 22 (conf. P. Victor. Var. Lectt. XIV, 23), ut Erucium Antoniastrum vocat, non satis ostendi potest. Majus est, quod sicut Cotta Antonii gravitatem imitando non assequebatur, ita Sulpicius, indole egregius, sed cultu carens, a Crassi, quem consectabatur, maturitate et lepore aberat. Vide Brutum c. 55. Jocorum quidem, leporis, urbanitatis vix aliqua ad nos pervenire notitia potuit; actionis vis et artificium, ad audientium affectus potentissimum, sensum legentium fugiunt: at maturitate ingenii, verborum vehementia, delectu, elegantia, affectibus non

miserabilibus illis et ad fletus clamoresque judiciorum accommodatis, sed grandibus et sanctæ indignationis quasi plenissimis, ne ipsum quidem Ciceronem majorem posse videri persuasum habeo. Neque, si nihil de Crasso sciremus præter divina illa verba apud Cic. De orat. III, 2, vera illa, quæ proposuimus, esse dubitaremus.

Sub Cæsaribus ejus memoria exaruit. Nam neque in Plinio, neque in Frontone, neque in Gellio ejus mentionem fieri reperimus. Hi autem æquales ambo nimium antiquitati dediti politius Crassi ingenium, sed neque multis neque elaboratis monumentis consignatum, negligebant, Catonum, Scipionum, Gracchorum studiosissimi.

43. Proximo magnos viros Crassum et Antonium, sed tamen longiore intervallo consecutus est *L. Marcius Q. F. Philippus*. De hoc egit Brossius in Hist. Acad. Inscr. et Litt. elegg. vol. XXVII, p. 406 sqq., magis Romanas res eo tempore gestas quam rem oratoriam respiciens. Eadem ferme qua Crassus ætate fuisse videtur, natus a. 614 vel 615; neque concedendum Brossio, nimis liberaliter a. 600 vel 610 constituenti. Gessit enim, ut probabile est, a. 644 quæsturam, a. 649 tribunatum plebis, in quo magistratu legem agrariam tulit, sed abjecit, cum senatus contra nitentis voluntatem cognovisset (Cic. offic. II, 21). Ædilis a. 652 cum M. Herennio videtur fuisse, neque ullum in eo magistratu munus edidit, unde sine omni quidem largitione summos sese consecutum honores dicere potuit, sed non semel in petendo repulsus est, ut ante jam in tribunatu militum (Cic. Pro Planc. c. 21), tum consulatum, suo jam anno præterlapso, ambiens, M. Herennium sibi prælatum vidit (Brut. c. 45, Pro Muren. c. 17). Nam cum prætor fuisset a. 655, repulsus est a. 660, neque prius consul factus, quam a. 662, cum Sex. Julio Cæsare, homine nullius, ut videtur, numeri neque ponderis. Hujus consulatus partem in Crasso tetigimus; res omnes ex Appiano, Dione Cassio, Floro, Velleio, aliis, a Brossio collectas rursum exponere non placet, quia non historiam scribimus. Adde Liv. epit. LXXI, et Freinsh.; Valer. Max. VI, 2, 2; IX, 5, 2. Spectat etiam hunc consulem titulus Termessensium ap. Grut. Corp. inscript. II, p. 50,0 et I, p. 75. Censor cum M. Perperna a. 667, Urbe a Marianis insessa, nihil egit bono cive

aut viro forti dignum. Nam avunculum suum, Appium Pulchrum, quod Sullanis partibus ex affinitate favere videretur, in senatu legendo fortasse non invitus præteriit (Cic. Pro domo c. 32), consensit etiam ut libertini in XXXV tribus dividerentur. Principem senatus, Scauro nuper defuncto, L. Valerium Flaccum legit. Ipsum postea principem fuisse senatus nullis Brossius demonstrat argumentis, ut Flacco Q. Catulum successisse, Philippo non interjecto, existimem. Urgente reipublicæ necessitate, bello, credo, sociali imminente, cum inimicis in gratiam redisse fertur (Cic. De prov. coss. c. 9). Verum horum potissimi, Drusus et Crassus, jam exstincti erant. Sic et tumultu Cinnano arma non cepit, judiciumque Varia lege crebro exercitum intactus effugit. At in tumultu Lepidi fortem et constantem civem egit, ut ejus præcipue sententia Lepidus a Catulo collega Italia pelleretur. Vide Sallustium frag. I, 22 ed. Haverk.

Sic et post optimatium partes sectatus, a Rullo trib. pl. Cicerone Cos. septem tyrannis, Sullanarum partium principibus annumeratus videtur. V. Cic. De lege agr. III, 1; conf. Middleton. in *Vita Ciceronis* I, 3, p. 158.

Moribus haud insuavis, sed luxu a vetere Romano alienior videtur fuisse. In primis insanam in piscinis struendis et colendis operam posuit, eorum, quos stomachabundus olim Cicero piscinarios appellavit, ætate primus, ut Hortensio et Lucullo suo exemplo viam præmonstrasse videatur. De hac re testimonia vide Varr. R. R. IV, p. 246 ed. Bip., Plin. H. N. IX, 54, Columell. VIII, 16, et, qui sua ex his duxit fontibus, Macrob. Sat. II, 11, p 365 ed. Bipont. Quo ultimo loco bis *Lucilii* nomen pro *Luculli* editum est, nemini animadverso errore, quamvis loci Varroniani insit mentio. De oratoriis Philippi virtutibus Ciceroni Brut. capp. 45, 47, 50, De orat. I, 7; II, 61 et 78, Offic. I, 30, nihil adjiciendum ducimus; id solum notasse contenti, magnam ejus indolem nullis artibus eruditam videri. Nam hoc est, quod imperatus adeo et incautus collocationis et ordinis ad dicendum processit, ut ipse dixerit, se primum quod habiturus esset verbum nescire, sed cum brachium concalefecisset, tunc sese solere pugnare. Concione igitur modesta non satis dignus, turbis et clamoribus aptissimus, dicendæ sententiæ mediocris, judiciis impar visus est. Dicacitatem malo sane Bros-

sius l. c. p. 409, testimonio munit, huic tribuens, quæ apud Cic. De orat. II, 54 a Catulo adversus ipsum Philippum dicta referuntur. Verba quædam ex ejus oratione de lege agraria retinuit Cic. Offic. II, 21; faceta quædam dicta idem De orat. II, 54, 220; 60, 245; 61, 249 (conf. Offic. I, 30); exstat ejus de Pompeio honorificum testimonium Cic. Pro l. Manil. c. 21, Philipp. II, 8... [V. fr. p. 159 sq.] Lectum ob dignitatem esse, qui Sullam pro rostris laudaret, ex Sallustio et Servio ad Virg. Æn. IX, 246, Brossius cum collegit, sine idonea causa fecisse videtur. De Rhett. ad Herenn. IV, 36, alio loco dicam.

44. Sequuntur iterum æquales quatuor, quorum unus seditiosa libidine transversus actus, in cursu cecidit, alter hostibus patriæ suisque inimicis immeritas pœnas dedit, *P. Sulpicius Rufus*, *C. Aurelius Cotta*, *C. Curio*, *C. Cæsar Strabo*. Horum res ita exponemus, ut, qui primi occiderunt, primi absolvantur, etsi annis fortasse paucis minores; Cottam autem et Curionem, quod post Sullam demum defunctum inclaruerunt, ad sequentem ætatem remittemus. Natus est *P. Sulpicius Rufus* a. u. 629, eodem, quo Cotta. Nam in Bruto c. 88, decem annis Hortensio major dicitur anno 639 nato. Adolescens accusato C. Norbano inclaruit, maximi ingenii documentis datis. Quæstor anno post fuit, a. 660, C. Valerio, M. Herennio Coss. Mox exardescente sociali bello cum parum afuisset, quin lege Varia peteretur (De orat. III, 3), anno ejus secundo legatus sub Cn. Pompeio Strabone, Marrucinos recepit, aliamque utilem bello operam navavit. Mox L. Sulla, Q. Pompeio Coss. (a. 665) tribunus primum operam bonis navavit, impedienda lege de exsulibus qui causam non dixissent, et C. Cæsari ex ædilitate consulatum petenti resistendo. Qua in re P. Antistium adjutorem habuit. Tum quotidie concionantem Cicero audiens penitus ejus dicendi genus perdidicit. V. Ascon. ad Cornel. (p. 66, 77, 80 ed. Orell.), Cic. De harusp. resp. c. 20, Brut. c. 63 et 89. Asconii locum bene Vossius emendavit ad Velleium, p. 758 ed. Ruhnk. Mox perniciosis legibus latis avidus potentiæ repente a senatu dissidens, Sullam urbe cedere coegit; sed eodem cum exercitu adveniente cum duodecim aliis hostis judicatus est et interemtus. Ad plebem transisse Sulpicium, cum tribunus plebis fieret, nullo auctoris testimonio ostenditur. Tamen patriciam Sulpiciorum gentem credideris,

nec ante hanc ætatem tribunum plebis eo nomine reperimus. Sed Ser. Sulpicii ICti, qui cum M. Marcello consul fuit a. 702, et cujus cognomen Rufi cognationem cum nostro demonstrat, filium tribunum habuit annus 706; et alius P. Sulpicius trib. pl. dicitur in Verr. I, 10, ut totam gentem plebeiam factam dicas. Ceterum de conatibus et morte nostri Sulpicii v. Auct. ad Herenn. II, 18; I, 15; Vellei. II, 18; Appian. B. Civ. I, 60; Plutarch. Sull. c. 10; Liv. epit. LXXVII. Cur cum Q. Pompeio Cos., cujus primo illo tumultu filius occisus est, acerbissimas offensas habuerit, cum ante conjunctissimus fuisset, non traditur. V. Cic. Læl. c. 1, 6, De orat. III, 3. Orationes scriptas non reliquit, qui genuinus hujus ingenii fœtus essent. Nam quæ vulgo ferrentur, eas P. Canutius, homo doctus, eques R. scripsisse creditus est. [V. fr. p. 164 sq.] Et Sulpicius ipse confessus est, se neque consuesse scribere, neque posse; nec enim doctus fuit. Quare omnia casui et ex tempore dicendi periculo commisisse credendus est; vir natura magnus, acer in primis et tum verborum insignis volubilitate, tum actione grandi et venusta. Hæc enim quæ natura dare possit, maxima in eo fuisse, Cicero Brut. c. 55, De orat. I, 29; III, 8, concedit; defuisse autem artem, sanitatem et leporem. Ita Crassi quidem similem voluisse fieri, sed natura totum ab Antonio pependisse ibid. II, 21, recte judicatur. Verbo de laudibus assentitur Velleius II, 9. Reliqui tacent; nam neque scriptum quidquam reliquit, neque fama, nisi Ciceronis prædicatione, quem ambitiosum laudatorem vulgo cognorant, sequenti ætati innotuit.

45. Tunc fuit etiam *C. Julius Cæsar Strabo* [etiam *Vopiscus* et *Sesquiculus* dictus, secundum Mar. Victorinum De orthogr. I, p. 2456], Q. Catuli majoris frater, matre ejus Popillia secundis nuptiis L. Cæsari Sex. F. juncta (Cic. De orat. II, 11). Natus videtur anno fere 627, ut quatuor vel quinque et viginti annis fratre minor fuerit, quem a. 631 magistratus petisse consentaneum est.

Quæstor fuit a. 658; nam a. 663 ædilis erat, Cn. Pompeio, L. Porcio Coss. V. Cic. Brut. c. 89. In hoc magistratu quotidie accuratissimas conciones habuit, tum de universa republica, tum ut extraordinariam consulatus ex ædilitate petitionem ab invidia defenderet. Qua in petitione adversarios, ut acutissimum P. An-

tistium, ita P. Sulpicium vehementissimum habuit; quorum discordiæ Asconio ad Scauranam Cic. (p. 24 ed. Orell.) belli civilis causæ fuisse dicuntur. Quippe quod furiosa Sulpicii mens his altercationibus ad totam nobilitatem evertendam accensa est. Mox anno 666 seditione Cinnana reducto Mario, C. Cæsar cum L. fratre, qui triennio ante consul fuerat, innumerisque aliis trucidatus, caputque in rostris positum est. Multi et noti hujus rei auctores.

Enumerantur, quæ gessit munera et honores, præter ædilitatem, decemviratus agris dandis ex lege Drusi, et pontificatus sacerdotium in inscriptione vetere, quam primus protulit, quod sciam, Pighius Ann. p. 199. Laudum oratoriarum ejus in primis celebratur lepos et facetiarum plenum genus dicendi. V. Cic. Brut. c. 48, 60, quem locum repetit Quintil. XI, 3, 129; De orat. II, 23 et 54; III, 8, quem locum videmus ap. Non. de adverbiis v. *Hilare*; Offic. I, 30 et 37; Tusc. V, 19. Quare de facetiis et sale disserentem libro De oratore secundo Cicero inducit, laudatque hic illic exempla ex ipsius orationibus desumpta. Præterea in sex patronis fuisse dicitur, ad quos, qui neque Crassum neque Antonium habere possent, confugiebant (Brut. c. 57). Et est perspicuum, cur, quamvis culto ingenio et diligenter locutus, tamen in principum numerum non pervenerit. Deerat enim vehementia. Sic et tragœdiæ, haud dubie de Græco conversæ, ut eruditionis testimonium edebant, ita nervis carebant. Harum præter l. c. in Bruto, apud Asconium ad Scaur. l. c. exstat memoria. Sic Victor. De orthogr. I, p. 2456, primum hunc vocali omissa, quam vetus consuetudo interponebat, tragœdiam ab eo Tecmessam inscriptam ostendit. Festus v. *Prophetæ* duos satis elegantes ex Adrasto versiculos adducit. V. et Donat. in Vita Terentii. (Conf. Weichert. Reliq. poetar. p. 127.) Accipias igitur de hoc Cæsare quod Valer. Max. III, 7, 11, L. Attium ei in collegium poetarum venienti non assurrexisse ait; quod Corradus ad Brut. c. 28, de Sex. Cæsare nescio quo dictum, Gyraldus autem propterea duos Attios fuisse censuit, quod dictatorem Cæsarem intelligebat... [V. fr. p. 160 sq.] Orationes fortasse non satis elaboratæ erant; quare a grammatico advocari in testimonium poterant, sed a Plinio min., Gellio, Frontone, aliis præter Priscianum, qui unus locum servavit, tacentur.

46. Sequitur tertia eloquentiæ Latinæ ætas, a Sulla inde dictatore ad finem libertatis deducenda, quam ab ejus principe Ciceronianam dixerimus, etsi sunt antiquiores et a Cicerone ipso exemplo habiti. Quid extulerit ad id fastigium eloquentiam, ut elegantissimus Quintilianus Tullium Demostheni componere non vereatur, facile potest intelligi. Nam est liberarum civitatum proles et alumna eloquentia, nec tamen, si veteres spectes, optime constitutarum, in quibus Lacedæmonia taciturnitas suo et jure et loco fuit; sed earum, qui vel magnitudine vel alia qualicunque labe turgere inceperunt, et tum patrii moris oblitæ vitiis suis in perniciem irruunt, tum in sua viscera sævientes, viribus denique fractis, dominum haud invitæ accipiunt. Neque tamen solis turbulentorum civium conatibus, seditionumque strepitu, ut vult auctor præstantissimi illius Dialogi de oratoribus c. 34, suo seculo et imperatoribus obnoxius, alitur eloquentia; sed est in civitatis liberæ habitu et vita aliquid, quod vires ingenii excitatas ingentem in modum erigat, tollat, augeat; nihil magis homines allicit, tenet, demulcet, quam scire, ingenii præstantia, si præsertim accedat honestas, omnia posse effici; neque hanc ambitionem, sed egregiam humanæ mentis fiduciam duxeris, non modo dignam homine, sed etiam necessariam, quoniam motibus animi magnis et laudabilibus nihil æque inservit. Sic Attica, sic Romana crevit eloquentia; obmutuit utraque et in declamationum scholasticarum puerilia abiit acumina, cum libertas sentiendi et dicendi tolleretur. Vulgus autem hac ætate, quam tractare ingredimur, ut semper, impolitum et rude, non admodum doctrinæ et cultui favebat; neque absonum est, hanc ab hominibus eruditis dissimulatam, quo tempore scena mimorum ludibriis et saltatorum impudicitia inquinata est, quo nulla fuit historiæ scriptio, et carmen epicum jejuna rerum gestarum enarratione constabat. Artes quidem nonnulli reconditiores tractabant; præter Ciceronem Cotta, Lucretius, Brutus philosophiam; Ser. Sulpicius jurisperitiæ artem, M. Varro et P. Nigidius Figulus omnem antiquitatis disciplinam. Verum hi inter multos paucissimi. Nobiles sane et qui ad nobilitatem emergere cupiebant, Ciceroniano more erudiri voluerunt, quamvis hunc virum nemo elegantia voluntatis aut indefesso studio æquaret; neque Calidio, Cœlio, Bruto, Calvo, multis aliis objici poterat, rudes esse literarum humanio-

rum. Unus Hortensius nihil præter dicendi opus, neque id artificiose, colere voluit. Sic Græcarum literarum notitia magistris, peregrinationibusque juvenum et magistratuum Romam pervagata est, ut mox horridus et parum cultus videretur, si quis Græca lingua non ut vernacula uteretur. Ita sine interprete primum senatus audivit Molonem Apollonium pro Rhodiorum, suorum civium, præmiis dicentem. Testes Cic. Brut. c. 90, Val. Max. II, 2, 3. Nam ignarum Latini sermonis Molonem ex Plutarchi Vita Ciceronis ostendit Spalding. ad Quintil. VI, 1, 14. Sic ars eloquendi, olim natura, non cultu genita, res multi studii facta est (Quintil. XII, 10, 39 ; conf. nostra § 9). Ceterum literarum studia post tumultum Sullanum Romæ increbuerunt acrius ; sed in Latio et tota Italia belli cladibus oppressa sunt. Conf. Cic. Or. pro Archia c. 3.

47. Sed eodem, quo hæc ars inducta, tempore mutatus est mos juventutis educandæ. Si pauca antiquæ disciplinæ, ut Cœlii, exempla excipias, deductionem adolescentum ad viros virtute et experientia præminentes mansisse non reperies. Quid enim, si a Cicerone et Catone discedas, paucisque aliis, quid juventus a ceteris viris eo tempore magnis boni aut honesti discere potuit ? Num dabat aliquid boni exempli Cn. Pompeii mobilitas, qua mox senatum tueri, mox popularem auram captare affectavit, et modo Ciceronem auxit, modo Cæsarem ? Quid C. Cæsaris, quamvis summi, violentus consulatus et Catilinariæ perduellionis suspicio ? Quid Q. Hortensii inanis elegantia, et puerilis atque indigna luxuria ? ut Clodios Vatiniosque taceamus, et Milonem, magis reipublicæ temporibus utilem, quam ulla honestatis nota conspicuum, et turbam aliam hominum consulatibus et censuris decoram, sed nulla re libera republica dignam. Solus Cicero, quamvis ne ipse quidem sibi et aliis judex satis severus, juvenes discendi cupidos circa se congregabat, et non modo exemplo ostendendo sed etiam docendo et ipse declamitans erudivit. Ita magnopere valuit in Bruto, Cœlio, Calvo oratoribus fingendis; qui si illo minores fuere, hæc non magistri, sed naturæ et discipulorum culpa. Hunc morem ad extremum usque vitæ tempus retinuit, ruentis reipublicæ solatium in erudiendis Dolabella, Pansa, Hirtio quærens. Vide Epp. ad divv. IX, 16, 18 ; conf. Senecam Controv. I præf. p. 63 ed. Bip. Apud Quintilianum VIII, 3, 54, Pansæ

nomen lectionis corruptela incertum est, neque in Ciceronianis locus exstat, quo nomen ejus afferatur, cum Dolabellæ et Hirtii sæpius fiat mentio. Sed rursus Pansæ nomen illis additum videmus Quintil. XII, 11, 6, et a Suetonio De clar. rhett. 1, p. 30 ed. Wolf. Et Wolffius alterius loci Quintilianei memor, nimium severe Pansæ nomen etiam de Suetonio tolli vult. At hunc virum ob eloquentiæ studia dilectum Ciceroni fuisse liber ei inscriptus ostendit *De arte,* quem Nonius commemorat p. 30, v. *Inaudite* [p. 126, 17, ubi *ad Pansam;* et similiter p. 509, 17 et 92, 21, ubi *lib. III* commemoratur]. Quin etiam Plancus ob elegans ingenium ad has exercitationes admissus est. V. Ruhnk. ad Vellei. II, 63, p. 285. Quod si quis negare vellet, eadem de causa, quæ in Pansa obtinet, fieri liceret. Nam neque apud Ciceronem neque apud Quintilianum disertis verbis memoratur. — Sed multi hac ætate rhetores Romæ increbuerunt, ad quos studiosi juvenes sese conferrent declamaturi. Tales fuerunt M. Antonius Gnipho, quem etiam prætor audivit Cicero (Sueton. De clar. gramm. et inde Spalding. ad Quintil. I, 6, 23); L. Plotius, cui ad ultimam usque senectutem discipuli non defuerunt (conf. § 10); sic Pompeium docuit T. Otacilius Pilitus (Suet. De clar. rhett. c. 3. *); Epidius Antonium et Octavianum (l. cit. c. 4.), et illum etiam Sex. Clodius, de quo frequens in Philippicis Cicero, v. II, 4; III, 9, alibi; conf. Suet. l. c. 5, Lactantium I, 22. — Plurimum autem gloriæ Hermagoras Græce docendo meruit, quem quot locis Cicero, quamvis non pendens ab ejus ore, laudaverit, commemorare supersedeo. Conf. Quintil. II, 15, 14, et ibi Spalding., Belin de Ballu in *Histoire de l'éloquence chez les Grecs,* vol. II, p. 93. Huc pertinet, quod Isidoro Origg. II, 2, tanquam tertius rhetorices inventor cum Gorgia et Aristotele celebratur. Hic antiquiores auctores non satis intelligens, dicere debuit, hos tres præcipue artem, diversas rationes et consilia ineundo, explicuisse. Prohibitos igitur rhetoras non amplius fuisse patet; sed honorifica tamen ea professio non fuit ante mediam Augusti ætatem. V. Senecam Controvers. II, p. 134 ed.

* Cf. de hoc et Plotio, Eusebium p. 150 ad a. 1936: unde mihi plane constat, male de *Piliti* nomine viros doctos dubitasse, *Pitholaum* præferentes.

Bip. Libros de arte oratoria Latinos præter M. Catonis et M. Antonii opuscula paulo minus elaborata, non fuisse ante auctorem Rhetoricorum ad C. Herennium, bene ostendit Schützius in Prolegg. suæ editioni præfixis p. 41. Neque exempla, quæ olim posuimus, hominum audiendis rhetoribus eruditorum fidem derogant auctori Dial. de oratt. c. 19, cum putat, paucos ea ætate fuisse, qui doctos de arte disserentes audivissent. Vide, si tanti est, de recens invecta rhetorica, Polletum in Historia fori Romani II, 5, comprehensa primo tomo Thesauri Poleniani.

48. Quales fuerint exercitationes oratoriæ tum ex Quintiliano in primis et Seneca liquet, tum hanc rem, sed parum copiose, tractavit Cresollius Theatro rhett. IV, c. 6. [V. Westermann. p. 133 sqq., 248 sqq.] Ab hoc traditis quædam addemus non multa, quoniam non universæ eloquentiæ, in primis Græcæ, historiam scribere tentavimus. Commune nomen omnium, quæ in scholis exercitationis gratia pronunciabantur, *declamationum* est, s. ut Græci dicunt, μελετῶν; quas invenisse fertur, cum Rhodi habitaret, Æschines, convenit autem non ante Demetrii Phalerei tempora factum. Sic Quintilianus II, 4, 41. Nimis igitur credulus est Belinus de Ballu l. c. I, p. 146, ex Antiphontis, quæ feruntur, scriptis contrarium demonstraturus. Genus declamationum antiquissimum, et cui etiam Ciceronem plurimum tribuisse reperimus, ut horis vacuis talia etiam senex diceret, θέσεις sunt, *argumenta,* communes loci, de quibus Quintil. II, 1, 9; conf. X, 5, 11, et Sueton. l. c. His opponuntur *hypotheses,* quæ sunt cum rerum complexu, sive personis, locis, temporibus adstrictæ. V. Quintil. II, 4, 24; III, 5, 7; Cic. Or. c. 14 et 36, Top. c. 21. Theses autem dicere, Peripatetici feruntur si non invenisse, sed ex more frequentasse (Quintil. XII, 2, 25). Cognatæ erant ἀνασκευαὶ et κατασκευαὶ, quibus fabulis fides fieret, vel historiis derogaretur; conf. Quintil. II, 4, 24, Sueton. De clar. rhett. c. 1, p. 33 Wolf. Hypotheses tum veræ possunt esse, tum fictæ. De veris non dicimus. Fictas autem *causas* Cicero dixit, teste Seneca Controv. I præf. p. 63, qui *controversiarum* vulgare nomen recentius etiam dicit, quam *declamationis,* quod ante Ciceronem et Calvum apud nullum latinitatis auctorem reperiatur. Declamavit autem innuente Seneca l. c. causas, quæ non absimiles veritatis essent, quales in vita hominum accidere,

probabile videretur. Quod genus tanquam scriptionis materiem præ ipue laudat Quintilianus X, 5, 17 sqq. Quantum rhetores Augusteæ ætatis, ne sanissimis quidem, ut Latrone, exceptis, ab hac veri similitudine vulgo recesserint, testimonio sunt Senecæ controversiæ, vel pueriles illæ, vel portentosæ. Hoc diserte et cum ornatu persequitur Sueton. De clar. rhett. l. c. Præterea mos Græca vertendi, tanquam Crassi et Ciceronis Quintiliano commendatur X, 5, 20; quanquam apud ipsum Ciceronem hujus rei auctoritas non exstat. Sed fecerunt Brutus et in primis Messala, et tanquam usitatum ponit Suetonius l. c. Deinde vel rescribebatur causis veris, vel quod Brutus in Miloniana fecisse traditur a Quintil X, 5, 20, eamdem materiam ab utraque parte aggressi impugnabant vel defendebant; vel etiam in causis actis elaborabant, quod nobili æmulatione idem Brutus et M. Calidius fecerunt. V. Quintil. X, 1, 23. Neque secus Messala et Pollio. Neque defuerunt, qui carmina soluta oratione exprimerent, quo genere Ser. Sulpicius usus refertur X, 5, 4. Recitationes autem, oratoriæ ἐπιδείξεις, ut Græcis vetustissimæ, sic Romanis non ante Augusteam ætatem cognitæ fuerunt; et ab Asinio Pollione inductæ in usum ; v. Lips. Epist. select. centur. XI ad Belgas ep. 48, unde sua, quamvis diffiteatur , Wofilus desumpsit in præf. ad Marcellinam p. XIX sqq. — Varia oratorum artificia sero demum cognita ; non ante Hortensium quisquam partitione aut collectionibus usus est (Cic. Brut. c. 88); in primis autem numerose et apte cadentes verborum comprehensiones hac ætate invaluerunt (De orat. III. 33 et 51) quanquam fere numerosiores veteres Quintiliano et Gellio videntur, quam Ciceroni. Præterea diligenter vox et gestus colebatur, de quibus multus est cum Cicerone Quintilianus. V. de φωνασκῶν numere Pollet. Hist. fori Rom. I, 11.

49. Sic instructi adolescentes ingenuæ indolis ad causas gerendas mature quidem, sed non imparati venerunt; sic de Cœlio, Calvo, Pollione, Bruto accepimus, neque ipse Cicero anno vigesimo sexto in solem, quem dicit, et pulverem prodire veritus est*. Sed pessimo publico invaluit ut accusationes plerumque adole-

* Illi autem, quos ante diximus, fulminibus Ciceronis, quominus in eodem opere elaborarent, deterreri sese passi non sunt, ut pulchre Columella I, p. 21 Bip.

scentulis relinquerentur, progressi autem honoribus magis gratiosi quam terribiles esse vellent. Conf. de adolescentum accusationibus Pollet. l. c. II, 6. Sic ambitio defensorum cum levitate judicum sæpe venalium consensit, ut rei vel maxime noxii eximerentur. V. Cœlium ad Cic. in Epp. ad divv. VIII, 2, collatis 4 et 6.

Hoc perverso more factum, ut frigerent accusatores, paucis neque nobilibus ad hoc munus descendentibus; et ut exultarent potentium audacia noxii. Inde gratia quidem defendendo potentium inibatur, sed cum offensa populi, pleraque recta et sine injusto studio judicantis. Inde exsibilatus Hortensius, cum reum manifesto sontem exemisset; inde a Juventio Laterensi convicium Cicero audivit, quod nimis ambitiose multos defenderet, et dedita opera miserabiles pro sontibus perorationes faceret. Sic invaluit, ut homini honesto in judiciis omnia licerent, facta infecta verbis reddere, probabilia nullo negotio rejicere, vera falsis obruere, ut quam plurimi oratoris opera pœnæ subtraherentur; quod justi et probi viri judicare, nostro tempore nemo ausit, quanquam non modo Ciceroni et Quintiliano XI, 1, 74, sed etiam Stoico Panætio ap. Cic De offic. II, 14, placuit. Nec tamen Varenum, Gabinium, Scaurum, quos ambitiose defendit, ex manifestissimis criminibus eripere potuit. Cf. Valer. Max. VIII, 1, 10; Quintil. IV, 1, 69; VII, 2, 86. Violentiam advocatorum et patronorum ejusdem Scauri causa ostendit (v. Ascon. in Scaur. p. 28 sq. ed. Orell.), ut notissima Verris auxilia, Hortensium, Metellos, Scipiones prætercam. Ceterum oratoribus, quibus olim, quantum dicere vellent, licebat, primum lege Pompeia modus præfinitus est (Cic. Brut. c. 94, et sæpe; Dial. de oratt. c. 38). Invaluit etiam vitiosus mos, ut pluribus patronis causæ administrarentur; neque binis solum, sed ternis, vel senis rei defensi sunt; causa vel ita partita, ut alter expositionem, confirmationem et perorationem alter susciperet, vel utrumque munus quasi integrum singulis servaretur. Sic Cœlii causa præter ipsius operam a Cicerone et Hortensio acta, sic Balbi, et Sextii, et Flacci et Murenæ, imo sex patronis Scaurus defensus, Cicerone, Messala, Hortensio, Calidio, Clodio, Marcello, ut Asconius in argumento causæ p. 20 refert. Post, ante legem Juliam ad duodenos perventum esse, idem Asconius auctor est (ibid.).

50. Orationes autem neque de scripto habitæ (Wolf. ad Marcell. præf. p. XIX), nec nisi capita vulgo, in primis exordia et perorationes, chartis, antequam diceretur, mandata. Nam, ut Cicero dicit, pleræque orationes non habendæ scribuntur, sed habitæ, Tusc. IV, 25; Brut. c. 24; Cat. maj. c. 11, Offic. II, 1; conf. Wolf. l. c. Sic orationem pro Milone primam adhuc Quintilianus legit, minorem ea, quam post elaboratius scripsit, nec ab ulla parte comparandam; qua cur uti voluit tam parum ornata in amici optime meriti periculo, nisi quæ scribendo inchoaverat, meditatione et extemporali calore aucturus? Hoc est, quod diserte Plinius (ut Cicero de Crasso, Brut. c. 44) multa capita in Ciceronianis non scripta sed tantum notata dicit Epp. I, 20, 7, ut pro Murena, et Vareno. Et in Mureniana tamen, Plutarcho teste, fere nimium desudaverat. Quæ causa videtur fuisse, cur Murenianæ pars, vix præter nomenclaturam vel brevem rerum notationem quidquam continens, interiret; omissæ sunt, cum ederetur, pleniores expositiones, ne debiliores legentibus viderentur. Deinde causæ quæ minus bene placerent, vel non bene excidissent, non elaborabantur, sed relinquebantur in commentariis, quales etiam Ciceronis, licet extemporali et perfunctoria opera concinnatos, cum admiratione laudat Quintilianus X, 7, 30. Eumdem de commentariis generatim dicentem consule I, 8, 19; III, 6, 59; Ascon. ad Orat. in toga candida p. 87 ed. Orell. Sic Ser. Sulpicii, cujus tres elaboratæ vulgo ferebantur orationes, diligentissimos Quintilianus commentarios laudat. Etiam Ciceronianas pro Gabinio, Vareno, Vatinio orationes non magis censuerim fuisse elaboratas, quam alteram pro Scauro, ambitus reo, cum repetundarum absolutus esset, quam in commentarios relatam legerunt Quintil. IV, 1, 69, et Asconius l. c. Gabinianæ tamen fragmentum Hieronymus exhibet. Addendus Asconius in Argumento Milonianæ. Neque veri similitudine caret, librum tertium decimum Causarum, cujus testimonio Diomedes utitur I, p. 365, horum commentariorum fuisse. Nam auditione excepta capita non dixerim, præsertim cum Ciceronis manu facta et a Tirone composita Quintilianus dicat.

Videmus inde tanquam peculiare quiddam positum, orationes totidem, quot habitæ verbis sint, perscriptas, quod de Hortensii pro Messala oratione in Bruto c. 96 reperimus. Sic Plinius l. c.

rei natura nisus, cum exempla partium in orationibus recisarum ponit, ex tempore, nonnullis actionibus impenso ostendit, non omnia scripta esse. Velut Cornelianam quatriduo sese egisse scriptum Cicero reliquit. At nulla est hodie oratio, quæ trium horarum tempus impleat, nec omne tempus reliquum testibus interrogandis impendi potuit. Recte etiam Plinius, *Aliud*, ait, *bonam esse actionem, aliud bonam orationem.*

51. Genus verborum a Cicerone demum suam accepit amplitudinem, Græcis etiam auribus dignam ; neque est hoc in iis capitibus, quæ hodie egeant uberiore disputatione. Sed credere non debemus, quanquam alienis plerumque testimoniis nitendum est, omnes Romanos ad eamdem verborum laudem aspirasse. Hoc jam ea de causa fieri non potuit, quod genera dicendi plane diversa eodem tempore celebrata sunt. Asianis oratoribus Hortensius similis, copia et redundantia verborum modo tumorem, modo exilitatem, sententiarum amictu quasi vestientibus. Calvus Atticos consectatus nihil nisi siccum et sanum dum probabat, quamvis optima voluntate sæpe in infelix illud sese calumniandi vitium incidit, quo nihil oratoriæ elocutioni parandæ infestius judicat Quintil. X, 3, 10 ; 4, 3, alibi. Quin fuerunt, et in his idem Calvus, et, quod difficile creditu, Brutus, qui cum exiles et tenues dicerentur, ipsum Ciceronem otiosum et exsanguem et elumbem culparent. Hic tamen , cum paulo plenior Demosthene medium genus eloquendi consectaretur, id effecit, ut neque in grandibus rebus verbis deesset sua vis, neque parvæ proprietate carerent. Brutus autem dum castitatem philosophorum non affectatam exprimere studuit, ab oratoribus paulisper recessit. Sed præter hoc in rebus et generibus dicendi situm discrimen aliud in verbis solis positum animadvertimus. Jam enim homines in dicendo minus versatos alio genere parum culto usos esse necesse est. Hoc de Pompeio arguunt, quæ in corpore Epistolarum Ciceronis insertæ leguntur ab illo conscriptæ. Deinde orta est illo tempore inepta antiquariorum κακοζηλία, nil nisi prisca mirantium, recentia ut abjecta et ornatu carentia aspernantium. In quibus tum Sallustius, tum aliquot annis minores Pollio Asinius, C. Mæcenas, L. Arruntius summa quæque videntur attigisse. Et illum quidem æqualium reprehensio notavit. Pollio vero, cum Sallustium ut Catonianorum verborum impru-

dentissimum furem increpat, in multo minus ferenda sese delapsum (ut fit) obliviscitur; ut Quintilianus X, 1, 113, *seculo priorem posse videri* pronuntiet, auctor autem Dialogi de oratt. c. 21, *inter Menenios et Appios videri studuisse,* non sine sale notaverit Scriptor Pollione inferior, sed oratoria laude non impar, M. Cœlius Ciceronis alumnus, in idem genus vitii non imprudenter incidit. Ostendunt epistolæ, sane facetæ illæ, quod de hoc oratore prædicant Cicero Brut. c. 79, Quintil. X, 1, 115; sed nonnunquam vetustatis ærugine infuscatæ. Nitorem Ciceronis nemo præter C. Cæsarem, artibus pacis parum deditum, assecutus est. Vide de antiquariis Livii sententiam apud Senecam Controv. IV, 25, p. 284 ed. Bip., Augustum apud Sueton. in Vita c. 86, et de perversa eorum imitatione Quintil. II, 5, 21, et Symmach. Epp. III, 44.

52. Mortuo Crasso, Antonio interfecto, paucis et clamatoribus plerisque et rabulis forum tenentibus, *Q. Hortensius* primus agnitus est; ut redeuntes cum Sullana victoria Cotta et Curio superiori ei cederent. Mox tamen Ciceronem æmulum reperit viribus non minorem, eruditione potiorem, qui deinde juncti maximis causis operam dederunt. Circa Ciceronem, et partim ex ejus officina, si Græcum rhetorem cum consule Romano comparari licet, prodierunt *C. Cæsar, M. Cato, Ser. Sulpicius, M. Calidius, M. Cœlius, C. Calvus, C. Curio minor, M. Brutus, M. Valerius Messala.* Sed præmittendi, antequam ad horum res et ætatem pervenimus, seniores, cum quibus tamen vixit Cicero.

Gens Aurelia, ante Auselia dicta, ex Sabinis oriunda, ternis cognominibus in ternas divisa familias, Cottarum, Orestarum, Scaurorum. Primus summum honorem adeptus C. Cotta, cum C. Servilio Gemino Cos. a. 501. Fuerunt autem C. Aurelii Cottæ, de quo nunc dicimus, fratres duo, Marcus Cos. 679, et Lucius Cos. 688; et præterea patruelis L. Cotta, qui ultra præturam non adscendit (Cic. Brut. c. 36 et 74; conf. De orat. III, 11). C. Cotta natus 629, æqualis Sulpicio, quem tamen, cum ante quæsturam gessisse videatur, in tribunatu petendo antevertit. Petebat enim L. Marcio, Sex. Cæsare Coss. quo anno dialogi De oratore habiti feruntur, in annum U. 663 (Cic. De orat. I, 7). Mox tamen Crasso vix exstincto, repetundarum, mox lege Varia postulatus, cum

suas res verbis extulisset, et equitum, qui tunc judicabant, invidiam conflare non esset veritus, antequam ferrentur sententiæ, sponte in exsilium abiit. Hoc est, quod invidia depulsum tribunatu Urbe excessisse Cicero dicit De orat. III, 3. Factum esse primo belli socialis anno Cicero Bruto c. 89 ostendit. Secuta Cottam in exsilio mater Rutilia, virilem P. Rutilii fratris animum retinens. Testis Seneca Consol. ad Helv. c. 16. Conf. etiam Appianum B. Civ. I, 37; Val. Max. VIII, 6. Rediit cum L. Sulla a. 671, Cn. Carbone III, C. Mario Coss. Inde factum, ut ædilitatem, anno suo præterlapso, non peteret, et ne prætura quidem fungeretur; quare, ut Philippus et Curio, se sine munere omnia civi Romano honorifica adeptum dixit. Sullæ vel non satis gratus fuisse, vel defugisse videtur angustias petitionis, quibus parum digni dictatoris suffragio honorem adepti sunt, alii, ut Q. Ofella, temerariam ambitionem morte luerunt. Consulatum enim Cotta cum L. Octavio gessit a. 678, Sulla dudum mortuo. His consulibus rei frumentariæ cura extra ordinem demandata est (Cic. Verr. III, 7). Præterea Cotta tribunitiam potestatem macula, quam inusserat L. Sulla, liberavit, quamvis offensa nobilitate (Cic. fragm. Cornel. p. 25 Schütz. [et Ascon. p. 74 ed. Orell.]). Permisit enim Aurelia lex, ut tribunatu functi alios deinde honores peterent. Conf. Ascon. ad Verr. III, 60. Quales autem Aureliæ leges fuerint, de quibus ipse abrogandis in senatu retulerit, quod Ciceronem Or. pro Cornel. l. c. (p. 66 Ascon. ed. Orell.) dixisse videmus, non satis constat. Illam de tribunitia potestate in his non esse, Asconius ad h. l. consilii incertus ipse adnotavit, neque apud Fenestellam, neque apud Sallustium et Livium quidquam reperit. Legem de judiciis, ut non solam, ita vel ea de re non intellexit Cicero, quod a M. Aurelio Cotta fratre anno demum sequente abrogata est. Potest tamen hoc negotium, de quo C. Cotta consul referre cœperat, in sequentem annum extractum videri. Ex consulatu Galliam provinciam sortitus, cum justo cupidior triumphi fuisset, jam decreto honore fungi non potuit, sed repentina morte exstinctus est (Cic. Or. in Pison. c. 26, Brut. c. 92; conf. Ascon. ad l. c.).

53. Causarum, quas dixit, paucæ, eæque nomine tantum tenus, notæ sunt. Adolescens defendit avunculum P. Rutilium et quamvis pauca nec fucata artibus, tamen oratorie dixit. Arretinæ

mulieris libertatem, Cicerone defendente, impugnavit P. Servilio, Ap. Claudio Coss. a. 674. Titiniæ deinde cum Cicerone affuit in judicio privato vel maximo, cum Curio pro petitore diceret Ser. Nævio (Cic. Brut. c. 60). Nam Oppii causa, quem defendit Cicero, non hunc, sed M. Cottam fratrem spectat. Conf. Quintil. V, 10, 69; 13, 20; XI, 1, 67. Deinde Cn. Dolabellam Cn. F. contra C. Cæsarem defendit a. 676; quem patroni præpollentis vi sibi eripi Cæsar questus est. De hac accusatione, ne ab aliis dicta repetamus, ad Pighium Ann. III, p. 280 coll. 286, relegandos ducimus lectores. Nam fuit alius Dolabella, L. F. a M. Scauro adolescente damnatus. Præterea Cottæ Pro L. Veterio liber primus adducitur a Charisio II, p. 195; quem Veturium fuisse suspiceris, nisi gentis Veturiæ eo tempore memoria vix superesset. Deinde etiam hunc Cottam Veterii patronum fuisse dubitari potest. Dixit enim Cicero in Oratore. c. 38, nihil Cottæ scriptum manere; ut de Messalino Cotta, Corvini filio, cogitare adducaris. Sed hæc tota incerta. Orationem Cottæ in consulatu apud Sallustium secundum veri quandam similitudinem fictam esse consentaneum est. Quæ Cottæ inscribebatur, lege Varia, eam a L. Ælio Cottæ rogatu compositam refert Cicero Brut. c. 56, 205. [V. fr. p. 163 sq.] — His ita positis, locisque in primis Ciceronianis comparatis, de Cotta oratore facile erit existimare. Summum vel inter summos æqualium oratorum fuisse testatur Cic. Brut. c. 55, Epp. ad Att. XII, 20, paremque Cæsari et Sulpicio habitum Asconius scribit ad Cornel. p. 66 ed. Orell. Sed quamvis acute inveniret, limatumque dicendi genus consectaretur, ob laterum infirmitatem a contentione abstinere coactus, ab Hortensio adolescente superabatur, quamvis nomine primas ageret in judiciis (Brut. c. 92). Nihil enim dixit, quod grande esset et elatum, unde Atticus, in Bruto (c. 86) censoris partes agens non sane honorifice de ejus eloquentia existimat. Tamen, ut Hortensius, per aliquod tempus exemplum Ciceroni fuit imitationi propositum. Artis autem et in oratoria facultate expolienda, et in reliquis disciplinis, in primis philosophia, accipiendis, cupidum fuisse, haud improbabiliter existimes. Nam et dialogorum De oratore capita a Cotta sese accepisse Cicero finxit (I, 88; III, 4) et Academicæ sectæ placitis imbutum libris De natura deorum ostendit, cum Epicuri et Zenonis præcepta refu-

tandi huic assignat provinciam; utrumque enim non sine quadam probabilitate facere potuit.

54. Sequitur *C. Scribonius C. F. Curio*. Hujus gens diu intra præturam stetit, ut summos honores primus intulerit is, de quo dicimus. Recenset in raræ felicitatis exemplis Plinius H. N. VII, 12, quod tres continua serie exstiterint e Scriboniis oratores; avus prætorius, cujus Oratio pro Ser. Fulvio de incestu illis temporibus perfecta visa est [V. fr. p. 133 sq.]; alter, de quo nunc dicimus, consularis et triumphalis; tertius, ingenio summo, voluntate pessima, fax belli civilis Velleio dictus, II, 48. Noster C. Curio, quem patrem dicamus licet, natus circiter a. 630, maxima similitudine ignobilis cujusdam histrionis Burbuleii contraxerat agnomen, sic publice etiam in concione vocatus ap. Sallust. Hist. II, ap. Priscian. VI, 11, p. 256 ed. Krehl., unde non satis consultis ceteris auctoribus *Barbuleius* in fragg. Sall. illatum. Sunt autem Valer. Max. IX, 14, 5, Plinius H. N. VII, 12, et ex eo Solinus I, 6; conf. Ruhnk. ad Vellei. II, p. 386. Hi plura eodem loco talium agnominum ex similitudine inditorum exempla proferunt, quorum notissimum est P. Scipionis Nasicæ Serapionis. Curionem vero magis a similitudine motuum et gestus, sane ridiculosi, quam vultus, agnomine auctum aiunt. In re tam clara et multis testata mirari subit, quod Krehlius in illo ipso fragmento Sallustiano, codices sequens, monstrum nominis, *Burbulegium,* invexerit. Codicum errorem jam inaudita nominis terminatio arguere potuerat, præsertim cum editores subinde sic a vero aberrari adnotarint, ut Drakenborch. ad Liv. IV, 44, 6, et X, 6, 1, in *Appuleii* et *Canuleii* nominibus fecit. Quæstor Curio fuisse videtur a. 658, cum eodem anno tribunus fuerit, quo Cotta futurus in hoc magistratu erat, nisi lege Varia postulatus et in exsilium pulsus esset (a. 663). Eamdem etiam Curio timuisse dicitur Asconio ad Cornelianam p. 73 ed. Orell.; quare cum Sulla legatus fuit bello Mithridatico, et Athenarum, Aristionis rebellione captarum, arcem obsedit (Plutarch. Sull. c. 14), et teste Appiano B. Mithrid. c. 60, Sullæ mandato Nicomedem et Ariobarzanem reges in Cappadociam deduxit. Afuisse eum, etiam Cicero Brut. c. 63 et 90, dicit. Sed tribunatum satis tacitum gesserat, postquam semel a tota erat concione relictus (Cic. Brut. c. 89). Reversus in civitatem cum victore Sulla, ædi-

litatem transmisit, et prætura a. 672 gesta, consul factus est cum Cn. Octavio a. 677, anno ante Cottam, duobus post Q. Lutatium Q. F. Catulum. Igitur jure secundum Cic. Off. II, 17, se sine munere honores dixit adeptum. Ex consulatu Macedoniam per triennium rexit, belloque cum Dardanis bene gesto triumphavit (Cic. Or. in Pison. c. 19). Fortuitus est error Andreæ Schotti, qui Pighii Annales supplevit, ad a. 683, p. 308, *Servilium Curionem* exhibentis, vel ex Ms. quodam, teste Ludov. Carrione, *Cæpionem*. Huic provinciam adjectam Achaiam oportet, aut minus accurate locutum Asconium, qui ex illa repetundarum accusatum refert ad Verrin. I, 2. Addit tamen alios non Curionem, sed Oppium quemdam tradere. Sed diserte idem ad Cornel. p. 63 Or., Balearici filium, Nepotem Metellum a Curione olim accusatum dicit; quare Nepos a filio, cui idem fuit agnomen, moriens petierit, ut pari actione inimicum suum ulcisceretur; Curionem autem, ἀντικατηγορίαν minitantem, pactione facta periculum elusisse. Metelli accusati meminit etiam Appuleius Apol. p. 511 Elmenh. (p. 71 Bip.). Postea civem non satis constantem, sed vel ex ore potentium pendentem, vel levi qualicumque animi motu impulsum egit. Verri favit (Verrin. I, 7), legem Maniliam suo suffragio adjuvit (Pro Manil. c. 23), rursum Cæsaris libidini, quamvis cum Pompeio juncti, gravibus sententiis et orationibus in senatu habitis adversatus est, sed frustra (Brut. c. 60, 61). Coluit autem Ciceronis amicitiam (Philipp. II, 18; Epp. ad divv. II, 5), quippe a Clodio verberibus acceptus, cum senex et honoratus pro Cicerone deprecaretur. Sic certe Dio XXXVIII, c. 16. Hac de causa orationem Ciceronis in Clodium et Curionem, sæpius memoratam Quintiliano III, 7, 2; V, 10, 92; VIII, 3, 81; 6, 56; IX, 2, 96, Jul. Rufinian. p. 196 Ruhnk. et sæpius ap. Nonium, non spectare Curionem patrem recte judicavit ad primum Quintiliani locum Spaldingius. Idem tamen eadem occasione non multum abest, quin Manutio accedat, qui patrem Curionem intellexit in Cic. Epp. ad Att. III, 15; ea præcipue de causa, quod Curionis filii et Clodii res nunquam conjunctas memorari existimat. Quod argumentum cum rectius ad alteram partem transferri poterat; tum, qui in judicio de religionibus a Clodio læsis Clodianas operas duxit, et gregis Catilinariæ princeps populum, ut rogationem antiquaret, obsecravit, filiola illa Curionis, ut sæpius

contumeliose Cicero, nonne is Clodianarum eo tempore partium fuit? V. Cic. Epp. ad Att. I, 14. Hunc oratione proscidit Cicero, quam prolatam dolet ib. III, 15, nimirum quæ patrem offensura esset, si scripta in manus hominum perveniret. Nobiscum sentit Schütz. ad Or. in Clod. et Cur. p. 227 sqq. — Mortuus Curio pater a. 700, Cn. Domitio, M. Messala Coss. V. Cic. Epp. ad divv. II, 2.

Causas a Curione dictas perpaucas scimus neque dubia ejus rei causa Brutum capp. 60, 61 legentibus videri potest. Probabile est etiam orationum, quas adspiciendas saltem censet Cic. l. c., majorem partem in senatu vel pro concione habitas esse... [V. fr. p. 165 sq.] Eruditione Curio cum prorsus careret, actione ridicula, memoria nulla uteretur, verborum sola bonitate, quam usu domestico acceperat, in oratorum numerum venit. Sic in Brut. c. 58 Cicero judicat, de memoria idem confirmans Orat. c. 52. In eodem Cicero vituperat apud Quintilianum VI, 3, 76, quod una semper eademque exordiorum forma uteretur; incipiebat enim nonnisi ab ætatis excusatione. Patrem, non filium Curionem intelligi debere, bene ad h. l. docuit Spaldingius.

55. Deinde sequitur *Q. Hortensius;* in quo non morabimur, quia quid addi possit ad eruditum et copiosum Specimen de Q. Hortensio, Lugd. Bat. 1810 a Luzacio editum? [V. fr. p. 168-172.] *L. Sisennæ* autem laudes oratoriæ Historiarum compositione adeo sunt obscuratæ, ut nonnisi ex Bruto c. 64 et 74 cognoscantur. Adeo ejus oratoris memoria evanuit, ut neque causæ quam egerit, neque orationis fiat mentio, nisi quis huc referre velit, quod Verri favisse dicatur Verrin. III, 45; V, 20. Æqualem Sisennam Sullæ fuisse scimus; non ætate, sed quod eo tempore floruit, ut Catulus minor, Cotta, Curio. Prætor enim fuit a. 675, Lepido et Catulo Coss. Sic Ursinus ad Jugurtham Sallustii c. 98 testatur in ænea tabula apud se esse Sisennæ nomen tanquam prætoris peregrini, Consulibus iis, quos dixi. Repetit idem ad Ciceronis Cornelianam. Filium Cn. Cornelium Sisennam in denariis argenteis exstare dicunt. Inde etiam nomen gentile Cornelium esse Vossius contra Corradum ostendit De hist. Lat. I, 10, p. 44. Pighius autem illo anno quæstorem fuisse vult, quod ætatis causa concedi non potest. Sic enim non multo major esset Cicerone, qui eumdem magistratum a. 678 gessit. Si Velleius hunc

cum Antipatro, Crassi magistro, Rutilio, Antiate, Quadrigario jungit, ea tantum de causa fit, quod historias uno tempore ediderunt. Nam Rutilius haud dubie annis ad minimum triginta major fuit. Hortensio majorem, sed minorem P. Sulpicio et C. Cotta fuisse ex Bruto (c. 64) colligitur. Quorum ætas cum decem annis distet, Sisennam circa annum 634 natum necesse erit, quod cum prætura satis bene congruit. [C. L. Rothe, L. Corn. Sisennæ, hist. Rom., vita. Basil. 1834.] Scripserunt de Sisenna historico Fulvius Ursinus in Notis ad Ciceronem p. 292, Corradus ad Brutum p. 344, et Vossius De hist. Lat. I, 10, p. 44. His addimus Ruhnkenium ad Vellei. II, 9, p. 100, qui opus ejus de bello Sullano non secretum a Romanarum rerum historia fuisse, sed potius ejus partem effecisse censet. Fragmenta horum librorum, qui numero fuere 22, collecta esse, nemo nescit. [Krausii Vitt. et Fragmm. hist. Rom. p. 299 sqq.] Quamvis autem superaverit historicos, qui præcesserant, tantum tamen a summo afuit, ut Cicero in Legibus I, 2, historiam a Latinis literis abesse non veritus sit pronuntiare. Genus dicendi obsoletum et vetustatis ærugine obsitum fuisse, tum leviter in Bruto Cicero notavit l. c. inusitate loquentem bene sese loqui putasse censens, tum Gellius, Varro, Quintilianus ostendunt. [V. fr. p. 168.]

Addamus hoc loco, si notatione eget, nos de M. Tullio Cicerone nihil dicturos. Quid enim a tot auctoribus laudatis vel enarratis addi potest? Nam nec eget is vir laude nostra, et opera ejus omnium imitationi proposita exstant, de quibus facile et certum feratur judicium.

56. Eorum, qui Ciceronis ætati suppares erant, nemo *Ser. Sulpicio Rufo* illustrior. Hic gente antiquissimæ nobilitatis ortus, ut ipse in accusando L. Murena jactavit (Cic. Pro Mur. c. 7), sed majorum culpa tam obscura, ut pater et avus, honoribus non functi, inter equestrem dignitatem subsisterent. Sed vel ad plebem transisse Rufos Sulpicios, vel bis adoptione facta evenisse necesse est, ut P. Sulpicius, de quo egimus, hujus, credo, patruus vel consobrinus ætate major, vel Ser. Sulpicius nostri filius plebeios magistratus gesserint. De nostri Ser. Sulpicii honoribus non satis constat. Sed cum Ciceroni ætate ferme par fuerit, et consulatum illo consule petierit, præturamque quæstionem peculatus sortitus a. 688 gesserit (Mur. c. 20) consentaneum est,

quæstorem fuisse a. 679, ædilem 684. In consulatus petitione repulsus, designatum competitorem L. Murenam de ambitu fecit postulari a L. Postumio, M. Catone et Ser. Sulpicio filio, sed reum, cum a Cicerone consule defenderetur, damnare non potuit. Ita abjecta honorum spe, per decem ferme annos causis agendis et de jure respondendo dedit; in quo negotio non solum singularem scientiam, sed raram etiam integritatem ostendisse fertur. Auctor Cicero Philipp. IX, 5. Temere Luzacius in Specimine hist. jurid. de Q. Hortensio, edito Lugd. Bat. 1810, p. 104, ex loco Brut. c. 41 colligit, Sulpicium causas agere desiisse. Consul decimo anno post fuit (a. 702), collega M. Marcello, sub ipsa belli civilis initia (Cic. Epp. ad divv. VIII, 6). In hoc magistratu cunctatorem increpat Cœlius ad Ciceronem (ib. VIII, 10, et alibi), cum in provinciis sortiendis et Cæsarem vereretur offendere, et Parthos, post Crassi mortem Syriæ imminentes, timeret. Bello civili Cæsaris partes, tanquam tutissimas, amplexus, multis consularibus, ut L. Volcatio, L. Cæsare, idem facientibus, filium etiam Servium adversus Pompeium misit. Improbat hoc Cicero Epp. ad Att. IX, 19. Inde a Cæsare Achaiæ præfectus est (Epp. ad divv. IV, 6, al.), quo loco scriptas complures ad Ciceronem epistolas liber quartus ad diversos continet. Romam reversus, interfecto dictatore, cum libertatis amicis stetit (Phil. I, 1; VIII, 7, al.) et in legatione Mutinam ad Antonium reipublicæ conciliandum profectus, mortem obiit. Hac de re honorifica in senatu sententia dicta Cicero (Philippica nona) ejus statuam in Rostris ponendam censuit. Fragmentum inscriptionis ejusdem vel similis argumenti habemus apud Reinesium Inscrr. p. 504. Filius ejus Ser. Sulpicius paternæ laudis æmulus jurisprudentiæ operam dedisse videtur. Nam affert ex eo aliquid Festus in v. *Municeps*.

57. Si, quam honorifice in primis Quintilianus variis locis de Sulpicio existimet, consideramus, mirum videri possit, quod Cicero, quamvis amicus, minus quam laus ejus viri et mutua benevolentia postulare viderentur, virtutibus præmium concesserit. Nam in Mureniana quidem oratori, τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦντι ignoscamus, si civilem Sulpicio prudentiam non abjudicat, sed cum laude militari (cujus alias minime appetens ipse fuit) etiam eloquentiam concedere non videtur. Sed cum uno tantum loco, Bruti c. 40, 41, de ejus literis judicium ferat, eximiam quidem

eam laudem tribuit, quod cum experientia C. Lucilii, L. Aquillii magistrorum et Q. Scævolæ, qui ante fuerant, jurisconsultorum, illam quoque doctrinam conjunxerit, quæ dissipata componere, confusa discernere, suis quæque capitibus conjungere doceat, et dialectices acumine juris rudem et indigestam molem in artis formam redegerit et illustraverit. Verum addit, Attici indutus persona, assumpsisse Sulpicium eloquentiæ tantum, ut jus civile facile posset tueri; et post, principibus in eloquendo num par fuerit, dubium relinquit. Philippica IX, c. 5, insignem quidem laudem, sed mortui, et tanquam jurisconsulti continet. Juris enim peritia ante Antistium Labeonem et Ateium Capitonem omnibus præstitit, ut libri, Reprehensorum in Scævola capitum, Commentarium in duodecim tabulas, et alii, in summo honore essent. In primis Gellius et Festus horum librorum testimonio utuntur, quorum indices exscribere non libet. At Cicerone liberalior Quintilianus, qui non modo exempla ex Sulpicio petit, velut IV, 2, 106, et VI, 1, 20, sed etiam studium ejus in imitandis poetis laudat X, 5, 4; et acumen tribuens Sulpicio, ut Scævolæ et M. Catoni, facundiam quoque præter alias artes concessam testatur XII, 10, 11; et insignem tribus orationibus laudem sibi peperisse refert X, 1, 116. Commentarios autem reliquarum (ut multas egisse dicatur) accuratissimos confecit (Quintil. X, 7, 30). Una ex his est oratio *pro Aufidia*. Qualis ea fuerit, nescimus; provectiore tamen Sulpicii ætate actam oportet, cum M. Messala Corvinus alterius partis patronus fuisse dicatur. [V. fr. p. 174 sq.] Dubitarunt autem Burmannus, Capperonnerius et Spaldingius, anne fortasse contra Aufidiam Sulpicius dixerit, ut omnium librorum consensu apud Quintilianum VI, 1, 20, refertur. Sed refragantibus locis et pluribus nec unius Quintiliani hoc concedi posse non videtur, nec video, quid inutilium tricarum nuperrimus editor ad X, 1, 22, sibi creare voluerit. Si aberravit, ut solet interdum, non librarii sed auctoris memoria, credam potius VI, 1, 20, præpositionem mutari debuisse, quam Messalæ nomen Sulpicio substitui. Hoc loco non relinquam Velleium II, 36, quo loco cum ceteri interpretes plerique verum prætervidernnt, tum magnus Ruhnkenius nimia emendandi cupiditate manifesto lapsus est. Lectionis diversitatem et Aldi aliorumque rationes ibidem inspici possunt. Sed jam Lipsius p. 858 recte intellexerat, eo loco

non L. Crassum sed M. Crassum triumvirum et M. Catonem Uticensem notari. Nam neque de claris in universum oratoribus Romanis, sed de Ciceronis æqualibus agi, et L. Crassum, M. Antonium, P. Sulpicium alio loco (II, 9) satis esse laudatos. Is igitur, qui hic recensetur cum aliis Sulpicius, jurisconsultus est, et illud *saneque M. Crassum* id ipsum significat, aliqua saltem laude dignum, quanquam non in principibus fuerit. De M. Crasso vide Cic. Brut. c. 66.— Inter lascivos poetas nostrum cum multis recenset Plinius Epp. V, 3, 5; Ovid. Trist. II, 441.

58. Cum Cicerone etiam vixit annis decem vel octo minor *M. Calidius Q. F.* Is est Q. Calidius cujus rogatione tribunitia Metellus Numidicus in civitatem est restitutus. Conf. Ascon. ad Verrin. I, 13. Calidius orator prætorio patre, sed repetundarum damnato natus quæstor fuisse videri potest anno 687 vel 686; tribunus plebis a. 692. Nam prætor eo anno fuit, quo M. Cicero restitutus, P. Lentulo, Q. Metello Coss. (696); qua de re ob insignia de suo honore merita Cicero variis locis splendidissime gratias agit. Nec præterea quidquam de rebus hujus viri, ut videtur, non minus integritate quam eloquentia insignis, accepimus, præterquam quod bello civili partibus Cæsarianis accesserit, et a C. Julio Galliæ Cisalpinæ præfectus Placentiæ diem obierit. Vide Cæs. B. Civ. I, 2, Euseb. Chron. ad a. 1960 : conf. Scalig. p. 143, quem nollem hic et ad a. 1953 dubitasse, *Calidius* an *Callidius* scribendum sit. Eloquendi præceptorem Apollodorum habuit Pergamenum, qui idem Augustum Cæsarem erudivit; testatur Eusebius ibidem. Neque abjectum inter oratores ejus fuisse nomen scimus ex Cic. Brut. c. 79, 80, qui perfectum in dicendo, ornatu, eloquio, gestu elegantem pronuntiat, nec nisi vehementia caruisse dolet. Cum hoc judicio Quintilianus licet conferatur XI, 3, 123, et XII, 10, 39. Ciceronis amicum et ejus dicendi generi et studiis deditum fuisse colligendum videtur ex ejusdem Quint. testimonio, qui eum μελετῆς gratia *pro domo* Ciceronis dixisse testatur; et hoc senior fecit et prætorius. [V. fr. p. 200 sq.] Exempla autem Quintiliani desumpta sunt ex actione in Q. Gallium nobilissima, de qua tamen haud mediocris est dissensio et incertitudo. Nam Ciceronianæ defensionis locus qui adeo placuit τεχνογράφοις, ut varie ejus testimonio uterentur, velut Aquila Rom. p. 144 ed. Ruhnk. et Severianus p. 338 ed. Capper.,

hic quidem, ut ostendat, quomodo sigillatim capita diluerit accusationis (conf. Non. v. *Logi,* p. 63, 16): is inquam locus de genere actionis nihil definit. At ambitus fuisse tum e Severiani verbis elucere videtur, qui pecunias reo objectas esse dicit, hoc est non captas sed distributas; et diserte testatur Asconius ad Or. in toga candida p. 1053 ed. Ern. (p. 88 ed. Orell.). Deinde Ernestus ad h. l. Menardum videtur reprehendere, quod non concoxerit, a Lollio, non a Gallio accusatum Q. Calidium, M. patrem, quem filius illo accusando ultus est. Sed Asconius tum l. c., tum ad Verr. I, 13, diserte Gallium, non Lollium habet. Quid igitur Lollio accusatore faciendum? Ernestus ejus nomen ubique Galliano videtur substituere velle. Mediam viam Pighius iniit, qui Lollium subscriptorem vocat. Et sic profecto est; quod si honorificentius eum Cicero appellavit, ad dignitatem hominis augendam, pro causa sua fecit. Et damnatum Q. Calidium ex Cic. Verr. l. c. et Asconio, tum et ex Or. pro Planc. c. 29, cognoscimus. At Gallius M. Calidio accusante absolutus. Id saltem locus in Bruto videtur significare. Cetera de hac causa sollerter absolvit Spaldingius ad Quintil. VIII, 3, 66, cujus verba ponimus: « Accusatus est a M. Calidio... et admistum causæ ambitus [addimus, ad augendam hominis invidiam] crimen veneficii in Calidio accusatore tentati... Hæc convivii luxuriosi descriptio, in quo versatus fuerit Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis (nam apponuntur hæc quoque apud Aquilam), potest videri parum consentanea defensioni (Cœliana quidem est in accusatione 4, 2 extr. et accusatorie convivium Verrinum notat 5, 11), sed suspicor, hoc pertinuisse ad diluendum crimen veneni, ut Gallius ostenderetur alienissimus ab insidiis struendis in ea compotatione, ubi sibi ipse non cavisset a temulentia. » Hactenus ille. Discimus ex Asconio, actam causam a Cicerone consulatus candidato. Sic recte senserant jam Schottus p. 318, et Fabricius contra Sigonium qui in annum 688 ponendam censuerat. Orationem Calidii in *Q. Cæcilium* quam habet Nonius p. 543 [?], equidem in *Q. Gallium* inscribendam duco.

Alius est L. Julius Calidius (f. Calidianus) poeta; v. Voss. De poett. Latt. p. 25.

59. Verum ex uberrimis Ciceronis disputationibus tum docti multi, tum et eloquentes exstiterunt. Huic enim viro (ut in aliis

magnis ingeniis animadvertimus) illa peculiaris laus fuit, ut non solum omnes adiret humanæ scientiæ partes atque fontes, sed etiam aliis patefaceret, et omnes ingenti discendi studio accenderet. Factum est inde, ut non solum æqualibus honestum videretur, operam literis dare, sed ut ætate juniores vix alium sequerentur, neque ad alium sese applicarent vel institutione gauderent, et laudibus adquiescerent nisi Ciceronis, etiamsi vitæ instituto et morum, ut Brutus, vel aliis postea exemplis imitandis, ut Calvus fecit, ab ejus arte et ratione dissiderent. Proximi sunt æquales duo, ambo oratores, sed ingenio, moribus, vita longe diversi, *M. Cœlius Rufus* et *C. Licinius Calvus*. De illo, quem priorem tractabimus, ante nos dixit vir meritissimus P. Manutius, procemii instar ejus vitam commentariis suis in librum VIII Epistolarum ad diversos præfigens. Cujus viri copiis ita utamur, ut, quantum potest fieri, quæ ille tetigit pleniora reddere studeamus. Gens Cœlia nobilis non fuit ante C. Cœlium Caldum, Cos. cum Cn. Domitio a. 659. Conf. de Cœliorum originibus Pighium Ann. III, p. 28, et 201. Noster tamen cum illa familia nihil commune habet, quæ Ciceronis etiam ætate occurrit, quamvis honoribus non nobilitata. De nominis scriptura res est incerta. Nam et *œ* et *æ* præferentes monumenta ærea et lapidea, quibus nitantur, habent. V. Manut. in Orthographia s. hoc nomine. Præterea etiam nomen sic reperitur depravatum, ut *Cæcilius* pro *Cœlio*, et rursum *Cælius* pro *Cæcilio* legatur. Vide Ruhnk. ad Rufinian. p. 211, probabiliter emendantem; et eumdem ad Vellei. II, 68, qui conferre jubet Plin. H. N. VII, 49, quo tamen loco non omnes codices a vero aberrarunt. Sed alter, quem affert, Plinii locus, XXVII, 2, non satis certus est; et hunc alia opportunitate separatim tractabimus. Appianus præterea et Dio XLII, 22, de nostri Cœlii tribunatu loquentes, mendose *Cæcilium* vocant. Cf. Priscian. VI, p. 243 et ib. varias lectiones. At a Vossio De hist. Lat. I, p. 34, Cæcilii nomen injuria invectum censeo, quod quid hic sibi velit ὁ Καλακταῖος ῥήτωρ, non sane video. Natus M. Cœlius Rufus patre equestri qui in municipio Puteolano negotiaretur, eodem quo C. Calvus, anno, Cn. Carbone III, C. Mario C. F. Coss. hoc est, a. U. 671 (Plin. H. N. VII, 49). Artibus a patre, severissimo viro, liberalibus honeste eruditus est, et ad Ciceronem et M. Crassum ad-

ductus; qui eorum disciplinæ adsuesceret. Sic Cic. Pro Cœl. c. 4, Quintil. XII, 11, 6. Sed forma eximia, ingenio variabili et quod facile a bonis adduceretur, cum altero anno Ciceroni consulatum petenti studuisset, altero Catilinam, qui moribus et corpore etiam nobiles adolescentes sibi pignerabatur, quoad vires ferrent, assectatus est.

Deinde cum propraetore Q. Pompeio, quem sanctissimum Cicero vocat Pro Cœl. c. 31, in Africa fuit, unde reversus prima accusatione. C. Antonii consularis, voluntatem pro republica intentam ostendit. Quæstorem Pighius ponit a. 696, sed nulla auctoritate nisus; equidem non ante Cn. Pompeii et M. Crassi secundum consulatum (a. 698) concedam. Inter quæsturam et tribunatum, qui incidit in annum 701, altera accusatio secundum nonnullos acta esse potest L. Semnii Atratini, quem præturæ candidatum de ambitu postulavit. Hic Atratinus, quamvis vetere, at ignobilissima familia natus, provectior ætate honores videtur petisse, L. Quinctii instar, qui quinquagesimo anno tribunus fuit. Nam filius ejus adultus mox Cœlium de vi et veneficio reum fecit. Hac accusatione tum se ipse defendit, tum Cicero, et exstat hujus oratio. Tribunus plebis, eo anno quo Cn. Pompeius tertio consul fuit (701), cum bonis stetit, Milonis defensor, quin et legi Pompeiæ de vi intercessor futurus, quam privilegium in Milonem ferri dicebat. Conf. Cic. Pro Milon. c. 33, et Ascon. in procemio, Brut. c. 79. Quare summa, ut ait Cicero (l. c.) bonorum voluntate ædilis factus (a. 703). Is erat annus provincialis Ciceronis. Quare cum in ipsa ædilitate Cæsaris commoda sectari cœpisset, recte Ciceronis discessu a sese dicitur discessisse. Brut. l. c. Inde bello civili orto ad Cæsarem transiit, et ab eo in Hispaniam ductus est, neque quæstor Curionis in Africa esse potuit; in qua re Manutius errat, et post eum alii. — Præturam inde gessit a. 705. C. Cæsare II, P. Servilio Isaurico Coss. Cum turbulentas absente Cæsare leges ferret, et debitorum causas violenter susciperet, iratus Cæsari (quam iram jam Ciceroni in Epp. ad divv. VIII, 17 significaverat) Urbe pulsus et, accito Milone cum servitia concitaret, circa Thurios interfectus est. Vide Cæs. B. Civ. III, 20-22, Liv. Epit. CXI, Vellei. II, 68, ibique Ruhnk. et intpp. p. 994 sqq., Dionem Cass. XLII, 22, Appianum B. Civ. II; Euseb. ad a. 1969 et Scalig. ibi p. 145.

60. Moribus iracundus fuit ad insaniam usque (v. Senecam De ira III, 8), vitaque, cum insignem formæ dignitatem impudicæ mulieres et homines luxuriosi expeterent, seculi potius quam sui culpa non satis purus. Inquinatos ejus mores a Valer. Max. IV, 2, 7, Quintil. I, 6, 29, coll. Cic. Epp. ad Att. VI, 1, paucis tangi videmus. Saltatorem (quod quam plenum impudicitiæ et convicii fuerit, scimus) eum appellat Macrob. II, c. 10 extr., haud dubie antiquos secutus auctores. Jam turpissimæ feminæ Clodiæ amores malo documento sunt. Conf. P. Victorium Var. Lectt. XVI, 1, eleganter de loco Catulli Clodiam tangente disserentem. Magnam quoque Catilinam assectati infamiam esse oportebat, nec tantum valet Ciceronis ars, tenebras judicibus, ut ipse dixit, offundendi, quin, quid verum sit, dispiciatur. Inde acerrime inimicitias exercuit. Nam statim, Trebonio prælato, Cæsari succensuit, quamvis ante legitimum annum ad præturam provectus, Appiumque Claudium censorem, qui accusatorem in eum subornaverat, in magistratu lege Scantinia (de incestu, credo, ut par pari redderet) postulavit. Ipse hujus rei testis in Cic. Epp. ad divv. VIII, 12, quamvis de lege non tam certa res est. Etiam cum Cicerone post bellum civile nihil commercii videtur habuisse. Luxurioso vitæ genere ære alieno obrutum non minus suam quam debitorum causam egisse in prætura, ex Velleii, quem laudavimus, loco perspicitur.

61. In oratorum numero Cœlium fuisse, omnis consentit antiquitas, quin etiam clarissimum in iis nomen fuisse constat. Recensemus in iis auctoribus, apud quos verbo tantum ejus mentio fit, Velleium II, 68, Plinium Epp. I, 20. Copiosiores sunt Cicero, Quintilianus, auctor Dialogi de oratoribus. Ciceroniani loci sunt Brut. c. 79, Orat. c. 16 et 50. Ex Bruto cognoscimus, tum elocutionis facetiis et ornatu, tum actionis nobilitate et elegantia præstitisse.

In oratore autem quæ de mœstitia oratoria, s. tristi et severo dicendi genere dicuntur, apprime ad Cœlium pingendum accommodata, et in indole causarum, quas egit, posita sunt. Nam accusando quam defendendo meliorem fuisse tum ex Bruto l. c., tum ex Ciceronis dicto apud Quintil. VI, 3, 69, efficitur. Eumdem delicias antiquariorum captavisse, altero oratoris loco significari videtur. Et profecto ejus ad Ciceronem epistolæ hujus vitii, tum

primum orti, documenta continent. Etiam quam Quintilianus I, 6, 29, ab eo prolatam affert explicationem vocis *frugi*, vetustarum vocum quamdam admirationem ostendit. Conf. § 42, quo loco Spaldingius perperam Cœlium Antipatrum inter media eloquentium exempla positum vult. Hoc nimia, ut solent ii, qui rem ab utraque parte defendunt, cupidine ita persequitur auctor Dial. de oratt. c. 18, ut Galbam et Carbonem imitatum videri dicat, et c. 21 hiantem Cœlii compositionem, sordes verborum, et alia ejus modi reprehendat. Verum c. 25, Secundus æquius judicium, ut Plinius et Quintilianus, amplexus, granditatem consiliorum, dignumque homine libero et principe civitatis futuro dicendi genus justis laudibus tollit. Quintilianus X, 1, 115, multum in eo ingenii fuisse, asperumque in primis accusando cognitum, dignumque, cui et mens melior et vita longior contigisset. Conf. 2, 25. Dignus fuit igitur, ex quo rerum oratoriarum exempla studiosorum imitatione in primis digna excerperet, ut IV, 2, 123. Excerpta ejus sibi a Frontone missa M. Antoninus scribit p. 21 ed. Rom. Post hunc Cœlii tanquam a studiosis lecti mentio non videtur fieri. Nam verba quædam ex orationibus exemplorum instar Festus et Priscianus habent. A doctrina non tam videtur abhorruisse, quam turbulento ingenio moribusque parum probatis a studiorum severitate ad luxum et flagitia abreptus esse. Certe non alium reperio Cœlium, cui librum suum De geometria inscripserit Varro. Sed magis ambitiosi est quam discendi cupidi, quod librum aliquem sibi a Cicerone inscribi vult Epp. ad divv. VIII, 3, quippe ut noscerent homines, quanta non solum familiaritate sed etiam studiorum communione ipse cum Romanorum elegantissimo junctus esset.

62. Restat, ut de causis quæramus, quibus inclaruit, et de reliquiis variorum auctorum testimonio per omnem antiquitatem dispersis. Defensionum, præter notam illam, in qua Ciceronem laboris socium habuit, nullius memoriam accepimus; neque fortasse præter hanc Quintiliani tempore scriptum ex hoc genere quidquam exstabat... [V. fr. p. 193 sqq.] Sed in fr. ap. Festum v. *Creæ* nec constat, quis iste fuerit L. Stertinius sub quo qui orationem habuit, tunc militatus dicitur, cum nonnisi contubernalis Q. Pompeii Roma afuerit; neque apud populum ea ætate quisquam pro se dicebat, cum nonnisi perduellione excepta omnes

causæ publicæ in quæstionibus perpetuis exercerentur. Præterea simplex et prorsus antiquum est verborum componendorum genus. M. Catonis et Cœlii nomen cum etiam alibi permutari videamus, fortasse hic quoque scribæ aberrarunt. Scaligeri autem emendatio (p. 114) quomodo intelligatur, non satis scio. Accusationum, quas tres, omnes e republica, fuisse dicit Cicero, duæ satis notæ sunt : altera C. Antonii, de repetundis, ex Macedonia, quam triennio administraverat (Or. pro Cœl. c. 7, 31; Pigh. Ann. III, p. 334, 40, 41). Injuria disceptant intpp. ad Philipp. II, 23, ejectusne in exsilium, an pecunia multatus sit Antonius. Sed cum hac ætate nullum sola multa delicti culpam luisse accepimus, tum miseria illa Antonii in Vatiniana c. 11, et in Cœliana et in ipsa Philippica II, 38, defleta, alteram sententiam ut rejiciamus, efficit. Nam solum exsilium sic appellatur. Hæc causa acta Cæsare et Bibulo Coss. a. 694, apud prætorem Cn. Lentulum Clodianum, qui usitatius Marcellinus; quo anno tribunus plebis Vatinius, Antonii inimicus, clausula adjicienda beneficio legis reum exclusit. Quod acerbe exprobrat Vatinio Cicero, qui in Antonio defendendo frustra laboraverat. Genus causæ mixtum, de Macedonia provincia male habita, et perduellione Catilinaria; unde factum, ut repetundarum absolutus, majestatis damnaretur. Subscriptores Cœlius habuit Q. Fabium Maximum et C. Caninium Gallum; ut paulo minus accurate Valerius Max. IV, 2, 6, a Caninio damnatum Antonium dixerit... Altera accusatio est C. Sempronii Atratini de ambitu, eodem ferme tempore acta, vel anno ante quam ab illius filio postularetur. Sic saltem a Pighio creditum est. Sed cum filii Atratini ætatem considero, magis magisque in id inclino ut cursum vitæ publicæ et civilis ab hac actione orsum Cœlium credam, nondum quæstorium. Ceterum hujus accusationis nihil præter memoriam exstat. De tertia accusatione non satis liquet. Recepta quidem est P. Manutii sententia, D. cujusdam Lælii fuisse, cujus nomen in incerti loci fragmento Cœliano occurrere viri docti notaverunt ad Quintilian. VI, 3, 39 et 41, ubi festivitatis exemplo positum est. Sequitur hanc sententiam Ernestus in Clave Cic. et Wetzelius ad Brut. c. 79, omnes uno Quintiliano nisi. Neque sane magnopere cum Spaldingio contenderim, utrum *D.* an *C.* Lælii sit prænomen, dum constaret, talem hominem a quoquam

reum actum fuisse. Dissentire et suam ponere sententiam (quamvis non disertis verbis) videbatur magnus Ruhnkenius ad Vellei. II, 68, de confusis *Cœlii* et *Cæcilii* nominibus agens. Componit locos Plinianos H. Nat. VII, 49, et XXVII, 2; qui sic habet: *Hoc* (aconitum) *fuit venenum, quo interemptas a Calpurnio Bestia uxores M. Cæcilius accusator objecit.* Non faceret, credo, Ruhnkenius, nisi de nostro Cœlio cogitaret. Nam si alius est, quid refert, nomini ignoto ignotum substituere? Præterea Calpurnium quemdam Bestiam præturam petentem de ambitu accusatum scimus Cn. Lentulo, L. Philippo Coss. a. 697. Vide Cic. Epp. ad Q. fratr. II, 3. Verum si ea Ruhnkenii mens fuit, quod pro certo ponere non ausim, refelli hæc conjectura poterit ex Oratione pro Cœlio c. 32. Respublica enim duas a M. Cœlio accusationes habere dicitur tanquam benevolentiæ pignora. Quare tertiam Cœlii accusationem post a. 699 factam esse oportet. Neque de Ap. Claudio, lege Scantinia postulato, cogitandum; quam actionem, terrendi hominis causa susceptam, abjecit Cœlius, postquam voluntatem ejus mutatam vidit. Mihi vero persuasum est, significari Q. Pompeium Rufum, tribunum plebis 701, in causa Miloniana seditiosissimum. Hunc damnatum et in exsilium ejectum ex Asconii Argumento Milonianæ scimus; exsulatumque esse Baulis Cœlius ipse in Epp. ad divv. VIII, 1, scribit, et in ultima egestate a sese sublevatum. Hoc explicat Valerius Maximus IV, 2, 7. Coegit enim Cœlius matrem Corneliam prædia suæ fidei commissa filio reddere. Quo loco Valerius quæstione publica a Cœlio prostratum Pompeium dicens, sic, ut diximus, intelligendus est, nec de alio nescio quo Cœlio cogitandum. — Quorsum igitur verba illa Cœlii de D. Lælio apud Quintilianum referenda? Nescio, sed ad Cœlianam in accusando vehementiam non sane pertinere videntur...

63. *C. Licinius Calvus* patre C. Licinio Macro natus a. 671, quamvis vitam disparem gesserit, et propter abstinentiam, vitæque sanctitatem, omnia summa potuerit sperare, tamen eodem ferme, quo Cœlius, tempore præmatura morte abreptus videtur. Etsi nomen contrarium arguere videtur, non tamen ortus est e vetere Liciniorum Calvorum gente, quæ plebeiarum omnium nobilissima hoc primum cognomine usa est. Nam patre Macro ortus, a nonnullis utroque nomine, et Macer et Calvus, appellatur.

Recentem familiam jam in eo agnoscas, quod perpetuo cognomine caret. Quem morem sub Cæsaribus in primis obtinuisse videmus, ita, ut non patres modo a filiis, sed etiam fratres a fratribus peculiari cognomine distinguerentur. De patre, qui ad præturam usque honoribus processit, Historia conscripta non ignobili, vide Voss. De hist. Lat. I, p. 46, et de morte, quam repetundarum a Cicerone prætore damnatus obisse fertur, discrepantem Plutarchum in Cic. c. 9 et Val. Max. IX, 12, 7, τραγικώτερον narrantem.— De Calvo oratore pauca dixere Crinitus et Gyraldus de poetis latinis scribentes, verbo eum tetigit Voss. De poet. Lat. p. 19, et peculiari scripto Burignius (*Levesque de Burigny*) in Historia Acad. reg. Franc. inscriptt. et lit. elegg. vol. XXXI, p. 122 sqq. Sed hæc materiem, quamvis non uberrime fluant fontes, non exhauriunt. Calvus noster honesta disciplina educatus et omni bonarum artium genere imbutus videtur; nam multas et reconditas in eo literas agnoscit Cicero Brut. c. 82, alioqui non æquissimus Calvi judex. Neque moribus ab eo, quod instituit, vitæ genere discrepantibus fuit. Frugi hominem fuisse, tum quod nemo vitæ sanctitatem in dubium vocare ausus est, quamvis liberrime sentiens potentissimorum etiam iram incurreret, tum Valerio Maximo l. c. et Plinio H. N. XXXIII, 11, testantibus intelligitur. Questum enim Plinius ait, quod sua ætate vasa coquinaria ex argento fierent. Nam quod lasciviores paulo versus fecit, hoc cum gravissimis viris, Q. Scævola, Q. Catulo, Ser. Sulpicio, Cicerone, Plinio, aliis commune habet; neque Quintiliæ amores culpabimus, qui sciamus, ne a meretriciis quidem amoribus tunc adolescentibus interdictum fuisse. Cum Catullo in primis conjunctus Calvus vixit, ut Epigrammatum illius LI et XCV testantur. Liberrimum vitæ genus amplexus, ultra quæsturam, quam Pighius in annum 697 ponit, non progressus est, sed cum omnibus familiariter versatus, qui eo tempore gratia et dignitate præstabant, causis dicendis, malisque judicio insectandis populi favorem assecutus credi potest. Nec potentissimi cujusque metu, ut salsissimas reprehensiones taceret, commoveri potuit, non minus libere audax, licet alio modo, quam M. Cato; ut et Cn. Pompeium et C. Cæsarem mordacissimis versibus proscinderet, et palam insectaretur, quos illis acceptos sciret. Cæsari tamen in dictatura reconciliatus est, ipso dicttaore primo invitante, ut Suetonius scribit in Vita

c. 73. Unde ante annum 706 non esse mortuum Calvum colligitur. Sed cum Cicero a. 709 ad Trebonium de Calvo scribat (Epp. ad divv. XV, 21), inde colligas, ante mortuum esse; disciturque ex loco Bruti c. 81, quo tempore liber scriptus est, proxime ante obiisse. Brutum autem scriptum constat a. 706 exeunte, vel ineunte a. 707; v. præfat. nostram. Etiam cum Cicerone, cui ob patrem olim damnatum infensus erat, in gratiam rediit, ut plures quoque epistolæ Tullii ad Calvum exstarent (Prisc. IX, p. 469 ed. Krehl.). Exiguus corpore fuit, quod Catullus amicus, sed qui non semper salibus temperaret, Epigr. LIV risit. Conf. Senecam Controv. III, 19, Ovid. Trist. II, 431. *Exiguus* quid sit hoc versu Ovidiano, primus Scaliger vidit ad Catull. l. c., quamvis videre facile esset. Valetudine adolescens non integra fuit, sed justo labore, sanoque et frugi vitæ genere roboratus est. V. Plin. H. N. XXXIV, 18. Ædes Calvi post ad Augustum pervenere (Suet. Aug. c. 72); nec tamen cum Burignio inde colligam, Calvum inter maxime conspicuos eo tempore cives Romanos fuisse. Hoc autem confidenter poni licet, dolendum esse, quod viro tam egregii ingenii, tam integro, tam diserto, tempora quibus justa harum virtutum præmia consequi posset, non contigerint. [Legenda præstantissima commentatio Weicherti, De C. Licinio Calvo poeta, in Reliquiis poetar. p. 89-146, ubi plura de ejus vita, aliqua etiam de oratoriis ipsius virtutibus.]

64. Calvum poetam sua ætate non contemptum, oratorem autem inter eos, qui siccitatem illam Atticam maluerint, plane eximium fuisse constat. Et Ciceronem quidem infensius de eo judicare in Brut. c. 82 (conf. Epp. ad divv. XV, 21) non mirum videbitur, si recordati fuerimus, quantam multorum reprehensionem summus orator subierit, quod exemplis, quæ adhuc fuerant, vel major utique, vel certe plenior et vehementior esse vellet. Calvum autem quasi principem horum reprehensorum fuisse constat, ut qui nervis carere Ciceronem dixerit; sed et M. Brutum et multo magis Pollionem Asinium ab hac sententia non alienos fuisse compertum habemus. Vide Dial. de oratt. c. 18, Cic. Epp. ad Att. XIV, 20; XV 1, De opt. gen. oratorum c. 4. Exsanguis contra et attritus Ciceroni visus est. Sed longam et iniquissimam litem de principatu eloquentiæ cum Cicerone habuit, judice haru rerum perito, M. Seneca, Controv. III, 19.

Omnes etiam auctores, præter Aprum in Dial. de oratt. l. c., qui Galbam et Carbonem, antiquitate horridos, ei imitationis exempla fuisse dicit, melius de Calvo existimant, quam Cicero. Plinius Epp. I, 2, ea consecutum dicit, quæ pauci, quos æquus amaverit Jupiter. Seneca l. c. et Quintilianus XI, 3, 133, tum actionis vim, qua subsellia excedere impetu elatus et usque ad adversarios transcurrere solebat, tum compositionem ad Demosthenis exemplum severam et rigidam et concitatam extollunt; ut contra senserit ac Cicero, qui κώλοις comprehensiones verborum immiscens, similis fuit antiquis Crasso et Antonio, pleraque sic membratim dicentibus (Cic. Orat. c. 66). Ciceronis igitur compositionem reprehendere Calvus solitus est, et literis etiam ad ipsum datis. V. Quintil. XII, 1, 22; X, 4, 1. Orationes autem omnes et carmina, ut Seneca dicit l. c., ingentis animi plena erant. Quintilianus X, 1, 115, coll. 3, 10; 4, 3; 7, 14, et auctor Dial. de oratt. c. 25 in hoc quidem cum judicio Ciceronis congruunt, quod alter singula verba nimis calumniatum, alter cum bene sciret, quid esset rectum, non tam voluntate quam virium inopia deliquisse dicit; unde factum sit, ut raro assurgeret, eamque vehementiam, qua plurimum pollet oratio, consequeretur. Nonnulla tamen, in primis in Vatinianis orationibus, etiam ab hac parte egregia fuerunt. Argutias in eo agnoscit Appuleius Apolog. p. 551 ed. Elmenh. (p. 99 ed. Bip.) Antiquarium in nonnullis fuisse Quintilianus tradidit I, 6, 42; contra sanctitatem idem X, 1, 115; XII, 10, 12, et judicium X, 2, 25, laudibus fert.

Inter poetas obtrectatores non invenit. Quidquid de ejus carminibus, ludicris licet, neque magnæ famæ, memoratum legas, laudis plena omnia sunt. Vide Senecam l. c.; A. Gell. XIX, 9; Ovid. Amor. III, 9; Cic. Epp. ad divv. VII, 24; Plin. Epp. I, 16. Cicero Hipponactea carmina, Propertius II, 25, amatoria laudat, quæ in Quintiliam fecerat. In Plinio autem Heusingerus Calvi nomen pro Bibaculo invectum putavit a librariis, hoc magis aptum existimans. Sed quanquam Bibaculum mordacem nec sine sale fuisse satis constat, tamen leporis et gratiæ causa parum apte cum Catullo componitur. Nam hic est et Calvus, et alii paucissimi, circa quos omne effloruit, quod venustum et Gratiarum plenum Græcis Romani opponere possint. Sic certe

Gellius l. c. Nam quod Quintilianus Bibaculum Catullo jungit, hoc dicacitatis causa fit, quæ fuit in utroque, testata etiam a Tacito Annal. IV, 34. At jungitur Calvo Catullus apud ipsum Plinium IV, 27, in versibus Augurini, quos Heusingerus pro argumento esse, nescio quomodo, non vult; inter lascivos uterque enumeratur IV, 3. Neque ex Horatio Serm. I, 10, 20, neque ex Propertio II, 19, 40, neque ex Gellio XIX, 9, alterius nomen exturbare licet. Hæc sunt quæ de utraque memorabilis viri laude reperire potuimus. Verbo refelli potest, quod Crinitus in Poett. Latt. 20, poetam et oratorem Calvum diversos esse censuit.

65. Jam ad causas, quas egit, et orationum carminumque reliquias percensendas accedimus. Auctor est, qui scripsit Dial. de orat. c. 21, viginti libros Calvi et unum exstare. Plurima autem horum voluminum parum ad ejus gloriam augendam attulerunt, nec magis Cicerone pro Archia dicente Calvus contra Asitium vel Drusum agens inclaruit (l. c.). Habemus hic duarum orationum nomina. Defensionum duarum Seneca meminisse videtur, Catonis, cum ab Asinio Pollione accusaretur (loco ceteroqui pérobscuro et depravato, Controv. III, 19, p. 232, 233 ed. Bip.), et Messii cujusdam, tribus orationibus defensi (ibid.). De causa Catonis non constat, nisi intelligere velis de repetundarum actione, quam Cæsar Clodio subornato post Cypriacam navigationem minatus est. Verum nec Pollio tam turpibus sese rebus immiscuit, neque ea tum ætate fuisse crediderim, nec denique eam causam in judicium venisse. Messii causa non est notior. Sed credibile est, esse eamdem, quam etiam Cicero defendit ad prætorem P. Isauricum a. 699 (V. Epp. ad Att. IV, 15). Sed quoniam prætoris nomini nihil additum est a Cicerone, nescimus, utrum ambitus, an peculatus, an repetundarum reus fuerit. Nam causam publicam fuisse, tum Calvi verba apud Senecam efficere videntur, tum quod eo anno T. Annius Milo jurisdictionem urbanam habuit. Nulla tamen actione magis illustratum Calvi nomen fuit, quam Vatiniana, et ferme ex hac sola sunt desumptæ, quæ hodie exstant, orationum reliquiæ... [V. fr. p. 201 sqq.] Haud multo annis maturior Calvus quam Crassus et Hortensius forum ingressus dicitur in Dial. de orat. c. 34. Accuratam in his verbis temporis definitionem non habemus, præser-

tim cum auctorem illum in annis numerandis minus diligentem in Crassi exemplo cognoverimus. Bis postulatum Vatinium certum est, at nemo, credo, ab eodem Calvo postulatum retulit. Prima actio fuit a. 695, ad prætorem C. Memmium, vigesimo quarto Calvi anno, majestatis, lege Licinia Junia, quam promulgatione per trinundinum non facta Vatinius neglexerat. Hoc judicium tribunum P. Clodium appellando effugit, qui cohorte sua in tribunal immissa prætorem deturbavit, totumque consilium inspectante populo Romano disjecit. Rursum postulatus est de ambitu, cum Catonem in prætura petenda dejecisset, a. 699, et defensus a Cicerone, rogatu Pompeii. Hanc accusationem a Calvo factam evincunt fragg. ex Quintil. IX, 2, 25, et 3, 56, quod ad hanc causam videtur referendum. Is autem annus Calvi octavus et vicesimus erat, nec is igitur adeo adolescens, ut hoc pro exemplo maturæ in foro actionis uti possimus. Hæc collata nostram, credo, firmant sententiam, bis a Calvo Vatinium accusatum, de majestate, et de ambitu. Secunda igitur in Vatinium oratio, præcipuis veterum laudibus celebrata, non in eodem judicio habita, nec ampliato reo vel causa non eodem die perorata, sed ad ambitus judicium pertinuit, cum prima esset de majestate. Tum vero, qui erat reipublicæ status, de juribus omnibus judiciorum venalitate sublatis conqueri potuit, ut fecit. Hæc autem potissimum probata oratio est, quod usu fori et frequentia exercitationis suam quamdam maturitatem adepta erat. [Confirmari hæc ratio videtur iis quæ leguntur ap. Scholiastam Bob. Ciceronis in Arg. Orat. pro Sestio p. 292 ed. Orell.: L. (l. C.) Licinium Calvum fuisse inter defensores Sestii anno 697: nam ap. auct. Dialogi l. c. Vatiniana Calvi (quæ foret de majestate) tamquam prima omnium memoratur. *Westerm.* p. 218.] Præter harum orationum memoriam Charisius I, p. 59, Calvi *ad amicos* pauca verba habet, ex Epistolis credo, ut *ad uxorem* Diomed. I, p. 372; ad *C. Cæsarem* Mar. Victorin. p. 2456, et incerta Diomed. II. p. 466, et Mar. Victorin. l. c. Sed Licinius is, cujus liber secundus sine addita nota laudatur a Prisc. VI, p. 694, 717 ed. Putsch., est Macer Licinius, ut X, p. 485, *Cælius in I,* de Cœlio Antipatro accipiendum est. Ex carminibus præcipue Epigrammatum memoria exstat. Insigne est ap. Senec. Controv. III, 19, de Pompeio, quod explicatur

Plutarchi verbis Præc. politt. § 4, p. 800, E. : Πομπήιον δὲ Μάγνον ἐλοιδόρουν οἱ ἐχθροὶ, παραφυλάξαντες ἑνὶ δακτύλῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον. Conf. Sen. Controv. V, p. 328. Sic maledici in Cæsarem epigrammatis versus servavit Suet. Cæs. c. 49; et hendecasyllabum in Q. Curium Catilinarium, studiosissimum aleatorem, Asconius ad Or. in toga cand. p. 95 ed. Orell. Hendecasyllabum unum Gellius IX, 12, (quem exhibet etiam Nonius v. *Laboriosum*, quo loco Hadr. Junius recte videt, *Calvi* pro *Galli* nomine substituendum esse), et partem hexametri ex amatoriis Macrob. III, 8; alias particulas Charis. I, p. 61, 78, 120; carminis epithalamii mentionem Priscianus habet V, p. 658; v. Wernsdorf. ad Poett. Latt. min. IV, p. 463, hujus generis carmina ex proposito suo colligentem. Calvi ex Io tragœdia versus quem Virgil. Ecl. VI, 47, imitatus fertur, ab intpp. vett. ad h. l. servatus est, et alius ad VIII, 4. Sed cum uterque hexametrici generis sit, de tragœdia ferme dubitaverim. Præterea versus heroicus exhibetur ad Æn. II, 632, ex amatoriis : « *Pollentemque deum Venerem* » sqq., ut ostendatur *deus* Latinis etiam nonnunquam utriusque generis compotem esse. Versus duo de Cerere θεσμοφόρῳ sunt ap. Serv. ad Æn. IV, 58, et hemistichium heroicum ap. eumd. ad XI, 169. [Pleniora hæc ap. Weichertum l. c. p. 131-146.]

66. *M. Marcellum, C. Curionem, L. Munatium Plancum* brevibus absolvamus. *Marcellum* doctum et optimis innutritum studiis, senatoriæ sententiæ principem, judiciis minus fuisse aptum, credibile est ex Cic. Brut. c. 71, qui solus locus est, quo illius tanquam eloquentis aliquis meminit. *C.* autem *Curio* ingenio magnus, sed eruditionis ad patris exemplum expers, vim popularem habuit, sed neque maturitatem assecutus est, neque, cum turbulentissimis rebus turbulentus ipse immistus occiderit, memoriam suam literis consignatam reliquit. *Plancus* denique eximiam indolem (unde inter Ciceronis discipulos acceptus) moribus fœdissimis dehonestavit; nec ipse in iis fuit, qui præter famam suam quidquam posteritatis memoriæ transmiserint. Sic etiam *M. Cato* perfectus orator in Stoicis, Rutilio illo non absimilis, sed cultu superior, morum genere a causis dicendis abhorruit, tum gravitate alienus ab accusando, tum severitate a reis qualicumque fraude eripiendis. Quare multa hujus viri in

rebus Romanis, exigua in oratoribus mentio. Nec diu in *C. Julio* morabimur; cujus, ut illorum, quos modo tetigimus, vitam narrare nihil attinet. Is vero ingenio summus, studiis elegans, promptus eloquendi, maxime metuendus Ciceronis æmulus futurus erat, nisi gloriæ et imperii cupido pacis eum artibus eripuisset. Præter illos De jure pontificio, et De analogia libros, et Anticatones et Epistolas et Iter (confer Wernsdorf. Poet. Lat. min. V, p. 36 seqq. [IV, p. 44 ed. Paris.]) et notiores Rerum suarum commentarios, Orationes etiam commemorari reperimus; et quidem Laudationem Juliæ amitæ, uxorisque Corneliæ, quas quæstor pro rostris habuit, apud Sueton. in Vita c. 6... [V. fr. p. 178 sqq.] Orationes ipsius nomine tantum tenus notæ sunt; causarum genus ignoratur. Nescimus etiam, quæ Cæsaris oratio M. Aurelio in Epistolis ad Frontonem I, 9, studiose lecta dicatur. Secutus est autem C. Cæsaris Strabonis cognati sui genus, acutum et venustum, sed non satis vehemens. Eam tamen ipsam laudem tribuit Quintilianus X, 2, 25, coll. 1, 114. Adde Plutarch. in Vita c. 3. Facundissime locutus Frontoni dicitur, ad M. Cæsarem De eloquentia p. 83 (et ad Verum p. 181 ed. Rom.). Puritatem, quam adamavit, sermonis, ipsius Commentarii ostendunt. De quibus quis non Ciceronis (in Bruto c. 72) malit, quam Asinii Pollionis sequi judicium, omnium præter sese obtrectatoris? Videatur etiam ejus de antiquariis dictum ex libris De analogia apud A. Gell. I, 10, et Macrob. I, 5 init., et Gellii ipsius testimonium XIX, 8.

67. *M. Junius Brutus* natus est a. 668, viginti novem annis Hortensio minor, viginti uno inferior Cicerone. De hoc singillatim dixit Wetzelius in præfatione ad Epp. ad divv. XI suæ editionis; nos vitam ejus non enarrabimus, otiosum existimantes, omnes historiæ Romanæ auctores exscribere. De origine ejus addamus tantum, ineptos videri eos, qui filium Cæsaris ex Serviliæ clandestino amore natum existiment. Nam Cæsar C. Mario, M. Aquillio Coss. natus (a. 652), eo tempore, quo natus est M. Brutus, sedecim annorum fuit. Brutus optimis studiis liberaliter eruditus, a puero morum honestate non minus commendabilis fuit, quam cultu ingenii et magnitudine animi. Sui usus causa in epitomen redegit Fannii Annales et Cœlii. Antipatri historiam (Cic. Epp. ad Att. XII, 5, et XIII, 8); quin vix superato extremo discrimine Polybiana

excerpta confecit (Plutarchus Vit. c. 4). Præterea jus pontificium a Ser. Sulpicio didicit (Cic. Brut. c. 58) et philosophis ea ætate clarissimis vacavit, in primis Academicis (ib. c. 31, 40, 97) et Aristo, quem heredem Academiæ Cicero vocat. A Plutarcho non Aristus sed Aristo is dicitur in Vita c. 2, qui Antiochum præterea Ascalonitam et Theomnastum Academicos, et Cratippum Peripateticum Athenis ab eo auditos tradit (ibidem c. 24). In oratoria arte a Pammene, ejus ætatis in Græcia disertissimo, eruditus dicitur (Cic. Brut. c. 97). Latine igitur declamasse non videtur, veteris consuetudinis tenax, nec inde Ciceronis instar floridius eloquentiæ genus consectatus est, priscæ siccæque sanitati veterum Atticorum adsuefactus. Et hoc est, quod Cicero et qui ejus morem fortasse secuti sunt, in Bruto reprehendunt. Ille quidem sæpius significat, aliud dicendi genus sibi, aliud Bruto probandum videri (Orat. c. 71, Epp. ad Att. XIV, 20; XV, 1: conf. Wolf. ad Marcell. præf. p. XVIII). Quod quale fuerit, e Quintiliano X, 1, 123, intelligi licet. Hic magis philosophum quam oratorem judicat, et in illo genere præstantissimum auctorem, quod non tantum recta scripserit, sed ita scripserit, ut ipsum animum præceptorum plenum ostendat. Quæ Quintil. III, 6, 93, habet, nonhuc pertinent. Consentit cum illis auctor Dial. de oratt. c. 18, 21 (ubi orationum ejus debilitatem graviter et inique insectatur Aper), coll. 26; unde simul discimus Brutum Ciceroni discinctum [immo *disjunctum*, διεστηκότα] et otiosum, Ciceronem Bruto fractum et elumbem visum, idque judicium literis mutuo ad se datis palam tulisse. Et quod Seneca Controv. V, 1, p. 328, eloquentiam ejus sacratissimam dicit, hoc magis ad mores humanissima severitate temperatos, quorum imago in orationibus expressa erat, spectare credendum est. Hoc genus dicendi in primis ex Epistola perspici potest, quæ legitur inter Ciceronianas ad diversos XI, 3, et Antonio inscripta est. Non prætores (nam etiam Cassii nomine scribitur), viros amplissimos, ad consulem reipublicæ perniciosum, et insuper ab eo læsos, scribere dicas, sed philosophum inimico injurias suas lenissime exprobrantem. Quæ causa est, ut Bruto, non Cassio, multo vehementiori, epistolam adscribamus. Addam, quia pertinet ad res oratorias, subinde versus Bruto excidisse, ut Crasso et Ciceroni et Asinio; quod Quintil. ostendit IX, 4, 76.

Orationes ejus haud multæ commemorantur... [V. fr. p. 205 sqq.] In maximis tamen cum Cicerone et Hortensio causis versatus est, et orbum eloquentia, Cæsare dictatore, forum ejus præcipue causa in Bruto defletur c. 97. Ex declamatione quadam Bruti esse illa *de Pompeii dictatura* ap. Quintilianum IX, 3, 95, Spaldingius censuit, quod huic negotio Brutus neque interfuerit, neque publice sit adversatus. Laudatio, quam scripsit, Catonis, a Cæsare ejusdem argumenti libello, qui Ciceronem auctorem habuit, postpositus est; quod in Cic. Epp. ad Att. XIII, 44, legimus. De libris ad philosophiam spectantibus conf. Burmann. ad Ovid. Ex Ponto I, 1, 24. Sunt liber De virtute, De officiis ap. Charis. I, p. 85, Prisc. VI, p. 679, qui liber in Ciceronis æmulationem scriptus est; De patientia, ap. Diomed. I, p. 378. Præterea Epistolæ commemorantur Diomedi I, p. 383, Prisc. IX, p. 863, et ad Cæsarem quidem Charisio II, p. 105. Versus Bruti Plinio lascivi dicti sunt; reprehendit eos auctor Dial. de oratt. c. 21, et Statius, Sylv. IX, 20, satis superbe oscitationes Bruti ipse somnians appellat.

68. Eorum, qui rempublicam liberam, non vidissent, sed attigissent, neminem præteritum arbitror, exceptis *C. Asinio Pollione* et *M. Valerio Messala Corvino*. Et de Pollione quidem post Thorbeckium (cujus copiosissima dissertatio Lugd. Bat. a. 1820 in lucem edita) disputare, vel otiosum esset, vel si qua notabilia viderentur, non loci hujus neque consilii. Sed de *Messala* addamus aliqua, quoniam is veterum oratorum quasi agmen cogit; dignus vir, cui ætas alia, neque necessitas obtigisset, minoribus parendi. Omnes Messalæ res, sed leviter tractavit [post Mollerum, Disp. de M. Val. Corv. Mess. Altorfii, 1689, 4] Burignius, cujus libellus insertus est Historiæ Acad. reg. Franc. inscrr. et litt. elegg. volumini XXXIV, p. 99 sqq., et Hallius (*van Hall*) cujus libellum, Batava lingua Amstelodami a. 1818 editum, nancisci non potuimus. Nonnulla etiam commemoratu digna attulerunt Vossius De hist. Lat. p. 81, Glandorpius in Onomastico s. n., Broukhusius ad Tibull. I, 3, Johannes Henricus Vossius, vir incomparabilis, ad Virgil. Ecl. VI, et Heindorfius ad Horat. Sermon. I, 10, 28. Has copias a nonnullis sane partibus augere licebit. [Add. Ludovici Wiese De M. Val. Messallæ Corvini vita et studiis doctrinæ, Berol. 1829.]

De gente Valeria et Messalarum honoribus, quos historia Romana consignavit, non opus est disserere. Patrem noster habuit M. Valerium Messalam, qui consul fuit cum Cn. Domitio Calvino a. U. 700. Sic recte Burignius l. c. Sed de natali anno Corvini non certissime constat. Plerique sane, et inter hos recentissimi fere, cum Eusebio s. Hieronymo consentiunt, qui natum statuit Q. Metello, L. Afranio Coss., hoc est a. U. 693. Verum hanc rationem falsam esse, dudum docuit summus Scaliger ad Euseb. p. 165, ad a. MMXXVII; conf. Masson. in Vita Ovidii p. 77 ed. Burmann. Quorum disputationis hæc sunt capita. Eusebius Messalæ mortem biennio ante Augustum exstinctum ponit, et septuagenarium additis annis duobus mortuum esse vult. Et in hoc quidem alios etiam consentientes habet. Verum cum variis Ovidii locis, ut Ex Ponto I, 7, 27, jam exstinctum fuisse, cum in exsilium poeta abiret, Messalam efficiatur, et Dialogus de oratoribus c. 17, hunc ad medium Augusti principatum durasse asserat, Asinium autem Pollionem ad extremum, Eusebianas rationes sequi non licet. Igitur Scaliger natalem Messalæ annum esse vult 684: unde ad a. 756 septuaginta duo anni efficiuntur. Ita error Eusebii in eo continetur, quod cum extrema senectute mortuum Messalam constaret, natali anno perperam posito, coactus est, vitam ejus longius producere. At Massonus causam etiam erroris sollerter aperuit. Nam annus verus Messalæ natalis 684 consules habet Q. Metellum et Q. Hortensium, annus autem 693, Q. Metellum, qui cognomine Celer est dictus, et L. Afranium. Ita in nominibus erravit Eusebius. Levissimus autem Burignius fuit qui l. c. p. 101, quod ad mortem Corvini pertinet, cum Scaligero facit, sed in natali anno constituendo cum reliquis errat. Errat etiam Johannes Henricus Vossius, et is quidem annum 694 sine ullo idoneo documento probans. Reperiuntur autem plures rationes, quibus Scaligerana computatio unice vera ostenditur. Nam vix pueritiam egressum non, credo, tantopere timuissent triumviri, ut hunc in primis et in civitatis principibus proscribendum curarent. Vide Appian. B. Civ. IV, 38, Dion. Cassium XLIX, 16. Neque, etiamsi tribunus militum fuisset, tanta fama esse poterat, ut prætermissis tot honoratis et militia duratissimis, hunc potissimum, adolescentem annorum vixdum duodeviginti, milites ducem creare vellent. Deinde est argu-

mentum longe fortius. Nam contra Aufidiam dixisse, cum Ser. Sulpicius defenderet, variis Quintiliani locis notari, in Ser. Sulpicii rebus tractandis docuimus. At hanc causam non modo ante mortem Cæsaris, sed etiam ante bellum civile actam oportet, quo forum eloquentia orbatum non semel Cicero queritur. Ita etiam Quintilianus XII, 11, 28, agere cœpisse Messalam dicit et Pollionem, cum Cicero arcem eloquentiæ teneret. Sed Lentulo et Marcello Coss., quibus civile bellum erupit, Messala ex illis rationibus undecimum annum ingressus erat. [Wiesius jam a. U. 679 natum statuit; sed argumenta ejus, libello supra indicato carentes, adjicere non potuimus.]

69. Sed facile intelligitur juvenem ingenio florentissimum, robustum juventa, in foro clarum, et vetustissimis familiæ decoribus non minus quam libertatis amore insignem, triumviris adeo timendum visum esse, ut eum cum omnibus fere iisdem ornamentis præstantibus proscriberent. De reliqua autem Messalæ juventa nihil prope scitur. Nam cultum omni genere artium liberalium, ex maturioris ætatis proventu colligere possumus, sed neque quibus magistris sese applicaverit, neque quas potissimum literas consectatus fuerit, satis liquet. Ciceronis in primis studiosum fuisse, olim creditum est, sed non exstat ejus rei testimonium præter subdititias illas ad M. Brutum epistolas. Post pugnam Philippensem primis annis Antonium secutus est, semper, ut ipse apud Plutarchum in Vita Bruti c. 53 confessus est, ab honestissimi cujusque partibus pendens. Et sane militare Antonii ingenium, nondum Cleopatræ illecebris et luxu corruptum, Cæsarianis fallaciis et subdolæ simulationi præoptandum erat. Sed post Brundisinam pacem (a. 713) et iisdem ferme de causis atque Asinius Pollio, partes Antonii deseruit, Cleopatræ vim et luxuriosos Antonii amores perosus. Nam adulatorie facit Velleius, cum II, 72, statim post pugnam Philippensem Cæsarianas partes amplexum narrat. Cæsar autem rebus gerendis prudentior factus, insitam sævitiam lenitate obtegens, quid talis valeret amicus, intelligebat. Igitur auguris sacerdotio condecoratum, ut scribit Dio XLIX, 16, Macrob. I, 16, p. 281 ed. Bip., tum in devincendo Sex. Pompeio adjutorem habuit (v. Appian. B. Civ. V, 103 sqq.), tum Salassos ab eo domitos vidit. Sic Dio XLIX, 38. Facta hæc expeditio a. 719. Ad consularem dignitatem eodem anno evectus

est, quo Actiaca victoria longum de orbis imperio certamen diremptum fuit (a. 722.) Abrogaverat enim Antonio consulatum senatus, cum bellum exoriretur, et in ejus locum factus est Messala. V. Dionem L, 10. Post pugnam Actiacam in Syriam et Ægyptum missus, ad quam peregrinationem spectat elegia Tibulli, quæ libri primi tertia est, quid ibi fecerit, Dio LI, 7, enarravit. Injuriam autem Burignius facit, qui gladiatoribus Antonianis fidem non servatam, sed interemptos a Messala omnes dicit. At hoc non est apud Dionem. Deinde Narbonensem Galliam et Aquitaniam provinciam habuit, et ex rebellantibus Gallis triumphavit a. 726. Vide Appian. B. Civ. IV, 10. Huc spectant Tibulli elegiæ I, 7; II, 1. Ex præda Gallica viam ab urbe per Albanum Tusculanumque agrum duxisse, quam fortasse Valeriam vocavit P. Victor, ex eodem Tibullo discimus. Sed triumphum de Parthinis reportasse, ut vult Wernsdorfius ad Poet. Lat. min. III, p. 118, quibus argumentis effici possit, non sane video. Nam ibi ne militavit quidem, et nota est ea laus Asinii Pollionis. Sic rebus foris egregie gestis, Messala quietus et in optimis studiis versatus domi consenuit; Augusto si non gratissimus (quippe liberi spiritus retinens), at honoratissimus. Lectus enim est a senatu, qui Augustum patrem patriæ consalutaret (Suet. Aug. c. 58). Quando id factum sit, non constat inter doctos. Casaubonus quidem lapides protulit, quibus undecimus Cæsaris consulatus, anno 730 gestus, designatur. At his ipse parum tribuit, cum aliis consulem Messalam a. 757 illo munere functum existimans. Sed hunc Messalam non esse Corvinum, sed Corvini filium, jam inde constare debet, quod Scaligeranæ rationes illum eo tempore jam exstinctum arguunt. Neque video cur consul potissimum illi negotio præfici debuerit. Dignissimum quippe, et senatus fortasse principem eligi oportebat. Sic monumentis illis fidem derogandam non censuerim. De consule credo etiam Suetonium relaturum fuisse. Præfecturam Urbis paucos dies gestam deposuit, quasi nescius exercendi, quæ sunt Taciti verba Annal. VI, 11, coll. XI, 6, aut parum civilem eam potestatem judicans, quod antiquiores auctores secutus Eusebius prodidit ad a. 1991. Hoc verius est. Quare Dio Mæcenatem primum Urbis præfectum prodit, Messalæ hic illic iniquior, ut omnibus libertatis eo tempore nondum obliti viderentur.

70. De literis Messala, cultissimus ipse, optime meritus videtur, et eo melius quam Pollio, quo hic vaniloquentior, ille modestior fuit. Ipse præter multas orationes historiam non leviter attigit, res grammaticas accurate perscrutatus est, et poematis etiam condendis vacavit. Sed libros De augurali disciplina, sive De auspiciis, nostro per injuriam tributos a Gerardo Vossio, jam Burignius ad patrem ejus cognominem, qui annos LV augur fuit, recte vidit referendos. Sed studuit etiam poetis ea ætate nobilioribus omnibus. Jactantiæ sane Ovidianæ aliquid licet tribuere, qui Ex Pont. I, 7, 27, sua olim studia a Messala recta fuisse pronuntiat; sed non absimile veri est, nascentis ingenii nondum nimium luxuriantis fœtus magno viro curæ cordique fuisse. Horatium et Virgilium sæpius ejus virtutum laudumque meminisse nemo ignorat, quamvis uterque Mæcenati nimis deditus fuerit, cum quo commercia quominus misceret Messala, prorsus diversum sentiendi vivendique genus prohibebat. Albium Tibullum, juvenem inter Romanos poetas haud dubie ingeniosissimum, in ejus cohorte fuisse, summaque eum observantia coluisse, carmina testimonio sunt. Quin etiam panegyricum, de cujus auctore dubitatur, Tibulli esse, ex hujus ingenio verisimile ostendi potest. Tale enim genus carminis ab ejus natura prorsus alienum videri debet, si reliqua poemata consideres; quare, cum necessitate aliqua ad summum virum laudandum sese accingeret, debiles sensus et frigidos vitare non potuit. [Alia hinc effecerunt cum alii tum Dissenus in ed. Tibulli, vol. II, p. 387 sqq.] De ignoti auctoris elegia ad Messalam vide quæ Wernsdorf. l. c. p. 118 [vol. II, p. 174 sqq. ed. Paris.] adnotavit; et de Ciri eidem dedicata Vossium ad Virg. Ecl. VI, qui Cornelii Galli æqualis esse putat; et cujus disputatio copiosior est et magis ad persuasionem apta, quam quæ Wernsdorfius l. c. attulit. Ipsum Messalam amatoria condidisse in honorem nobilis feminæ Sulpiciæ, jurisconsulti illius celebris filiæ, quam olim nuptiis expetierit, Wernsdorfius ad Eleg. ad Mess. v. 21, p. 150 (202) probare studuit; nixus locis Tibulli Eleg. IV, 8 et 10. Ea res aliis etiam de causis observatione digna est, neque caret obscuritate; ut magnopere dolendum sit præstantissimum Spohnium non eo pervenisse, ut horum εἰδυλλίων historiam explicaret. Mores Messalæ libertate et candore conspicui fuerunt; quippe qui Cassium suum imperato-

rem laudaverit (Tac. Ann. IV, 34), et coram Augusto Cæsare palam professus sit, sese optimi cujusque partes studuisse sequi, cum fuisset in castris Bruti et Cassii. Sic indignatus etiam dicitur Plinio H. N. XXXV, 2, quod assentatores suæ genti alienas Lævinorum imagines inserere vellent. Mortuus est a. 755, s. 756. Duobus annis ante gravi morbo correptus, omnium, etiam sui nominis oblitus est. Testis Plinius H. N. VII, 24. De progenie ejus et Messalino Cotta per adoptionem in maternum genus translato, vide intpp. Ovid. Ex Pont. II, 2, 87; III, 2 init., Ruhnk. ad Vell. II, 112, Masson. l. c. p. 107.

71. In oratorio genere quamvis clarissimus fuerit, et videatur multas causas scriptas reliquisse, tamen paucissimarum memoria exstat. Sui exercendi causa id instituit, ut Græcas orationes latine verteret, ut cum difficillima quoque Hyperidis pro Phryne subtilitate contenderet. Sic Quintilianus X, 5, 2... [V. fr. p. 208 sqq.]. Alii libri sunt De familiis Romanis, Plinio laudatum opus H. N. XXXV, 2; XXXIV, 13, Suet. Aug. c. 74. Libri de litera *S* memoria non infrequens est Quintiliano I, 5, 15 (si vera est Spaldingii conjectura); 7, 23 et 35: unde simili argumento libros etiam alios ab eo compositos discimus. Etiam quæ IX, 4, 38 afferuntur, defendisse eum, literam *s* in finibus vocabulorum sequente consona elidi, indidem desumpta sunt; ut Festi locus v. *Serpsit*. Librum ejusdem De involute dictis apud eumdem Festum allatum videmus v. *Sanates*. Explicationes XII tabularum ex Festi loco mutilo ei adscriptæ, alio documento non comprobantur. Messalam in Epistola laudat Sueton. De ill. gramm. c. 3. Incerta fragmenta sunt Quintil. I, 6, 42; Senec. Ἀποκολοκυντ p. 386 ed. Bip.; Charis. I, p. 119. Poetam lascivum dicit Plinius Epp. V, 3, 20. Carmina quoque pastoritia scripsit: v. Eleg. ad Messalam v. 17. Ad patrem Messalam et librum ejus De auspiciis referuntur loca Gellii XIII, 15; Macrob. I, 9, p. 238 ed. Bip., Fest. vv. *Sponsis* et *Vernisera*. Sunt etiam alia Festi loca minus certa, ut vv. *Solida sella*, et *Suad ted*.

Consentiunt, qui has res attigerunt, eloquentem Messalam fuisse, sed ita ut intelligas, quid ei defuerit. Seneca Controv. II, 12, p. 171, elegantissime Latine locutum ait et ingenio in omnes studiorum partes exactissimo; cum quo congruit auctor Dial. de oratt. c. 18, mitiorem et lectiorem in verbis dicens,

quam ipsum Ciceronem, et Quintil. X, 1, 113, nitidum et candidum vocans; sed viribus minorem. Ex suis igitur rationibus dicere Aper potuit in Dial. de oratt. c. 24, *non per ipsum stetisse, quominus lætitiam et nitorem sequentis ætatis exprimeret.* Fama diserti late vagatur. Conferantur Horatius Epp. ad Pis. 370, Tibull. IV, 1, 45 sqq., Seneca in 'Αποκολοκυντώσει p. 386 ed. Bip., Plin. H. N. XXXV, 2, 4; XXXIII, 3, Tac. Ann. XIII, 34. Tamen verba quædam ejus Quintiliani tempore jam horridiora visa sunt, ut *gladiola* exemplo allata I, 6, 42. Vitium orationum in eo reperit Aper in Dial. de oratt. c. 20, quod semper ab valetudine excusanda procemia duceret. Sic Curio ab ætate. At Quintilianus IV, 1, 9, ingenii infirmitate modeste profitenda magnam in procemiis commendationem assecutum affirmat. Quem sequentes, Aprum, ut solet, invidiosius locutum credamus.

72. Vidimus igitur, hac ætate, qua summis præmiis propositis felicissimus oratorum proventus exstitit, disertos haud paucos, eloquentes nonnullos fuisse. Nam etiam eorum, qui in disertorum numerum vulgo non veniebant, nemo facile sententiæ dicendæ aut concioni habendæ impar fuit. Inde videmus præter laudatissimos tres, M. Ciceronem, Q. Hortensium, C. Calvum, magnos adhuc dicendo Ser. Sulpicium, M. Calidium, M. Cœlium, et horum plerique variis literis eximii erant. Si inferiores his fuere M. Marcellus, M. Cato, C. Curio, hoc non indoli vel viribus, sed vel consiliis, quæ in gerenda republica secuti sunt, vel perversæ menti, vel deficienti voluntati dandum. Neque C. Cæsaris obliviscamur, quem nec Stoicus rigor et ἀπάθεια, neque ingenii tarditas, sed rerum gestarum cursus ab artibus domesticis avocarunt. Sed præter hos multi dicebant, quamvis non oratores, M. Crassus, Cn. Pompeius, Q. Catulus paulo senior, M. Valerius Messala, P. Lentulus Spinther, Q. Metelli duo, Celer et Nepos, T. Torquatus, C. Triarius de media laude abrepti, multique præterea alii, qui uberiore disputatione non indigent.

Nunc, quoniam justo perfuncti sumus negotio, oratorum ætatibus et rebus, quantum fieri potuit, enarratis, neque propositum habemus, emortua eloquentia declamatorum elegantias umbraticas laude vel reprehensione persequendi, nonnisi generatim, quomodo decreverit eloquentia, videamus. [Explicate de hoc tempore dixit Westerm. a p. 241 ad finem libri.] Et decre-

visse eloquentiam, nullus hodie dubitat; quippe exstantibus adhuc quibusdam saltem ex omni genere dicendi monumentis et auctorum locupletium testimoniis. Sed non dubitarunt, qui sub Cæsaribus ad Trajanum usque vixerunt, plerique, si novi essent, ornatiores esse, ut ad insolentem sui jactationem pervenirent. Cur decreverit eloquentia, et postremo exstincta sit, facile dictu est in libertatis alumna, neque disertius dici possit, quam fecit auctor Dialogi de oratoribus capp. 28, 35, 36, 40 sqq. Nam sub Augusto species saltem libertatis permansit; quare nonnullæ literarum partes ad raram perfectionem evectæ sunt, et duravit, quæ radices saltem in libero solo egerat, eloquentia Pollionis, Messalæ, aliorum. Tamen in exiguum orbem coacta est, sententiæ dicendæ licentia concionibusque sublatis. Sed quotus quisque (ut Taciti Annal. I, 3 utar verbis) Augusto mortuo supererat, qui rempublicam vidisset? At sævitia Tiberii, quam vidit adhuc Seneca (conf. Controv. II, 12, p. 174), quid magni illæsum toleravit? ubi Mamerco Scauro versiculi suspectæ significationis, Cremutio Cordo Bruti et Cassii laudes, quamvis ante sexaginta annos mortuorum, exitio fuerunt. Et cum libera vita dicendi quoque et sentiendi ingenuitatem paulatim exstingui, ut ager deficiente cultura arescit, quis non intelligit? Jam cum aucta morum corruptela puerorum a teneris educatio vitiata est, et neque casti neque graves esse poterant, quibus in servulorum impudicitia enutritis quotidie pessima ante oculos exempla versabantur. Cum porro dicendi studia multos quidem exercerent et præ ceteris illustria haberentur, sed dignum, in quo excurrerent, campum non invenirent, declamationum insulsitates a veterum sanitate remotissimæ increbescerent, necesse erat. De quibus rebus ne nimii videamur, auctorem Dial. de oratt. c. 35, et Senecam Controvers. I, p. 61 sq., IV procem. p. 267, testes adducamus, quid differat a forensi dictione declamatio, optime exponentes. Conferatur etiam Porcii Latronis exemplum apud Quintil, X, 5, 18, qui primus magni nominis professor cum ex privatis parietibus in lucem forensem prodiret, judicia ut intra basilicarum spatia compellerentur, inepta formidine effecit. Neque recitationes ab Asinio Pollione in usum inductæ (conf. § 48), neque commissiones C. Cæsaris Caligulæ (Sueton. Cal. c. 53), neque quinquennales ludi a Domitiano instituti.

perpetua versificatorum et declamatorum materia, contra hæc mala valebant, quippe cum eo ipso cohærentes. Nam his ipsis recitationibus in usum venit, ut, qui novi videri vellent, ne a morosis judicibus improbarentur, verborum acumina, fractas et concisas sententias, enervem compositionem captarent, imo vocabula jam pridem antiquata vel solis poetis concessa rursum inducerent. Hunc morbum etiam maximorum nonnulli, ut Tacitus, non devitarunt. Erant tamen alii quidam, non multi, qui antiquorum lectione innutriti suæ ætatis vitia intelligerent, et quantum per eos stabat, devitarent. Non opus est C. Plinium minorem, et qui in majore simplicitate tersior est, M. Fabium Quintilianum, multis laudare. Recte hi et horum similes solis veteribus oratorum nomen tribuebant (Dial. de oratt. c. 1, coll. 14, 15), suæ ætatis hominibus satis honoris esse, si diserti et causidici vocarentur, existimantes. Et causidicos recte dixeris, quibus præter causas centumvirales et accusationem defensionemve in senatu nihil reliquum erat. Conf. Dial. c. 38, Plin. Epp. I, 5; IX, 23; II, 14.* Sed longe plurima disertorum et declamatorum pars, suas laudes mira arrogantia prædicans, tantum afuit, ut sese illis antiquis cedere faterentur, ut sese solos acutos esse, solos bene invenire, collocare, agere pronuntiarent; veteres inveniendo ineptos, longos et otiosos in enarrando, verbis horridos, gestu antiquos, obsoletos et pæne barbaros dicerent (Dial. c. 19, 21-23, Seneca Epit. Controv. lib. III, p. 399.) At Quintilianus IX, 4, 142; XI, 1, 56; 3, 13 et 57, Dial. c. 26, turpissimum eo tempore gestum et scenicorum, quales tunc erant, lasciviæ similem fuisse testantur. Sed vigor virilis et recti sensus plurimorum hominum mentibus adeo effluxerat, ut quem eloquentiæ princeps olim in scena regnare, et disertis omnibus exemplo esse pronuntiavit, Roscium, cum Ambivio Turpione compararent (Dial. c. 20). Quin ad antiquissimos, quos tantopere despiciebant, nescio quo pacto delapsi sunt, ut his similes uni operi declamatorio intenti,

* De hoc judicii et causarum genere v. præter Polleti Hist. fori Rom. III, 13, 14, insertam Poleniani Thesauri vol. I, Sigonium De judiciis II, in Thes. Græv. vol. II, p. 1711, et Siccamæ libell. De Centumv. judicio, ib. p. 1824 sqq.

jus civile, morem civitatis, leges et senatusconsulta ignorarent, elegantiorum autem artium studia superbe despicerent (Dial. c. 32; conf. A. Gell. XVI, 10, eamdem veterisjuris ignorantiam jurisconsultis sui temporis objicientem). Ne autem insaniæ plausus deesset, mercede conducebantur, qui dedita opera æqua iniqua vocibus et manibus prosequerentur, ut si non docti, tamen vulgus sese decipi non videret. Vide Quintil. XI, 3, 126; Plin. Epp. II, 14. Eadem paulo serius inter Græce loquentes inducta insania est, qua de re, quæ expositis fere gemina sunt, ex festivissimo Luciano apponam. Præceptt. rhett. c. 9: Τὰ Δημοσθένους ἴχνη, καὶ Πλάτωνος, μεγάλα μὲν, καὶ ὑπὲρ τοὺς νῦν, ἄμαυρα δὲ ἤδη καὶ ἀσαφῆ τὰ πολλὰ ὑπὸ τοῦ χρόνου. — Quasi Cestium aliquem audias, sese supra Cicerones extollentem! Et ib. c. 17: Ὁ λῆρος Ἰσοκράτης, ὁ χαρίτων ἄμοιρος Δημοσθένης, ὁ ψυχρὸς Πλάτων. Notabiles præterea loci sunt c. 11 et 15, de cultus oratorii elegantia et nitore; 16 de ridiculo quorundam vocabulorum usu, Atticorum speciem præ se ferentium; 17 de obsoletis verbis; 19 de ridiculo et deformi gestu; denique 21 de conductis plausorum gregibus. Hæc omnia plane ejusmodi sunt, ut Romanum Quintiliani ætate Græce scribentem legere videare. Hoc novum et pravum genus dicendi a Cassio primum Severo inductum (conf. Dial. de oratt. c. 19, 26, Wolf. præf. ad Marcell. p. XIX, coll. p. XXXIV), dein sensim ingentem in modum accrevit. Nam quantum Severus a Ciceronis candore, tantum ab Severi acuminibus et libertate ejus imitatores aberant. Inde quamvis meliores ex hoc numero, Latronem, Passienum, Afrum, Trachalum, laudet peritus harum rerum existimator Quintilianus, nusquam tamen, quibus rebus inferiores sint prioribus, dissimulat. Honos autem fori quam celeriter evanuerit, Trajano vix exstincto, in Frontone animadvertimus, quem suæ ætatis fere disertissimum, summorum virorum familiaritate celebratum, et quod majus est, M. Aurelii Antonini præceptorem, si nihil aliud, tamen semibarbarum esse non decebat.

ORATORUM ROMANORUM

FRAGMENTA.

COLLEGIT ATQUE ILLUSTRAVIT

HENR. MEYERUS.

ORATORUM ROMANORUM

FRAGMENTA.

I. Appius Claudius Cæcus.
[Ellendt. Hist. eloq. p. 9 sq.]

Exstabat Ciceronis adhuc tempore Appii Cæci *oratio de Pyrrho,* cujus argumentum ex Livio Epit. XIII intelligitur et ex Cicerone Cat. maj. c. 6, Brut. c. 14,55 ; c. 16, 61 ; Ovid. Fast. VI, 203. Orationem ipsam non habemus, sed imaginem quandam ex Ennii versibus (*Dixit enim Appius illa, quæ versibus persecutus est Ennius :*

Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant
Antehac, dementes sese flexere? Cic. Cat. l. c.)

et ex Plutarcho construere possumus. Appius namque in Vita Pyrrhi cap. 19 hæc dixisse fertur : Πρότερον μὲν τὴν περὶ τὰ ὄμματα τύχην ἀνιαρῶς ἔφερον, ὦ Ῥωμαῖοι· νῦν δ' ἄχθομαι πρὸς τῷ τυφλὸς εἶναι μὴ καὶ κωφὸς ὢν, ἀλλ' ἀκούων αἰσχρὰ βουλεύματα καὶ δόγματα ὑμῶν ἀνατρέποντα τῆς Ῥώμης τὸ κλέος. Ποῦ γὰρ ὑμῶν ὁ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους θρυλλούμενος ἀεὶ λόγος, ὡς, εἰ παρῆν ἐκεῖνος εἰς Ἰταλίαν ὁ μέγας Ἀλέξανδρος καὶ συνηνέχθη νέοις ἡμῖν καὶ τοῖς πατράσιν ἡμῶν ἀκμάζουσιν, οὐκ ἂν ὑμνεῖτο νῦν ἀνίκητος, ἀλλ' ἢ φυγὼν ἂν ἢ που πεσὼν ἐνταῦθα τὴν Ῥώμην ἐνδοξοτέραν ἀπέλιπε; Ταῦτα μέντοι κενὴν ἀλαζονείαν καὶ κόμπον ἀποδείκνυτε, Χάονας καὶ Μολοσσοὺς, τὴν ἀεὶ Μακεδόνων λείαν, δεδιότες καὶ τρέμοντες Πύῤῥον, ὃς τῶν Ἀλεξάνδρου δορυφόρων ἕνα γοῦν ἀεὶ περιέπων καὶ θεραπεύων διατετέλεκε. Καὶ νῦν οὐ βοηθῶν τοῖς ἐνταῦθα μᾶλλον Ἕλλησιν ἢ φεύγων τοὺς ἐκεῖ πολεμίους πλανᾶται περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐπαγγελλόμενος ἡμῖν

2 τὴν ἡγεμονίαν ἀπὸ ταύτης τῆς δυνάμεως, ἧ μέρος μικρὸν αὐτῷ Μακεδονίας οὐκ ἤρκεσε διαφυλάξαι. Μὴ τοῦτον οὖν ἀπαλλάξειν νομίζετε ποιησάμενοι φίλον, ἀλλ' ἐκείνους ἐπάξεσθαι καταφρονήσαντας ὑμῶν ὡς πᾶσιν εὐκατεργάστων, εἰ Πύῤῥος ἄπεισι μὴ δοὺς δίκην ὧν ὕβρισεν, ἀλλὰ καὶ προςλαβὼν μισθὸν τοῦ ἐπεγγελάσαι Ῥωμαίοις, Ταραντίνους καὶ Σαυνίτας. Pertinet autem oratio ad annum U. c. 473.

Isidorus Origg. I, 37, 2 : « Primus apud Græcos Pherecydes Syrius (non *Syrus*) soluta oratione scripsit, apud Romanos autem *Appius Cæcus adversus Pyrrhum solutam orationem* primus exercuit. » Dictio hujus viri erat ea, ut Ciceronis tempore nemo pæne eum legeret, sed Senecæ temporibus fuerunt multi, qui nimio antiquitatis amore ad Appium revertebantur. Legimus enim in Epistola CXIV : « Multi ex alieno sæculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur : *Gracchus* illis et *Crassus* et *Curio* nimis culti et recentes sunt, ad *Appium* usque et ad *Coruncanum* redeunt. » — Intelligo præter Appium nostrum C. Gracchum, L. Licinium Crassum, C. Scribonium Curionem avum et Tiberium Coruncanum, qui in Cicerone *Coruncanius* dicitur. Porro in Dialogo de oratt. c. 18 : « Num dubitamus inventos, qui præ Catone *Appium Cæcum* magis mirarentur? » Et c. 21 : « Asinius quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et *Appios* studuisse. »

Pomponius De orig. juris, Digest. 1, 2, 36 : Appius Claudius de Pyrrho in Urbe non recipiendo sententiam tulit : hunc etiam *actiones* scripsisse, traditum est; primum de usurpationibus, qui liber non exstat.

II. Q. Fabius Maximus Cunctator.

Memoratur ejus *Laudatio Marci filii.*

Cic. Cat. maj. c. 4, 12 : Multa in Fabio præclara cognovi, sed nihil est admirabilius, quam quomodo ille mortem filii tulit,
3 clari viri et consularis. *Est in manibus laudatio :* quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus?

Filii] Quinti Fabii, quem cum Catonis censorii filio usque adeo confudit Gernhard. in Indice ad Cat. M. p. 304, ut ipsi Catoni, non Q. Fabio Maximo, orationem funebrem de filio tribueret. Nemo autem memoriæ tradidit, filio mortuo (a. U. 601) laudationem habuisse Catonem.

Plut. Fab. c. 25 : Τοῦ δὲ Φαβίου τὸν υἱὸν ἀποθανεῖν συνέβη, καὶ τὴν μὲν συμφορὰν ὡς ἀνήρ τε φρόνιμος καὶ πατὴρ χρηστὸς ἤνεγκε μετριώτατα· τὸ δ' ἐγκώμιον, ὃ ταῖς ἐκκομιδαῖς τῶν ἐπιφανῶν οἱ προςήκοντες ἐπιτελοῦσιν, αὐτὸς εἶπε καταστὰς ἐν ἀγορᾷ, καὶ γράψας τὸν λόγον ἐξέδωκεν.

De eloquentia Fabii Plutarchus dicit cap. 1: Ὁρῶν δὲ καὶ τῆς πολιτείας τὸ μέγεθος καὶ τῶν πολέμων τὸ πλῆθος, ἤσκει τὸ μὲν σῶμα πρὸς τοὺς πολέμους ὥςπερ ὅπλον σύμφυτον, τὸν δὲ λόγον, ὄργανον πειθοῦς πρὸς τὸν δῆμον, εὖ μάλα πρεπόντως τῷ βίῳ κατακεκοσμημένον. Οὐ γὰρ ἐπῆν ὡραϊσμὸς οὐδὲ κενὴ καὶ ἀγοραῖος χάρις, ἀλλὰ νοῦς ἴδιον καὶ περιττὸν ἐν γνωμολογίαις σχῆμα καὶ βάθος ἔχων, ἃς μάλιστα ταῖς Θουκυδίδου προσεοικέναι λέγουσι. Διασώζεται γὰρ αὐτοῦ λόγος, ὃν εἶπεν ἐν τῷ δήμῳ, τοῦ παιδὸς αὐτοῦ μεθ' ὑπατείαν ἀποθανόντος ἐγκώμιον.

Incertum est, quo anno Q. Fabius, Q. filius, consul a. U. 540 sit mortuus. Livius XXV, 3 : « Consulibus (anni 541) bellum cum Hannibale et binæ legiones decretæ : alter a Q. Fabio, superioris anni consule, alter a Fulvio Centumalo acciperet; » unde constat, tum ætatem eum adhuc egisse.

Priscian. VIII, 4, p. 368 ed. Krehl. : Fabius Maximus : *Amitti quam apisci*, passive sunt prolata.

amitti] supplere possumus: vereor, ne id potius amitti quam apisci possit. *Apisci* est obtineri.

III. Ti. Sempronius Gracchus, pater Ti. et C. Gracchorum.

Extabat *oratio græca apud Rhodios.*

Cic. Brut. c. 20 : Erat iisdem (cum Catone) temporibus Tib.
Gracchus P. F., qui bis consul (anno 576 et 590) et censor (584) 4
fuit, cujus est oratio græca apud Rhodios, quem civem cum gravem, tum etiam eloquentem constat fuisse. [Conf. Ellendt. p. 29 sq.]

Ferebatur deinde *oratio Tib. Gracchi pro Scipione superiore.*

Liv. XXXVIII, 56 : De accusatore Africani non convenit : orationes quoque, si modo ipsorum sunt, quæ feruntur, P. Scipionis et Tib. Gracchi abhorrent inter se. Index orationis P. Scipionis nomen M. Nævii habet : ipsa oratio sine nomine est accusatoris. Ne *Gracchi* quidem *oratio* aut Petilliorum, accusatorum Africani aut diei dictæ Africano ullam mentionem habet. Alia tota serenda fabula (i. e. argumentum) est Gracchi orationi

conveniens, et illi auctores sequendi sunt, qui cum L. Scipio et accusatus et damnatus sit pecuniæ captæ ab rege, legatum in Etruria fuisse Africanum tradunt: quo post famam de fratris casu allatam, relicta legatione cucurrisse eum Romam; et cum a porta recta ad forum se contulisset, quod in vincula duci fratrem dictum erat, repulisse a corpore ejus viatorem, et tribunis retinentibus magis pie quam civiliter vim fecisse. Hinc enim ipse Gracchus queritur, dissolutam esse a privato tribunitiam potestatem, et ad postremum, cum auxilium L. Scipioni pollicetur, adjicit tolerabilioris exempli esse, a tribuno plebis potius quam a privato victam videri et tribunitiam potestatem et rempublicam esse. Sed ita hanc unam ejus impotentem injuriam invidia onerat, ut, increpando, quod degeneravit tantum a se ipse, cumulatas ei veteres laudes moderationis et temperantiæ pro reprehensione præsenti reddat. Castigatum enim quondam ab eo populum, ait, quod eum perpetuum consulem et dictatorem vellet facere, prohibuisse statuas sibi in comitio, in rostris, in curia, in Capitolio, in cella Jovis poni, prohibuisse, ne decerneretur, ut imago sua triumphali ornatu e templo Jovis optimi maximi exiret. [Conf. c. 52.]

Constat ergo, orationem illam, quæ ferebatur, Tib. Gracchi
5 pro P. Scipione non, cum a Nævio Trib. pl. accusabatur, scriptam fuisse, sed cum potestatem tribunitiam violaverat. Quod pertinet ad annum U. 566, quo tribunus plebis erat Tib. Gracchus.

Cic. De orat. I, 9: Ego vero si velim et nostræ civitatis exemplis uti, et aliarum, plura proferre possim detrimenta publicis rebus quam adjumenta per homines eloquentissimos importata: sed, ut reliqua prætermittam, omnium mihi videor exceptis, Crasse, vobis duobus eloquentissimos audisse Tib. et C. Sempronios, quorum *pater, homo prudens et gravis, haud quaquam eloquens*, et sæpe alias et maxime censor saluti reipublicæ fuit. Atque is non accurata quadam orationis copia, sed nude atque verbo libertinos in urbanas tribus transtulit; quod nisi fecisset, rempublicam, quam nunc vix tenemus, jam diu nullam haberemus. [Liv. XLV, 15.]

Non consentire secum aiunt Ciceronem in judicio de hujus viri eloquentia. Sed eloquens in Bruto dici poterat, comparatus cum Appio et Menenio: si autem componetur cum filiis, viris

omnium Romanorum disertissimis, haud quaquam eloquens esse videtur, et tamen multo melius quam illi de republica meruit, ut Cicero in posteriore loco De oratore probare studuit.

Cic De offic. II, 12 : Ti. Gracchus P. F. tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. At ejus filii, Tiberius et Caius, nec vivi probabantur bonis, et mortui numerum obtinent jure cæsorum.

IV. P. Cornel. Scipio Africanus major.

Quamvis sit verisimile, nihil scriptum reliquisse Scipionem superiorem, non omisi eum, quia ferebantur sub ejus nomine aliquot orationes. [Cos. a. U. 548 et 559.]

Cicero De offic. III, 1 : Nulla ejus (Africani) ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus exstat.

Ferebatur *oratio P. Scipionis adversus M. Nævium Trib. pl.*, anno 568 habita.

Liv. XXXIX, 52 : Scipionem et Polybius et Rutilius hoc 6
anno (570) mortuum scribunt. Ego neque his neque Valerio assentior : his, quod censoribus M. Porcio, L. Valerio (a. 569) principem senatus ipsum L. Valerium censorem invenio; quum superioribus tribus lustris Africanus fuisset, quo vivo, nisi ut ille senatu moveretur, quam notam nemo memoriæ prodidit, alius princeps in locum ejus lectus non esset. Antiatem auctorem refellit *tribunus plebis M. Nævius, adversus quem oratio inscripta P. Africani est.* Hic Nævius in magistratuum libris est tribunus pl. P. Claudio, L. Porcio consulibus (569), sed iniit tribunatum Ap. Claudio, M. Sempronio consulibus (568) ante diem quartum Idus Decembres. Inde tres menses ad Idus Martias sunt, quibus P. Claudius, L. Porcius consulatum inierunt. Ita et vixisse in tribunatu Nævii videtur, diesque ei dici ab eo potuisse, decessisse autem ante L. Valerii et M. Porcii censuram.

Cic. De orat. II, 61, 249 : *Quid hoc Nævio ignavius ?* severe Scipio.

Nævio ignavius] ridiculum oritur ex annominatione. Id ex oratione Africani in M. Nævium sumptum videtur.

Gellius IV, 18 : Cum M. Nævius tribunus plebei accusaret

Africanum ad populum, diceretque accepisse a rege Antiocho pecuniam, ut conditionibus gratiosis et mollibus pax cum eo populi Romani nomine fieret, et quædam item alia crimini daret indigna tali viro : tum Scipio pauca præfatus, quæ dignitas vitæ suæ atque gloria postulabat : *Memoria,* inquit, *Quirites, repeto diem esse hodiernum, quo Hannibalem Pœnum, imperio vestro inimicissimum, magno prœlio vici in terra Africa, pacemque et victoriam vobis peperi insperabilem. Non igitur simus adversus deos ingrati, sed censeo, relinquamus nebulonem hunc, eamus hinc protinus Jovi optimo maximo gratulatum.* Fertur etiam oratio, quæ videtur habita eo die a Scipione, et qui dicunt eam non veram, non eunt infitias, quin hæc quidem verba fuerint, quæ dixi, Scipionis.

7 *Non... simus*] attentione dignum est, non legi *Ne... simus :* v. Quintilian. I, 5, 50.

Animadvertendum est, idem referre Livium, sed ornatius XXXVIII, 51 :... *Hoc* (inquit) *die, tribuni plebis vosque Quirites, cum Hannibale et Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnavi. Itaque cum hodie litibus et jurgiis supersederi æquum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Jovem optimum maximum Junonemque et Minervam ceterosque deos, qui Capitolio atque arci præsident, salutandos ibo : hisque gratias agam, quod mihi et hoc ipso die et sæpe alias egregie reipublicæ gerendæ mentem facultatemque dederunt. Vestrum quoque quibus commodum est, ite mecum, Quirites, et orate deos, ut mei similes principes habeatis. Ita si ab annis septendecim ad senectutem semper vos ætatem meam honoribus vestris anteistis, ego vestros honores rebus gerendis præcessi.*

Hoc die] Jam ex hoc loco elucet, quale de orationibus Livii judicium ferendum sit. Gellii oratio, quam Scipioni vindicat, multo simplicior est et antiquum colorem redolet; Livius vero antiquitatem et robiginem commutavit splendore orationis suæ. Vide ad Catonis orationem *de lege Oppia.* Atque universe tenendum est, eum, qui eloquentiæ oratoriæ vim bene perceperit, facile sentire, quantum ab opere oratoris historicorum distent orationes, verumque esse id, quod Seneca (Excerp. Controv. I. III præf.) dicit, *orationes Sallustii in honorem tantum historiarum legi,* et quod de Thucydide Cicero judicavit in Oratore c. 9 : *Numquam est numeratus orator, nec, si historiam non scripsisset, nomen ejus extaret.* [In eam rem v. Westerm. p. 14-17, et quos ille laudat.]

Quum M. Nævius aut Petillii tribuni plebis accusarent Scipionem, defendit eum Tib. Gracchus (Liv. XXXVIII, 52) : nec tamen ea oratione tum usus est, quæ ferebatur sub ejus nomine; sed hæc oratio, de cujus auctore Livius dubitat, ad id pertinuit, ut Tib. Gracchus Scipionem aliquando, qui tribuniciam potestatem violaverat (Liv. ib. c. 56), accusatoribus eriperet.

V. L. Papirius Fregellanus.

Cic. Brut. c. 46, 170 : Apud majores nostros video disertissimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum, Tib. Gracchi
P. F. fere ætate: ejus etiam oratio est *pro Fregellanis coloniis-* 8
que Latinis, habita in senatu.

Tib. Gracchi] Tib. et C. Gracchorum, tribunorum pl., patris. Vide Orellii notam in edit. majore. De Fregellis, colonia Romanorum inde ab anno 426, v. Mannert, *Italia* vol. I, p. 672. Ac de jure coloniarum antiquissimarum egit Niebuhr. Hist. Rom. vol. II, p. 48 sqq. ed. sec.

VI. M. Porcius Cato.
[Ell. p. 17-21.]

Ut editores orationum Ciceronis bene fecerunt, quod justo annorum ordine, quo singulæ sunt habitæ, eas recensuerunt, sic ego imprimis curandum esse existimavi, ut orationes Catonis, quarum par est numerus, annorum series exciperet. Id autem jam ante me in pluribus Ausonius Popma explorare studuit, Lion vero (*Catoniana*, Gotting. 1826) in nulla. Hæc autem ratio ad interiorem ejus viri cognitionem multum valet. Exstiterunt ejus orationes amplius centum quinquaginta, quas legisse Cicero scribit in Bruto c. 17, 65, ita ut numero Ciceronem, cujus centum orationum fere notitiam habemus, non solum æquaret, sed multo anteiret. Nunc vestigia nonaginta orationum Catonis (Popma et Lion septem et septuaginta enumerarunt) relicta sunt. Miramur sane immensam actionum copiam hujus viri, atque operæ pretium est, causas ejus rei inquirendi. *In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit*, ut Livius tradit (XXXIX, 40), *ut, quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars neque privatæ neque publicæ rei gerendæ ei defuit. Urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris*

provexit: huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret. In bello manu fortissimus multisque insignibus clarus pugnis. Idem, postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator: idem in pace, si jus consuleres, peritissimus: si causa oranda esset, eloquentissimus. Nec is tantum, cujus lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiæ nullum exstet; vivit imo vigetque eloquentia ejus,
9 *sacrata scriptis omnis generis. Orationes et pro se multæ, et pro aliis et in alios. Nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo fatigavit inimicos. Simultates nimio plures exercuerunt eum et ipse exercuit eas; nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi et linguæ acerbæ et immodice liberæ fuit, sed invicti a cupiditatibus animi et rigidæ innocentiæ; contemptor gratiæ, divitiarum. In parcimonia, in patientia laboris, periculi, ferrei prope corporis animique, quem ne senectus quidem, quæ solvit omnia, fregerit; qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit scripseritque, nonagesimo anno Servium Galbam ad populi adduxerit judicium.* — Cum esset homo novus et severus moribus atque ab omni luxuria alienus, nobilitati, quæ tum potentia et divitiis abundabat, se opposuit ac princeps eorum fuit, qui superbiæ optimatium resistere, sumptus rei publicæ minuere, luxum omnis generis in vita publica atque privata exstirpare, direptiones sociorum in provinciis, quas prætores committere solebant, prohibere, imperatorum peculatus punire atque nobiles a summis honoribus, quos illi tamquam jure suo vindicarunt, repellere conati sunt. Huc pertinet rogatio ejus, *Ne idem iterum consul fiat,* et multæ aliæ leges. Hac severitate morum inimicitias gessit cum Flamininis, Scipionibus, Marcellis, nobilissimis Romanorum gentibus, qui cum virtute ac meritis tum divitiis principes optimatium erant. Innocentia ejus et odium adversus eos, qui in provincia crudeliter aut libidinose se gerebant, et luxuria atque libidinibus mores Romanorum perdebant, causa fuit, cur tam multis consularibus, prætoribus, imperatoribus diem diceret. Atque Plinius dicit (Hist. Nat. VII, 27): *Proprium est Catonis, quater et quadragies causam dixisse, nec quemquam sæpius postulatum et semper absolutum.* Octodecim orationes, ac plures fortasse, inci-

dunt in censuram ejus : quod adversa nobilitate, at magno populi favore accepit munus. Ipse summa contentione eam petiit, ut omnem labem civitatis expelleret et sceleribus nobilium occur- 10
reret. Inde septem senatores, multique equites, quos propter luxum, inertiam, crudelitatem superbiamque oderat, loco sunt moti. In censibus quoque accipiendis tristis et aspera in omnes ordines censura fuit. Ac munus ejus adeo gratum acceptumque populo fuit, ut Censorius postea nominaretur. Nam Catonem tam reipublicæ hercule profuit nasci quam Scipionem : alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit, ut Seneca prædicat in Epist. LXXXVII.

Præterea Cato tres summas in homine res præstitisse existimatus, ut esset optimus orator, optimus imperator, optimus senator. Accedit, quod omnium bonarum artium fuit magister et claritate litterarum præceptisque omnium rerum expetendarum datis generi Romano maxime insignis, ut Plinius ait Hist. Nat. XIV, 4.

Igitur ordinem orationum et argumentum earum ex historicis diligenter, quantum potui, quærebam, idque me in octo et quadraginta cum aliqua probabilitate effecisse spero : in ceteris major erat quæstio, quam ut difficultatem vincere potuissem, quia aut res me latebat, aut inscriptio apud grammticos corrupta erat. Profuit multum Ausonii Popmæ scriptio, parum Lionis. Ex comparatione autem illarum collectionum apparebit, editores priores non raro in anno definiendo errasse, ut *oratio de Lætorio* illustre est exemplum ; et duarum orationum fragmenta interdum in unam conglutinata, aut ejusdem orationis separata fuisse. Historia orationum Catonis simul memoria est quinque et quadraginta annorum reipublicæ Romanæ : summa enim capita per hos annos rerum Romanarum attingunt. Nec versantur fere in causis privatis, sed in iis rebus, quæ tum maxime in senatu deliberabantur, aut in legibus suadendis dissuadendisve, aut in causis publicis, quæ latissime patent et ab historicis quoque copiose exponuntur. Ideo tria potissimum orationum genera discernere licet, sententias senatorias, orationes judiciarias et censorias.

Ii, qui Catonis vitam interius cognoscere cupiunt, legant Schlosserum (*Universalhistorische Uebersicht*, II, 2, p. 185

11 sqq.), nec laude doctrinæ atque judicii caret Guil. Ern. Weberi *Commentatio de M. Porcii Catonis Censorii Vita et Moribus* (Bremæ 1831), quam his ipsis diebus accepi, postquam librum meum jam absolveram.

De vita Catonis non omnino consentiunt scriptores. Quo anno sit mortuus, inter omnes convenit, sed quo sit natus, in eo differunt Cicero et Livius inter se. Ceteri autem auctores aut Livium aut Ciceronem sunt secuti. Utramque equidem opinionem collatis testimoniis aperiam.

Cato dicit in Ciceronis Catone c. 4, 10: *Anno enim post consul primum fuerat Q. Fabius Maximus, quam ego natus sum, cumque eo quartum consule adolescentulus miles profectus sum ad Capuam quintoque anno post ad Tarentum.* Fabius primum consul fuit anno U. 520, Cato igitur natus anno 519 L. Postumio Albino, Sp. Carvilio Maximo Coss. Cum deinde Fabius quartum erat consul anno 539, viginti annos natus erat Cato: quinto anno post ad Tarentum venit a. 544, viginti quinque annos natus: quæstor factus quadriennio post anno 548, magistratum vero iniit anno 549 Tuditano et Cethego Coss., triginta annos natus.

Cato dicit ibi cap. 5, 14: *Ennius Cæpione et Philippo iterum consulibus mortuus est, cum ego quidem sexaginta quinque annos natus legem Voconiam voce magna et bonis lateribus suasissem.* Id ad annum 584 pertinet.

Cic. Brut. c. 16: *Hunc Cethegum consecutus est ætate Cato, qui annis novem post eum fuit consul.* Cethegus consul fuit anno 549, igitur Cato a. 558, triginta novem annos natus.

Cato dicit in Cic. Catone c. 10: *Quadriennio post consulatum tribunus militaris depugnavi apud Thermopylas M'. Acilio Glabrione consule.* Hoc in annum 562 cadit, cum tres et quadraginta annos natus erat.

Cic. Brut. c. 16: *Cato L. Marcio M'. Manilio consulibus mortuus est.* Ergo anno 604, natus annos 85.

12 Vellei. I, 13: *Ante triennium, quam Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendæ ejus auctor, L. Censorino, M. Manlio Coss. mortem obiit.*

M. Manlio] corrigendum ex Cicerone *M'. Manilio.* In Ruhnkenii editione error nondum est correctus.

Cic. Brut. c. 20, 80: *Cato annos quinque et octoginta natus excessit e vita, cum quidem eo ipso anno contra Servium Galbam ad populum summa contentione dixisset.* Quod rursus in annum 604 convenit.

Cato dicit in Cic. Cat. c. 10: *Quartum annum ago et octogesimum.* Ad hunc locum alter ex Lælio c. 3 est referendus: *Senectus enim, quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante quam mortuus est, mecum et cum Scipione disserere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiamnum erat Scipio.* Colligitur ex hoc quoque loco, mortuum esse Catonem annos quinque et octoginta natum.

Sic Cicero ubique secum consentit. Assentitur Plinius Hist. Nat. XXIX, 1: *Hic Cato* DCV [604 Fastor. Cap.] *anno Urbis obiit,* LXXXV *suo.*

Contra Livius in præstantissimo elogio Catonis XXXIX, 40: *Asperi procul dubio animi, et linguæ acerbæ et immodice liberæ fuit, sed invicti a cupiditatibus animi et rigidæ innocentiæ, contemptor gratiæ, divitiarum. In parcimonia, in patientia laboris, periculi, ferrei prope corporis animique; quem ne senectus quidem quæ solvit omnia fregerit, qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit scripseritque: nonagesimo anno Servium Galbam ad populi adduxerit judicium.* — Galba a Catone accusatus anno Urbis 604: si eo tempore quinque et octoginta annos natus erat, ut Cicero affirmat, anno 519 lucem vitæ primum vidit: sin autem nonaginta annos, ut Livius dicit, anno 514. Livius ergo Catonem quinquennio majorem esse putat. Cum porro dicit, sextum et octogesimum annum agentem causam dixisse Catonem, veri simile est, orationem ejus pro se contra C. Cassium, quam memorat A. Gellius, ad hanc litem spectare. C. Cassius Longinus censor erat anni 599, cum 13
Cato secundum Ciceronem octoginta annos natus erat, secundum Livium annum quintum et octogesimum jam absolverat.

Ex Plutarcho in Vita Catonis multa colligimus testimonia, quæ annorum rationem accurate definiunt. Cap. 1: Φησὶ γὰρ αὐτὸς, ἑπτακαίδεκα γεγονὼς ἔτη τὴν πρώτην στρατεύσασθαι στρατείαν, περὶ ὃν Ἀννίβας χρόνον εὐτυχῶν ἐπέφλεγε τὴν Ἰταλίαν. Septendecim annos erat natus anno 536, quo anno ad lacum Thrasimenum totum Romanorum exercitum profligavit Hannibal.

Cap. 2 : Φαβίου δὲ Μαξίμου τὴν Ταραντίνων πόλιν ἑλόντος, ἔτυχε μὲν ὁ Κάτων στρατευόμενος ὑπ' αὐτῷ, κομιδῇ μειράκιον ὤν. Quum Fabius Tarentum caperet anno 544, Cato annos 25 natus erat.

Cap. 15 : Λέγεται ὀλίγον ἀπολιπούσας τῶν πεντήκοντα φυγεῖν δίκας, μίαν δὲ τελευταίαν ἓξ ἔτη καὶ ὀγδοήκοντα γεγονώς... Τεσσάρων δ' ἄλλων ἐνιαυτῶν διελθόντων, Σερουΐου Γάλβα κατηγόρησεν ἐννενήκοντα γεγονὼς ἔτη. Cum Livio prorsus consentit Plutarchus.

Cap. 16 : Τῆς δ' ὑπατείας κατόπιν ἔτεσι δέκα τιμητείαν ὁ Κάτων παρήγγειλε. Cato consul erat 558, censuram egit 569, quinquaginta annos natus vel quinque et quinquaginta annos secundum Livium.

Cum Livio porro congruit Valerius Maximus VIII, 7, 1 : *Cato sextum et octogesimum annum agens, dum in rep. tuenda juvenili animo perstat, ab inimicis capitali crimine accusatus suam causam egit. Quin etiam in ipso diutissime actæ vitæ fine disertissimi oratoris, Galbæ, accusationi defensionem suam pro Hispania opposuit.*

Præterea Aurelium Victorem De viris ill. 47, qui non accurate annorum vitæ numerum tradidit. Magis autem memorabilia sunt verba

Cornelii Nepotis Cat. c. 2 : *Circiter annos octoginta usque ad extremam ætatem ab adolescentia reipublicæ causa suscipere inimicitias non destitit.* — Equidem nescio, utrum hic scriptor dicere voluerit, per annos circiter octoginta in foro causas
14 dixisse Catonem, ita ut amplius nonaginta annos necessario vixisset (nam inde a decimo ætatis anno certe non poterat patronus esse), an potius existimarit, Catonem usque ad extremam ætatem, cujus terminum anno fere octogesimo attigerit, causas egisse. Ceterum cum sentirem, hanc Vitam Cornelii Nepotis omnium maxime historicis virtutibus carere, impetrare a me non potui, quo minus sententiam meam de hoc auctore breviter exponerem. Hæ Vitæ (excepta Vita Attici) Cornelio historico prorsus sunt indignæ. Is, qui eas scripsit, homo bonus quidem et prudens est, sed ingenium atque indoles historici ei defuit. Atque in usum scholarum a ludimagistro quodam Romano compositas esse crediderim. Eidem porro sæculo, in quo *Aurelii Victoris Viri illustres* et *Cæsares*, originem sumpsere, eas vindico. Quamquam et *Aurelii Victoris Viri illustres* et *Cæsares*, qui sub ejusdem nomine feruntur, non ab eodem scriptore pro-

ficiscuntur : differt enim prorsus genus stili et tractatio rerum. Inferioris etiam ætatis est *Messalæ Corvini De progenie Augusti* et *Aurelii Victoris De origine gentis Romanæ*. Hi quinque libri in exiguum gyrum scholæ compellendi, et elementis tantum Latinæ linguæ discendis sufficiant, cum veri simile sit, auctores eorum nihil aliud nisi primam institutionem puerilem spectasse. Ac miror sane, quemquam qui Plutarchi Vitas et Taciti Agricolam legerit, istas Vitas, umbras inanes sine mente et nervis, Cornelio Nepoti historico celeberrimo tribuere potuisse.

TESTIMONIA.

Cic. Brut. c. 17 : Cur igitur Lysias et Hyperides amatur, cum penitus ignoretur *Cato?* Antiquior est hujus sermo et quædam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros, ut aptior sit oratio; ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne Græci quidem veteres factitaverunt: jam neminem antepones Catoni.

Dial. de oratt. c. 18: *Catoni* seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior, sic *Graccho* politior et ornatior *Crassus,* sic utroque distinctior et urbanior et altior *Cicero,* Cicerone mitior *Corvinus* et dulcior et in verbis magis elaboratus.

Appuleius Apolog. p. 589 : Quamcumque orationem struxerit Avitus, ita illa erit undique sui perfecte absoluta, ut in illa neque *Cato* gravitatem requirat, neque *Lælius* lenitatem, neque *Gracchus* impetum, nec *Cæsar* dolorem (colorem?), nec *Hortensius* distributionem, nec *Calvus* argutias, nec parsimoniam *Sallustius,* nec opulentiam *Cicero.*

Epist. Frontonis ad Verum p. 170 ed. Rom. : Contionatur *Cato* infeste, *Gracchus* turbulente, *Tullius* copiose. Jam in judiciis sævit idem *Cato,* triumphat *Cicero,* tumultuatur *Gracchus, Calvus* rixatur.

Epist. Frontonis ad M. Cæsarem p. 82 : Meministi tu plurimas lectiones, quibus usque adhuc versatus es, comœdias attellanas, oratores veteres : quorum aut pauci aut præter *Catonem* et *Gracchum* nemo tubam inflat, omnes autem mugiunt vel stridunt potius.

Quintil. XII, 10, 10 : In oratione si species intueri velis,

totidem pæne reperias ingeniorum quot corporum formas. Sed fuere quædam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam jam ingenii vim præ se ferentia. Hinc sint *Lælii, Africani, Catones* etiam *Gracchi*que, quos tu licet Polygnotos vel Callonas appelles. Mediam illam formam teneant *L. Crassus, Q. Hortensius.* Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens proventus. Hic vim *Cæsaris,* indolem *Cœlii,* subtilitatem *Calidii,* diligentiam *Pollionis,* dignitatem *Messalæ,* sanctitatem *Calvi,* gravitatem *Bruti,* acumen *Sulpicii,* acerbitatem *Cassii* reperiemus. In iis autem, quos ipsi vidimus, copiam *Senecæ,* vires *Africani,* maturitatem *Afri,* jucunditatem *Crispi,* sonum *Trachali,* elegantiam *Secundi.*

Plin. Epist. I, 20 : Frequens mihi disputatio est cum quodam docto homine et perito, cui nihil æque in causis agendis ut bre-
16 vitas placet. Quam ego custodiendam esse confiteor, si causa permittat. Hic ille mecum auctoritatibus agit, ac mihi ex Græcis orationes *Lysiæ* ostentat, ex nostris *Gracchorum Catonis*que, quorum sane plurimæ sunt *circumcisæ* et *breves :* ego *Lysiæ Demosthenem, Æschinem, Hyperidem* multosque præterea ; *Gracchis* et *Catoni Pollionem, Cæsarem, Cœlium,* in primis *M. Tullium* oppono, cujus oratio optima fertur esse, quæ maxima.

Servius ad Virg. Æn. VII, 256 : « Facit ante deorum commemorationem, sicut etiam in omnibus *Catonis* orationibus legimus. » Idem ad Æn. XI, 301 : *Præfatus divos :* More antiquo. Nam majores nullam orationem, nisi invocatis numinibus, inchoabant : sicut sunt omnes orationes *Catonis* et *Gracchi.* Nam generale caput in omnibus legimus. Unde Cicero (Divin. c. 13) per irrisionem ait : *Si quid ex vetere aliqua oratione, Jovem ego optimum maximum.*

Huc pertinet id, quod Valerius quoque Max. in Prologo refert : *Prisci oratores ab Jove Optimo Maximo bene orsi sunt.*

Velleius I, 17 : Oratio ac vis forensis perfectumque prosæ eloquentiæ decus, ut idem separetur *Cato* (pace *P. Crassi Scipionis*que et *Lælii* et *Gracchorum* et *Fannii* et *Ser. Galbæ* dixerim), ita universe sub principe operis sui erupit *Tullio,* ut delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui illum viderit.

Diomedes II, p. 468: « Si penultimo fuerit tribrachys vel pyrrhichius et pæonum successerit primus et novissimus, erit antiqua structura, quæ dicitur confragosa: qua usus est *Cato.* » [Adde Bolhuis. p. 70 sqq.]

1. ORATIO DE LEGE OPPIA.

Hanc orationem Cato habuit consul anno 558. Livius XXXIV, 1: « Inter bellorum magnorum aut vixdum finitorum aut imminentium curas intercessit res parva dictu, sed quæ studiis in magnum certamen excesserit. M. Fundanius et L. Valerius tribuni plebei ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda. Tulerat eam C. Oppius tribunus plebis Q. Fabio (III), Ti. Sempronio Coss. (anno U. 538) in medio ardore Punici belli, *ne qua mulier plus semunciam auri haberet, neu vestimento versicolori uteretur, neu juncto vehiculo in urbe oppidove aut propius inde mille passus nisi sacrorum publicorum causa veheretur.* » M. Cato, qui per totam vitam parcimonia et severitate morum rempublicam sustinuit, præcipue auctor fuit, ne ea lex aboleretur. Placuerat
quondam Oppia lex, temporibus reip. id postulantibus, ut mu- 17
lieres in inopia et miseria civitatis pecunias privatas, quæ in publicum usum verti debebant, non in vestes et luxuriam effunderent. Remittebatur postea atque abrogabatur lex, quia Roma Hannibale victo (a. 552) divitiis abundabat Carthaginiensium. Catonem vicerunt matronæ.

Ipsam quidem orationem non habemus, neque ullus grammaticus fragmentum ejus memorat: errat enim Sigonius, cum ad Livium XXXIV, 1, 7, dicit: *Citat Priscianus hanc orationem cum hoc indice: Cato in oratione: Ne lex Oppia abrogetur:* sed Livius elegantissimam orationem lib. XXXIV, 2, 3, 4, Catoni tribuit, in qua mentem atque sensum Catonis, verba autem et colorem Livii esse puto. Vide adnotat. ad Africani majoris orationem, p. 7. [Recte huc retulit ipse Meyerus Athenæi et Plutarchi locos, infra p. 91 exscriptos. Quibus subjicimus hæc Bolhuisii, p. 156: « Zonaras Ann. IX, 17, servasse ea videtur, quæ in conclusione orationis dixit Cato : Κοσμείσθωσαν οὖν αἱ γυναῖκες, μήτε χρυσῷ, μήτε λίθοις, ἤ τισιν ἀνθηροῖς καὶ ἀμοργίνοις ἐσθήμασιν, ἀλλὰ σωφροσύνῃ, φιλανδρίᾳ, φιλοτεκνίᾳ, πειθοῖ, μετριότητι, τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις, τοῖς ὅπλοις τοῖς ἡμετέροις, ταῖς νίκαις, τοῖς τροπαίοις. Quo magis hæc revera

Catoniana existimem, facit multiplex illa et cum dignitate vehemens verborum rerumque ad unam notionem exprimendam exaggeratio. »]

2. ORATIO QUAM DIXIT NUMANTIÆ APUD EQUITES.

« Hæc oratio videtur habita in quæstura, cum in Africa quæstor esset P. Scipioni consuli ad bellum Punicum II. Profecto id accidit sub annum 549 Tuditano et Cethego Coss. Cicero in Catone et Bruto, Nepos et Livius. » *Popma.* Errare videtur Popma, quod Cato quæstor in Sicilia et Africa stipendia fecit, non in Hispania. Vide Pighii Annal. vol. II, p. 221. At cum consul erat anno 558, in regione Celtiberorum, quorum caput est Numantia, bella gessit. Liv. XXXIV, 8 : *M. Porcius consul, postquam abrogata est Oppia lex, extemplo viginti quinque navibus longis, quarum quinque sociorum erant, ad Lunæ portum profectus, eodem exercitu convenire jusso et edicto per oram maritimam misso navibus omnis generis contractis ab Luna proficiscens edixit, ut ad Portum Pyrenæi sequerentur : inde se frequenti classe ad hostes iturum. Prætervecti Ligustinos montes sinumque Gallicum ad diem, quam edixerat, convenerunt. Ab Rhoda secundo vento Emporias perventum.* Fortasse ergo hoc anno Numantiæ equitibus convocatis orationem habuit Cato, qualem ei Livius tribuit ib. c. 13 : *Ubi satis admodum et suorum*
18 *et hostium animos est expertus, convocari tribunos præfectosque et equites omnes et centuriones jussit. Tempus,* inquit, *quod sæpe optastis, venit,* etc.

A. Gell. XVI, 1 : Comparat scriptor dictum Musonii philosophi cum egregia sententia in Catonis oratione posita, quam dixit Numantiæ apud equites : *Cogitate cum animis vostris, si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet : bene factum a vobis, dum vivitis, non abscedet. Sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit : nequiter factum illud apud vos semper manebit.*

Editio 1493 omittit *vos* in illis *si quid vos,* tum *vivetis.* In edit. Cortiana legitur *sed si quæ.*

Festus : *Optionatus,* ut Pontificatus, Decurionatus dicitur, ut Cato in ea, quam habuit apud equites : *Majores seorsum atque*

diversum pretium paravere bonis atque strenuis, decurionatus, optionatus, hastas donaticas aliosque honores.

optionatus] gradus et munus est optionis. Optiones apud exercitum iidem sunt, qui alias accensi dicuntur. Creuzer. Antiq. Rom. §. 242.

hastæ donaticæ] i. e. hastæ, quibus milites donabantur. Creuzer. §. 260. Inscriptt. Orellii n. 3457 : *Donis donato ab imp. Severo et Antonino Augg. hasta pura, corona aurea.*

Lion p. 79 huic orationi addidit duo fragmenta, quæ ex oratione de bello Carthaginiensi decerpta sunt.

3. Cato ad populum de triumpho.

Hæc oratio videtur habita anno 559, cum ex Hispania Cato proconsul redierat. Imperatores enim Romani in concione extra urbem more majorum ante triumphi diem ordinem actorum suorum commemorare solebant, ut Velleius I, 10, 4, memoriæ tradidit. Livius XXXIV, 46 : « M. Porcius Cato ex Hispania triumphavit. Tulit in eo triumpho argenti infecti viginti quinque millia pondo, bigati centum viginti tria millia, Oscensis quingenta quadraginta, auri pondo mille quadringenta. Militibus ex præda divisit in singulos ducenos septuagenos æris, triplex equiti. » [Conf. c. 42, et XXXV, 9.]—Sic statuendum esse puto :
sed inscriptio orationis in aliam nimis quæsitam opinionem 19
prius me duxerat. Solemne erat, a senatu decerni triumphum : raro invito senatu populus id fecit. Liv. III, 63 ; VII, 17. Suspicabar autem, id ipsum inscriptione Catonis significari. Narrat enim Plutarchus Cat. c. 11 : Scipionem, Catonis inimicum, in proconsulatu Hispaniæ ei succedere voluisse, et questum esse de rebus ejus gestis. Unde colligebam, Scipionem, principem senatus, Catoni triumphum roganti obstitisse, ita ut orator ad populum de re retulerit. Idem, quod Plutarchus, Corn. Nepos, Vit. Cat. c. 2, tradidit. Verum Weberus, acutissimus vitæ Catonis enarrator, pag. 24 id in iis habet fabellis, quas in calumniam Africani inimicorum aliquis confinxerit. Cum autem Scipio Nasica, patruelis Africani, in Hispaniam ulteriorem Catone decedente missus fuerit, recte Bosium ad Nepotem judicasse dicit, ex hac permutatione illam natam esse calumniam.

Priscian. III, 1, p. 108 ed. Krehl : Inveniuntur quædam ad-

jectiva, quorum comparativa non habentur in usu frequenti : sunt autem ea plerumque quæ vocales ante *us* habent, ut *pius*, *arduus*, *egregius*. Vetustissimi tamen hujuscemodi comparativis est quando sunt usi. Cato ad populum de triumpho : *Asperrimo atque arduissimo aditu.*

4. ORATIO APUD ATHENIENSES.

Pertinet ad annum 562. Plut. Cat. c. 12 : Μανίῳ Ἀκιλίῳ χιλιαρχῶν (Κάτων) ἐπ' Ἀντίοχον τὸν μέγαν συνεξῆλθεν εἰς τὴν Ἑλλάδα φοβήσαντα Ῥωμαίους ὡς οὐδένα ἕτερον μετ' Ἀννίβαν, Κάτων δὲ Κορινθίους καὶ Πατρεῖς, ἔτι δ' Αἰγιεῖς παρεστήσατο, πλεῖστον δὲ χρόνον ἐν Ἀθήναις διέτριψε· καὶ λέγεται μέν τις αὐτοῦ φέρεσθαι λόγος, ὃν Ἑλληνιστὶ πρὸς τὸν δῆμον εἶπεν ὡς ζηλῶν τε τὴν ἀρετὴν τῶν παλαιῶν Ἀθηναίων τῆς τε πόλεως διὰ τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος ἡδέως εἴη γεγονὼς θεατής. Τὸ δ' οὐκ ἀληθές ἐστιν, ἀλλὰ δι' ἑρμηνέως ἐνέτυχε τοῖς Ἀθη-
20 ναίοις δυνηθεὶς ἂν αὐτὸς εἰπεῖν, ἐμμένων δὲ τοῖς πατρίοις καὶ καταγελῶν τῶν τὰ Ἑλληνικὰ τεθαυμακότων.

Rufinianus De figuris c. 6, p. 199 ed. Ruhnk. : Exuthenismus. Figura hæc fit, cum rem aliquam extenuamus et contemptam facimus. *Cato apud Athenienses : Antiochus epistolis bellum gerit, calamo et atramento militat.*

apud Athenienses] Ruhnkenius emendationem suam *ad Athenienses* in Addendis p. 276 retractavit.

5. ORATIO CONTRA THERMUM DE DECEM HOMINIBUS.

Q. Minucius Thermus, consul anno 560, adversus Ligures et Boios Gallos profectus, prorogato imperio anno 563 Romanis eos rursus subjecit. Livius XXXVII, 46 : « Duo fere sub idem tempus cum triumphi spe proconsules de provinciis Romam redierunt, Q. Minucius ex Liguribus [*Hispanis* vult Bolhuis. ex XXXIII, 26], M'. Acilius ex Ætolia. Auditis utriusque rebu gestis Minucio negatus triumphus, Acilio magno consensu decretus. » Cum in senatu de triumpho Thermi deliberabatur, bis contra eum venit Cato, tum quia decem homines liberos in provincia crudelissime occiderat, tum quia in petitione triumphi multa prœlia fingebat et numerum occisorum hostium exaggerabat. Tunc enim orationes *de decem hominibus* et *de falsis pugnis* a Catone in Q. Thermum dictæ videntur, quæ satis

demonstrant, M. Catonem Q. Thermi triumpho non solum vehementer obstitisse, sed ipsum etiam reum majestatis ad populum egisse, non solum propter falsas pugnas et victorias fictas, sed inprimis quod decem viros, homines nobiles ac liberos, ob parum sibi bene curata cibaria virgis cæsos, indicta causa atque indemnatos occidisset. Eæ orationes igitur ad annum 563 pertinent.

Gellius XIII, 24: Hoc ornatus genus in crimine uno vocibus multis atque sævis exstruendo, ille jam tunc M. Cato antiquissimus in orationibus suis celebravit, sicut in illa, quæ inscripta est *De decem hominibus,* cum Thermum accusavit, quod decem liberos homines eodem tempore interfecisset, hisce verbis eamdem omnibus rem significantibus usus est, quæ, quoniam sunt eloquentiæ Latinæ tunc primum exorientis lumina quædam sub-
lustria, lubitum est ea mihi ἀπομνημονεύειν: *Tuum nefarium facinus* 21
pejore facinore operire postulas: succidias humanas facis, tantas trucidationes facis, decem funera facis, decem capita libera interficis, decem hominibus vitam eripis, indicta causa, injudicatis, incondemnatis.

tuum nefarium facinus] Veri simile est, Thermum nimiam frumenti copiam in provincia per decem homines extorsisse, quos postea, ne palam fieret crimen, occidisset.

succidias humanas facis] i. e. homines occidis, mactas. V. Gronov. ad h. l.

tantas trucid. facis] desunt in edit. 1493. [Cod. Reg. *tantam trucidationem.*]

Festus: « *Sacramento* dicitur quod [juris jurandi sacrati]one interposita actum [est. Unde quis sacramento] dicitur interrogari quia [jusjurandum interponitur. Cato] in Q. Thermum de x [hominibus: *Tunc vero ibi ad*]*erant, ne mala* [*facinora bona fide, aut scelera*] *nefaria fie*[*rent, qui dicerent sacrame*]*nto, traderentur lege, æsti*[*marentur.*]» Vulgo *aderunt.* [Uncis inclusimus ubique quæ verba in codice perierant. Scaliger conjecit: *Aderant, ne mala fide viderentur scelera nefaria fieri, qui dicerent sacramento: traderentur lege, æstimarentur.* — Vulgatam sic explico: Aderant homines, ne aperte vel propalam mala facinora aut scelera nefaria committerentur, qui dicerent fide interposita: traderentur ex lege arbitro et æstimarentur. [Ironia enim inest in illis, *bona fide.*]

Festus : *Spiciunt* antiquos di[xisse sine præposi]tione testis est Cato in ea, quam [habuit contra Thermum de] septem (*leg.* decem) hominibus : *Ut solent [evitare son]ivios, nisi qui sempiterni sunt, [quos dum occur]rant, nec spiciunt neque ratos [esse volunt.]*

sonivios] hoc me non intelligere fateor. Nota sunt sonivia auspicia et sonivium tripudium.

Festus : « *Obstinato,* infirmato (obf.), perseveranti, ut tenere possit. Cato in Q. Thermum de decem hominibus : *Rumorem, famam flocci fecit, captus stupris, obstinatus insignibus flagitiis.* » Cod. habet : *Rumorem fama flocci fecit capitas* (al. *cupitus*) *stupris, obstinatus insignibus flagitiis.* Scaliger emendat : *Rumorem, famam flocci facit, intercutibus stupris obstinatus, insignibus probris flagitatus.* Ex Prisciano, opinor, hanc sumpsit emendationem, qui VI, 16, p. 279, e Catone laudat : *intercùtibus stupris obstinatus,* pro intestinis. Idem Scaliger ad Festum p. 299 dicit :
22 « *Flagitium* apud veteres significabat infamiam. Cato : *intercutibus stupris flagitatus,* pro intestinis probris infamatus. »

Fest. : « [*Multifacere* antiqui dicebant sicut] magniface[re; item et parvifacere. Testis est M. Cato] in ea, quam [scripsit contra Q. Minucium Thermum de] decem hominibus : [*Neque fidem, neque jusjurandum*], *neque pud*[*icitiam multifacit is.*]» Sic scripsi pro *multifacitis,* quod Dacerius in adnotat. habet. Vulgata omittit *is.* [Recte factum ; nam Paulus habet : *Neque fidem, neque jusjurandum, neque pudicitiam multifacit.*] Conjungo superius fragmentum : *Rumorem, famam flocci facit, intercutibus stupris obstinatus, insignibus probris flagitatus, neque fidem neque jusjurandum neque pudicitiam multifacit.*

Fest. : [*Nequinates* dicti sunt] Narnensis [qui e Nequino oppido ejectis colo]nis veteri[bus ibi habitarunt. Cato in ea adversus x hom.....

* *Narnensis*] sic cod. Paulus *Narnienses.*

Nonius p. 63, 25 : « *Moletrina* a molendo, quod pistrinum dicimus. Cato in Thermum : *Nervo, carcere, moletrina.* » Quæ huic orationi jam Popma immiscuit verba. *Nervus* vinculum ferreum, quo pedes vel cervices impediuntur. Supplendum : *Nervo, carcere, moletrina abusus est Thermus.*

6. ORATIO DE FALSIS PUGNIS CONTRA THERMUM.

Argumentum vide in præcedenti. Oratio anno 563 est habita. A. Gellius in eleganti judicio de eloquentia C. Gracchi, Ciceronis atque Catonis ex eo libro, qui *de falsis pugnis* inscriptus est, exemplum sumpsit, X, 3 : « Qui consideret M. Catonis, hominis antiquioris, orationem, ad cujus vim et copiam Gracchus nec adspiravit, intelliget, opinor, Catonem contentum eloquentia ætatis suæ non fuisse, et id jam tum facere voluisse, quod Cicero postea perfecit. In eo namque libro, qui *de falsis pugnis* inscriptus est, ita de Q. Thermo conquestus est :

Dixit, a decemviris parum sibi bene cibaria curata esse, jussit vestimenta detrahi atque flagro cædi : decemviros Bruttiani verberavere ; videre multi mortales. Quis hanc contumeliam, quis 23
hoc imperium, quis hanc servitutem ferre potest ? Nemo hoc rex ausus est facere ; eane fieri bonis, bono genere gnatis, boni consulitis ? Ubi societas ? ubi fides majorum ? Insignitas injurias, plagas, verbera, vibices, vis, dolores atque carnificinas, per dedecus atque maxumam contumeliam, inspectantibus popularibus suis atque multis mortalibus, te facere ausum esse ? Sed quantum luctum, quantum gemitum, quid lacrumarum, quantum fletum factum audivi ? Servi injurias nimis ægre ferunt. Quid illos, bono genere gnatos, magna virtute præditos, opinamini animi habuisse atque habituros, dum vivent ? »

Decemviri] nomen magistratus apud Ligures.

Bruttiani] Sic appellantur Bruttii, qui ignominiæ causa magistratibus in provincias euntibus parere et præministrare servorum vicem coacti sunt, ut Gellius ipse hoc loco explicat. Ubi v. Gronov. Conf. Creuzer. Antiq. Rom. §. 39.

te facere] Schulting ad Senecæ Controvers. I, 1 : *Ipse omnia mala faciebat ingenio suo*, p. 75 hunc locum affert cum altero Catonis ex Charisio II : *Multa nova miracula fecere inimici*. [Statim cod. Reg. *Et quantum*, pro *Sed*. Et Meyer. *quantum*QUE *gem...*, *quantum*QUE *fact.*, invitis codd.]

Nonius p. 187, 27 exemplum ex eodem Gellii loco mutuatus est : « *Vibices*, plagarum vulnera. Cato de falsis pugnis : *Ubi societas ? ubi fides majorum ? insignitas injurias, plagas, verbera, vibices, eis dolores atque carnificinas per dedecus atque maximam contumeliam inspectantibus.* » Legitur apud Perott. : *insignitas injurias, plagas, verbera, vibices, vis, dolores*. Hanc lectionem

prætulit Mercerus, cum et Sallustius *vis*, i. e. vires, pluraliter dixisset. Vide Cort. ad Sallust. Fragm. p. 963. Assentior Mercero; languet enim *eos dolores* vel *eis dolores,* quod apud Gellium et Nonium vulgo legitur. *Vis* significat violentiam omnis generis, contumelias, ut vulgo dicimus *vim facere.*

Lipsius cum putaret, hac in oratione de pœnis tantum falso provincialibus irrogatis Catonem esse questum, titulum in *de falsis pœnis* mutavit, Var. Lectt. I, 14. Sed spectabat non ad argumentum totius orationis, sed ad fragmentum tantum, quod
24 nobis reliquum est: porro, qui *de falsis pœnis* dicet pro *de pœnis falso irrogatis,* latinum loqui nego.

7-10. ORATIO ADVERSUS M'. ACILIUM QUARTA.

Orationes adversus M'. Acilium Glabrionem anno 564 dictas esse conjicio. Testis est Livius XXXVII, 57: Eodem anno (564) censuram multi et clari viri petierunt, quæ res tamquam in se parum magni certaminis causam haberet, aliam contentionem multo majorem excitavit. Petebant T. Quintius Flamininus, P. Cornelius Cn. F. Scipio, L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato, M. Claudius Marcellus, M'. Acilius Glabrio, qui Antiochum ad Thermopylas Ætolosque devicerat. In hunc maxime, quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligaverat, favor populi se inclinabat. Id cum ægre paterentur tot nobiles, novum sibi hominem tantum præferri, P. Sempronius Gracchus et C. Sempronius Rutilus tribuni plebis ei diem dixerunt, quod pecuniæ regiæ prædæque aliquantum captæ in Antiochi castris neque in triumpho tulisset neque in ærarium retulisset. Varia testimonia legatorum tribunorumque militum erant. M. Cato ante alios testes conspiciebatur: cujus auctoritatem perpetuo tenore vitæ partam toga candida elevabat. Is testis, *quæ vasa aurea atque argentea captis castris inter aliam prædam regiam vidisset, ea se in triumpho negabat vidisse.* Postremo in hujus maxime invidiam desistere se petitione Glabrio dixit, quando, quod taciti indignarentur nobiles homines, id æque novus competitor inæstimabili perjurio incesseret.

M. Cato inter testes apparet, quia legatus fuerat M'. Acilii Glabrionis consulis anno 562. V. Liv. XXXVI, 17. Plut. Cat.

c. 12 : Μανίῳ δ' Ἀκιλίῳ χιλιαρχῶν (qui tum tribunus militum a populo factus in exercitu erat, ut Frontinus Stratag. II, 4, 4, scribit) ἐπ Ἀντίοχον τὸν μέγαν συνεξῆλθεν εἰς τὴν Ἑλλάδα. Glabrio autem ob eam rem de *inæstimabili perjurio* Catonis i. e. de nequissima proditione questus est, quod imperatorem a legato prodi impium erat.

Festus : « *Penatores,* qui penus gestant. Cato adversus M.'Acilium quarta : *Postquam nautas ex navibus eduxi, non ex militibus atque nautis piscatores penatores ficisedarum dedi.* » Codex habet, *postquam nativitas ex navibus eduxi, non ex militibus atque nautis piscatores penatores ficisedarum dedi.* Editio 1511 : Cato adversus M. Accillium quarta : *postquam nativitas ex navibus eduxi non ex militibus atque nautis piscatores penatores facile datum dedi.* Ursinus conjecit : *piscatores, penatores feci, sed cibum dedi.* Dacerius conjecit : *feci, sed aurum dedi :* præterea suspicatur, Festum in corruptos Catonis codices incidisse, ubi male *penatores* pro *venatores* legeretur. [Ut sit sensus : Non militibus dixi, ut, si edere vellent, vel venarentur, vel piscarentur; sed aurum eis dedi, quo cibum pararent.] Popma conjecit : *penatores fiscellarum.* Legitur apud Perottum, ed. 1526 : *penatores ficiledarum dedi.* In Laurenbergii Antiquario pag. 329 legitur : *Postquam navitas ex navibus eduxi, non ex militibus atque nautis* (legendum *navitis*) *piscatores, penatores ficedularum dedi.* — Dacerii emendationem lubentissime sequor.

11. ORATIO DE PECUNIA REGIS ANTIOCHI.

Hæc incidit in annum 566. Argumentum narrat Livius XXXVIII, 54 : Morte Africani crevere inimicorum animi : quorum princeps fuit M. Porcius Cato, qui vivo quoque eo allatrare ejus magnitudinem solitus erat. Hoc auctore existimantur Petillii et vivo Africano rem ingressi et mortuo rogationem promulgasse. Fuit autem rogatio talis : *Velitis, jubeatis, quæratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho est, quique sub ejus imperio fuerunt, quod ejus in publicum relatum non est, uti de ea re Ser. Sulpicius prætor urbanus ad senatum referat, quem eam rem velit senatus quærere de iis, qui prætores nunc sunt.* M. Cato suasit rogationem (*extat oratio ejus de pecunia regis Antiochi*) et Mummios tribunos auctoritate deterruit, ne

26 adversarentur rogationi. [Conf. Plutarch. in Vita c. 15. Ceterum illam rogationem ferri non potuisse ante mortem Africani, i. e. ante annum 569, demonstrat Westerm. p. 45 sq., ita ut hujus anni 569 sit oratio.]

L. Cornelius Scipio Asiaticus comitante fratre Africano adversus Antiochum bellum gessit a. U. 563.

12. ORATIO IN M. FULVIUM NOBILIOREM.

Hæc oratio videtur habita in fine anni 566 vel initio insequentis. Argumentum Livius suppeditat, XXXIX, 5 : Triumphus M. Fulvio est decretus. Triumphavit ante diem decimum Kal. Januarias de Ætolis et de Cephallenia. Aureæ coronæ centum duodecim pondo ante currum latæ sunt, argenti pondo millia octoginta tria, auri pondo ducenta quadraginta tria, tetradrachmum Atticum centum octodecim millia, Philippei nummi duodecim millia quadringenti viginti duo, etc. Multos eo die, priusquam in urbem inveheretur, in circo Flaminio tribunos, præfectos, equites, centuriones Romanos sociosque donis militaribus donavit. Militibus ex præda vicenos quinos denarios divisit, duplex centurioni, triplex equiti.

Has Fulvii largitiones aggressus est Cato.

Gellius V, 6 : M. Cato objecit M. Fulvio Nobiliori, quod milites per ambitionem coronis levissimis de causis donasset. De qua re verba ipsa apposui Catonis :

Jam principio quis vidit, corona donari quemquam , cum oppidum captum non esset, aut castra hostium non incensa essent?

Jam] Ita cod. Par. alter; et vetus a sec. m.; a pr. ut edd. *Nam.* Illud reposuimus.

Cicero Tuscul. I, 2 : «Sero a nostris poetæ vel cogniti vel recepti. Quamquam est in Originibus, solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus; honorem tamen huic generi non fuisse declarat *oratio Catonis, in qua objecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset.* Duxerat autem consul ille (anno 564) in Ætoliam, ut scimus, Ennium. Hunc ex Sardinia ipse Cato quæstor Romam deduxerat anno 550. [Recte observare videtur Bolhuis. p. 126 :

« Cicero nimia e verbis Catonis ducere videtur : etenim studium literarum non poterat exprobrare Cato, qui ipse earum erat amantissimus, quique insuper Ennio familiariter utebatur, imo ipse eum ex Sardinia deduxerat. Illud tantum probrosum existimavit Cato, quod Ennium *in provinciam* duxerat consul, et ita studiis suis tunc etiam indulsisse videbatur, cum bellicæ disciplinæ rebusque severioribus operam unice navare debuisset. »]

Cicero De orat. II, 63 : Alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in litera positum Græci vocant 27
παρονομασίαν, ut *Nobiliorem mobiliorem* Cato.

mobiliorem] leviorem.

Duas orationes contra M. Fulvium a Catone habitas veri simile est, unam, quæ nunc proposita est, in qua largitiones ejus nimias incessit; alteram, in qua Fulvii censuram anno 574 perstrinxit, ut ex Festo s. v. *Retricibus* aperte colligitur. Distinxi igitur fragmenta utriusque orationis, quæ a Popma et Lione conglutinata sunt. Weberus adnotavit pag. 25 : « M. Fulvio consuli a. U. 564 legatum se missum in Ætoliam propterea quod ex Ætolia complures venerant, Ætolos pacem velle, de ea re oratores Romam profectos, apud Festum dicit in fragmento orationis De suis virtutibus. Cujus rei si scriptores illius belli mentionem non faciunt, factum est, quod Catonis illo tempore partes non adeo magnæ videntur fuisse. Ceterum ea occasione fortasse usus est, ut Fulvium de rei gerendæ ratione ad senatum incusaret. Cujus orationis nonnullæ extant particulæ. » — Recte, sed distinguenda sunt, ut dixi, duarum in Fulvium actionum fragmenta.

13. ORATIO DE CONJURATIONE.

Hanc ad annum 567 refero, cum de clandestinis conjurationibus quæreretur. Coitiones enim fœdæ et incestus turpissimi utriusque sexus hominum, venena, intestinæque cædes, quæ crebra in occultis nocturnisque Bacchanalium sacris fiebant, primum Romæ, deinde passim per Italiam, casu detecta fuerant. Falsi testes, falsa signa testamentaque et indicia ex eadem officina exibant. Multa dolo, pleraque per vim audebantur. Conjurasse supra septem millia virorum ac mulierum dicebantur. Livius copiose rem exponit XXXIX, 8-18.

Festus : *Precem* singulariter Cato in ea , quæ est *de conjuratione*.

Sequuntur *orationes censoriæ*, quarum novendecim est numerus. Longe major tamen censoriarum orationum exstabat copia :
28 nam in omnes, quos aut senatorio loco movit, aut quibus equum ademit, orationes edidit. Conf. Duker ad Liv. XXXIX, 42. — Weberus plures etiam alias atque ego inter censorias retulit : qua in re ei consentio libentissime, easque ex incertarum orationum genere, inter quas in meo libro comparent, in censorias redegissem, nisi liber absolutus fuisset. Nec fuit tanti, præsertim in re tam lubrica et incerta. [Nos errores, qui transponendis tot paginis poterant emergere, veriti, ordinem servavimus et ipsi. Orationes autem inter censorias ab aliis post Meyerum relatæ hæ sunt, quas infra habes numeris significatas 64, 76, 61, 71, 55, 68, 63, 65, 86, 72 et 69.] Liv. XXXIX, 40 : *Censuram magna contentione petebant L. Valerius Flaccus, P. et L. Scipiones, Cn. Manlius Vulso, L. Furius Purpureo nobiles, plebeii autem M. Porcius Cato, M. Fulvius Nobilior, Ti. et M. Sempronii, Longus et Tuditanus. Sed omnes patricios plebeiosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat.* Is censor cum Flacco factus severe præfuit ei potestati. Plut. Cat. c. 16. Has orationes (14-33) anno 569 habuit.

[« Orationem habuit eo tempore, quo censor cum Valerio Flacco creatus est, cum antea jam eamdem dignitatem, sed frustra, petiisset. Tum enim censuram obtinuerant T. Quintius Flamininus et M. Claudius Marcellus. V. Liv. XXXVII, 57 sq. Plut. Cat. c. 16 : Ὁ Κάτων οὐδεμίαν ἐνδιδοὺς ἐπιείκειαν, ἀλλ' ἄντικρυς ἀπειλῶν τε τοῖς πονηροῖς ἀπὸ τοῦ βήματος, καὶ κεκραγὼς μεγάλου καθαρμοῦ χρῄζειν τὴν πόλιν, ἠξίου τοὺς πολλούς, εἰ σωφρονοῦσι, μὴ τὸν ἥδιστον, ἀλλὰ τὸν σφοδρότατον αἱρεῖσθαι τῶν ἰατρῶν· τοῦτον δ' αὐτὸν εἶναι καὶ τῶν πατρικίων ἕνα, Φλάκκον Οὐαλέριον. Μετ' ἐκείνου γὰρ οἴεσθαι μόνου τὴν τρυφὴν καὶ τὴν μαλακίαν, ὥσπερ ὕδρον, τέμνων καὶ ἀποκαίων, προὔργου τι ποιήσειν· τῶν δ' ἄλλων ὁρᾷν ἕκαστον ἄρξαι κακῶς βιαζόμενον, ὅτι τοὺς καλῶς ἄρξοντας δέδοικεν. » *Bolhuis*. p. 170.]

14. ORATIO IN L. QUINTIUM FLAMININUM.

Argumentum Livius describit XXXIX, 42 : Censores M. Porcius et L. Valerius metu mixta exspectatione senatum legerunt ;

septem moverunt senatu, ex quibus unum insignem et nobilitate
et honoribus L. Quintium Flamininum consularem. Patrum me-
moria institutum fertur, ut censores motis senatu ascriberent
notas. *Catonis et aliæ quidem acerbæ orationes extant in eos,
quos aut senatorio loco movit aut quibus equos ademit: longe
gravissima in L. Quintium oratio est,* qua si accusator ante
notam, non censor post notam usus esset, retinere Quintium in
senatu ne frater quidem T. Quintius, si tum censor fuisset,
potuisset. Inter cetera objecit ei, *Philippum Pœnum, carum ac
nobile scortum, ab Roma in Galliam provinciam spe ingentium
donorum perductum. Eum puerum per lasciviam cum cavillaretur,
exprobrare consuli persæpe solitum, quod sub ipsum spectaculum
gladiatorium abductus ab Roma esset, ut obsequium venditaret
amatori. Forte epulantibus iis, cum jam vino incaluissent, nun-
tiatum in convivio esse, nobilem Boium cum liberis transfugam
venisse, convenire consulem velle, ut ab eo fidem præsens acci-* 29
*peret. Introductum in tabernaculum per interpretem alloqui con-
sulem cœpisse. Inter cujus sermonem Quintius scorto,* « *Vis tu,
inquit, quoniam gladiatorium spectaculum reliquisti, jam hunc
Gallum morientem videre?* » *Et cum is vixdum serio annuisset,
ad nutum scorti consulem stricto gladio, qui super caput pendebat,
loquenti Gallo caput primum percussisse, deinde fugienti fidemque
populi Romani atque eorum qui aderant imploranti latus transfo-
disse...* (Cap. 43.) In extrema oratione Catonis *conditio Quintio
fertur, ut, si id factum negaret ceteraque quæ objecisset, spon-
sione defenderet sese: sin fateretur, ignominiane sua quemquam
doliturum censeret, cum ipse vino et Venere amens, sanguine
hominis in convivio lusisset?*— Idem aliter refert Plut. Cat. c. 17,
Flamin. c. 18, Valerius Max. II, 9, 3, et IV, 5, 1, Cic. De senect.
c. 12, Senec. Controv. IV, 25.

L. Quintius Flamininus, Titi frater, qui consul a. 561 Boiorum agros vastavit, libidinosissimus fuit, nec ullo suo merito ad honores reipublicæ pervenit.

Fragmentum ex hac oratione apud Isidorum exstare videtur, in libro De differentiis, ubi legitur in ed. Parisiensi Jacobi Du Breul a. 1601, p. 741 : *Inter amorem et cupidinem...* « *Aliud est, inquit Cato, Philippe, amor longe aliudque cupido. Accessit illico alter, ubi alter recessit, alter bonus, alter malus.* » Variat

paulum codex Basileensis De differ. Isidori, quem Orellius mecum communicavit; ibi enim legimus : *Aliud est, inquit Catho, philippi amor longe aliud est cupido. accessit illico alter ibi alter recessit, alter bonus, alter malus.* Codex apud Barthium, in Advers. XXXIX, 6 : *Inter am. et cup. aliud est, inquit Cato. Philippi. Amor longe aliud est cupido. accessit illico alter, ibi alter recessit.* Ac nescio an Catonis locus sic legendus sit : « *Aliud est,* inquit Cato, *Philippe, amor, longe aliud est cupido : accessit illico alter, ubi alter recessit : alter bonus, alter malus.* [Ita cod. Paris., nisi quod, per interpolationem, *longe* QUAM *cupido.*] In hoc loco orationis ad Philippum se convertens Cato pravum ejus amorem perstringit, quia auctor fuit Quintio committendi facinoris.

15. ORATIO IN MANILIUM.

Plut. Cato c. 17 refert : Ἄλλον δὲ βουλῆς ἐξέβαλεν, ὑπατεύσειν ἐπίδοξον ὄντα, Μανίλλιον, ὅτι τὴν αὐτοῦ γυναῖκα μεθ' ἡμέραν ὁρώσης τῆς θυγατρὸς κατεφίλησεν· αὐτῷ δ' ἔφη τὴν γυναῖκα μηδέποτε πλὴν βροντῆς μεγάλης γενομένης περιπλακῆναι. Καὶ μετὰ παιδιᾶς εἰπεῖν αὐτὸν, ὡς μακάριός ἐστι τοῦ Διὸς βροντῶντος. Quis sit ille Manilius, ignoro. Pighius quidem Annal. vol. II, p. 326 ad A. U. 571, P. Manlium Vulsonem, prætorem anni 572 (571) intelligit. Hic, ait, videri Manlius poterit, quem refert Plutarchus a Catone e senatu motum, uti præturam denuo recuperandi ejus ordinis causa repetiisse conjiciam.

16. ORATIO IN NASICAM.

Utrum in Nasicam, quem inter ærarios retulerat, orationem habuerit, ambigi potest. Certe id fecit, si Nasica aut senator aut
30 eques erat : nam in eos acerbas orationes pro concione dixit Livio auctore. Sed de Nasica nihil, atque ne nomen quidem constat. Codices enim Ciceronis De Orat. II, 64, 260 : *Ridicule etiam illud P. Nasica censori Catoni, quum ille* Ex tui animi sententia tu uxorem habes? Non Hercule, *inquit,* ex mei animi sententia.., *L. Porcius Nasica,* præbent. Cum autem Nasicæ non e Porciis sint, emendabatur ab aliis *L. Nasica Porcio censori,* a Pighio ad annum 569 *L. Porcius Læca censori Catoni ;* aliorum conjecturas omitto. Henrichsen legit : *ridicule etiam illud*

L. [*Porcius*] *Nasica censori Catoni* etc. Idem dictum nomine prætermisso A. Gellius narrat N. A. IV, 20.

17. ORATIO IN L. SCIPIONEM.

Liv. XXXIX, 44 : In equitatu recognoscendo L. Scipioni Asiageni ademptus equus.

L. Scipionem] Weberus adnotavit p. 31 : « Hunc non ipsum fuisse Scipionem Asiaticum, victorem Antiochi, quod post Plutarchum Cat. c. 18 nonnulli interpretes Livii censuerunt, sed filium ejus, facile est intellectu. » [Conf. ad n. 61.]

18. ORATIO IN L. VETURIUM DE SACRIFICIO COMMISSO, CUM EI EQUUM CENSOR ADIMERET.

Commemorat Livius L. Veturium Philonem, qui censor a. 543 mortuus est, deinde L. Veturium Philonem Cons. 547, magistrum equitum a. 548. Utrum autem huic, an alii cognomini equum ademerit Cato, incertum est.

Festus : « *Stata* sacrificia sunt, quæ certis diebus fieri debent. Cato in ea, quam scripsit de L. Veturio *de sacrificio commisso*, cum ei equum ademit : *Quod tu, quod in te fuit, sacra stata, solemnia, capite sancta deseruisti.*

sacra] sacra gentilicia, stato die ac certo loco facienda. Vid. Beier. ad Cic. De offic. I, 17, 55. [Addit Festus : « *Solemnia sacra* dicuntur, quæ certis temporibus annisque fieri solent. » Mirum est illud *capite*, quod omittit Paulus in Epitome : ac sane ita optime procedit asyndeton.]

Festus : « *Prohibere* comitia dicitur vitiare diem morbo, qui vulgo quidem major, ceterum ob id ipsum comitialis appellatur. Cato in oratione, quam scripsit *de sacrilegio commisso : Domi cum auspicamus, honorem me deum immortalium velim habuisse. Servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. Si cui ibidem servo aut ancillæ* 31
dormienti evenit, quod comitia prohibere solet, ne id quidem mihi vitium facit.

de sacrilegio] corrupte. Legendum *de sacrificio*, ut mox sum probaturus.

Domi cum auspicamus] Intelligit genus auspicii, quod post mediam noctem domi captabatur et appellabatur *silentium*. Cicero De divin. II, 34. Festus : *Silentio surgere dicitur, ubi quis post mediam noctem sur-*

git auspicandi causa ex lectulo suo, hoc enim est silentium, omnis vitii in auspiciis vacuitas. Conf. Ruhnken. in Antiquitates Romanas, fascic. V, pag. 6. [Cod. Festi *dium,* pro *deum* — *Sub centone*, i. e. sub stragulis.]

ne id] Dacerius emendabat *ne id quidem* pro *ne is qu.* Sed jam editio 1511 idem habet.

Priscian. VI, 7, p. 246 ed. Krehl. : Cato *de sacrificio commisso : Mense Octobri fecimus, Novembris reliquus erat.*

Gellius VII, 22 : Nimis pingui homini et corpulento censores equum adimere solitos scilicet, minus idoneum ratos esse cum tanti corporis pondere ad faciendum equitis munus. Non enim pœna id fuit, ut quidam existimant, sed munus sine ignominia remittebatur. Tamen Cato in *oratione*, quam *de sacrificio commisso* scripsit, objicit hanc rem criminosius, uti magis videri possit cum ignominia fuisse.

Scilicet] Construe : Scire licet, nimis pingui homini equum adimere solitos fuisse censores, ratos, eum minus idoneum esse, ad faciendum equitis munus.

Plut. Cat. c. 9 : Τὸν δὲ ὑπέρπαχυν κακίζων, Ποῦ δ' ἂν, ἔφη, σῶμα τοιοῦτον τῇ πόλει γένοιτο χρήσιμον, οὗ τὸ μεταξὺ λαιμοῦ καὶ βουβώνων πᾶν ὑπὸ τῆς γαστρὸς κατέχεται.

τὸν ὑπέρπαχυν] ad Veturium id refero.

Priscian. X, 3, p. 484 : Cato censorius de Veturio : *Hostem Numium icit.*

* *Numium*] Sic duo codd. Germanici. Alii *nimium,* alii *numum,* ut editt., unus *non.* Edit. Haverc. : *Hostem numii cit?* Sic Regius IX sæc., sed inter lin. eadem manu *ini.*

Idem VI, 3, p. 229 : « Cato contra Veturium : *Aquam Anienem in sacrarium inferre oportebat : non minus autem* XV *milia Anien abest.* » — Mutavit Lipsius Var. Lectt. III, 11 : *Aquam Anienam.* Popma adnotat : « *Aquam Anienem,* ita Sallust. II Hist., *dextrum flumen Turiam,* et lib. IV, *Contendit ad flumen*
32 *Euphratem ;* Cæsar *Oceanum mare,* ne quis mutet *aquam Anienam* contra observationem Prisciani. [Minime quidem contra observationem Prisciani : nam *Anien* in loco Catonis statim sequitur. Et adjectivum *Anienus* affert Prisc. supra II, 9, p.

913.] *Anien* vocatur a Catone, qui ab aliis Anio, et quidem duplex vetus et novus, item feminino genere in veteri inscriptione: *item Anienem novam a milliario* LXII. » In Orellii Inscriptt. n. 3203 legimus *Aquarius aquæ Anionis veteris.* [Post verba *non minus* adjecimus *autem* e codd. Krehlii vol. II, p. 517. Ita etiam antiquissimus codex Regius. Pro *milia* ed. Basil. ap. Bolhuis. p. 120 *millibus.*]

Idem VIII, 3, p. 365 : Cato Censorius de L. Veturio : *Græco ritu fiebantur Saturnalia.*

Gellius XVII, 2 : *Sanctitas* et *sanctimonia* non minus latine dicuntur, sed nescio quid majoris dignitatis est verbum *sanctitudo,* sicuti M. Cato in L. Veturium *duritudinem* quam *duritiam* dicere gravius putavit. *Qui illius,* inquit, *impudentiam norat et duritudinem.*

Nonius p. 100, 21 : « *Duritudo* pro duritia. Cato in Veturium : *Qui illius,* inquit, *imprudentiam norat et duritudinem.* » Hoc a Gellio sumpsit, ubi melius *impudentiam* legitur.

Memorat Nonius p. 149, 3 : « *Plevitatem,* ignobilitatem. Cato pro Veturio : *Propter tenuitatem et plevitatem.* » Id eidem orationi *in L. Veturium* vindico, erroremque inscriptionis negligentiæ Nonii, quem ejus rei accusari nemo mirabitur, tribuo. Popma et Lion hæc verba orationi *pro L. Turio contra Gellium* inserunt, eamdemque opinionem amplexus est Wasse ad Frag. Histor. vol. II, p. 293 ed. Haverc. [Alii codd. *plebitatem.*]

De titulo orationis multum ambigitur. In uno tantum loco legitur *de sacrilegio commisso,* in ceteris *de sacrificio commisso.* Plures viri docti ubique *de sacrilegio commisso* legendum censebant. Sed ex ipsis fragmentis hæc opinio confirmari non potest; nulla ibi enim sacrilegii commissi fit mentio. Cato Veturio equum ideo potius ademisse videtur, quod nimis pinguis et corpulentus erat, ac sacrificia stata deseruerat vel negligenter commiserat. Quare orationem *de sacrificio commisso* inscripsisse eum puto, quod significat *Oratio de sacris a Veturio factis.* Popma inutili opera correxit *de sacrificio omisso.* [Adde p. 164.]

19 et 20. ORATIONES DE MULCTA CONTRA L. FURIUM. 133

Utrum Furius ille sit L. Furius Furpureo, quocum censuram petierat Cato, an L. Furius Philus, ignoramus. Quisquis ille est,

multa ei dicta est ob aquam publicam derivatam et aversam. Cato censor fraudem Furii, qui aquas ex ductibus publicis in privatum usum derivaverat, punivit, quod in aliis quoque fecit, ut ex Livio perspicitur XXXIX, 44: *Aquam publicam omnem, in privatum ædificium aut agrum fluentem, ademerunt censores Cato et Flaccus.* [Add. Plut. Cat. c. 19.] Furius deinde ad populum appellasse videtur, quod ex eo colligitur, quod plures hac de re orationes censor dixit.

Charis. p. II, 192 Putsch.: Cato in primo contra Furium de mulcta: de caro emptis, *O quanti ille agros emit qua aquam duceret!*

Ibid. p. 189: Cato in L. Furium de mulcta: *Prorsum, quodcunque videbat, fecisse, neque quemquam observavisse.*

Ibid. p. 186: Cato in L. Furium de mulcta: *Necessario faciendum fuit.*

Id. I, p. 101: Cato de mulcta contra L. Furium: *Domi meæ sæpe fuit.*

Servius ad Virg. Æn. IV, 244: « *Resignare* vetuste ita dictum (alii tradunt), ut nos *adsignare* dicimus pro damno, ut est apud Catonem in L. Furium: *De aqua, quod attinet ad salinatores ærarios, cui cura vectigalium, resignat.*

ad salinatores ærarios] Vectigal ingens ex sale Romanis fuit, quod qui accipiebat et referebat in ærarium publicum, is dicitur a Catone salinator ærarii. *Resignare* Festus interpretatur rescribere (in tabulas referre), ut *resignatum æs,* in tabulas relatum. Servius putat antique dici pro damnare. Sed Festi interpretatio verior est. *Popma.*

cui cura vectigalium] Est ellipsis pronominis *is.* Is cui cura vectigalium est, i. e. censor. Salinatores ærarii ii sunt, qui pro sale conficiendo et vendendo ærario vectigal pendunt. L. Furius in agro suo fortasse salinas habebat, in quarum usum ex ductu publico aquam averterat. Nam inde ab Anco Marcio rege Romæ salinæ fuerunt institutæ. Plin. H. N. XXXI, 7.

Festus: *Vindiciæ* appellantur res eæ, de quibus controversia [est], aut potius dicitur jus, quia fit inter eos qui contendunt.
34 M. Cato in ea, quam scripsit L. Furio: *De aqua... s. prætores secundum populum vindicias dicunt...*

secundum populum] i. e. populo vindicias dant. Rei controversæ possessionem populo decernunt. *Dacerius.* Corruptus est Festus in titulo orationis: legendum enim *quam scripsit in L. Furium,* nisi accipere

mavis orationem Catonis *pro L. Turio contra Cn. Gellium*, quam A. Gellius affert XIV, 2, id quod Ellendtio in Hist. Eloq. p. 19, placuisse video. Quo minus autem hanc amplectar opinionem, facit illud *De aqua*, quod cum argumento nostræ orationis convenit. [Lacuna expleri ne possit fragmento illo, quod ex Servio modo relatum est? Conf. p. 78 in fine.]

Gellius X, 24 : Ut plerique *die pristini*, ita M. Cato in oratione contra Furium *die proximi* dixit.

Nonius p. 153, 10 : *Proximi*, i. e. proximo. Cato contra Furium : *Die proximi*.

Furium] incertum, ex oratione Catonis in L. Furium an in P. Furium sit sumptum.

21. ORATIO DE MORIBUS CLAUDII NERONIS.

Hanc orationem inter censorias retuli, quoniam ad censorium munus spectare videtur inscriptio. Quamquam ætas hujus viri id fortasse non patitur. Cato cum in Sicilia tribunus militum fuisset, inde reversus C. Claudii Neronis, Cons. a. 546, in bello adversus Hasdrubalem castra secutus est. Ellendt idem in Hist. Eloquentiæ hanc orationem Catoni censori tribuit, nec non Weberus. Dictum Neronianum habet Cic. De orat. II, 61, Quintil. VI, 3, 50. Alius Tib. Claudius Nero Cos. est a. U. 551, ejusque filius Tib. Claudius anno, antequam Cato censor fuit, id est a. 568, quæstor erat. Quare judicium ejus rei erit ambiguum.

Priscian. VI, 7, p. 244 : Cato de moribus Claudii Neronis, *isti* pro *istius* : *Pecunia mea reipublicæ profuit quam isti modi uti tu es.*

profuit quam] *quam* involvit *magis*. Nam per se est comparativa vox. [V. Popma; Cortius ad Sallust. Jug. c. 16, 5; 89, 3, et imprimis ad Catil. c. 8, 1; 20, 17; Jug. 33, 3; 73, 4. *Bolh.* p. 143.]

Nonius p. 63, 21 : *Fulguratoris*, ut extispicis et haruspicis, ita hi fulgurum inspectores. Cato de moribus Claudii Neronis : *Haruspicem, fulguratorem si quis adducat.*

fulguratorem] vid. Ruhnkenius in Antiquitatt. Rom. P. VI, p. 8.

35

22. ORATIO CONTRA ANNIUM.

Inter censorias refero : quo jure, nescio. Apud Festum *T. Annius Luscus* memoratur in ea, quam dixit adversus Tib. Gracchum.

Erat idem T. Annius Luscus collega in censura Q. Fulvii Nobilioris, a. 616, si fides est Festo v. *Religioni*. Idem T. Annius Luscus triumvir erat coloniæ deducendæ Aquileiam. Liv. XLIII, 17. Filius ejus quæstor fuit a. U. 568.

Festus : *Superescit* significat supererit... Verum (*super*) ponitur etiam pro *de*.... Cato contra Annium : *Nemo antea fecit super tali re cum hoc magistratu utique rem.*

23. ORATIO ADVERSUS QUINTUM MINUCIUM THERMUM.

Rufinianus De figuris c. 18, p. 210 ed. Ruhnk., Catonem affert *in Thermum post censuram,* de quo, quomodo sit explicandum, ambigi potest. Id enim non habet eam vim, ut hanc Cato orationem habuerit post censuram Thermi, quoniam Thermus numquam est censor factus, sed illam intelligo, quam notæ censoriæ, sive Thermum senatu, seu equestri ordine moverit, addidit. [Probabiliore, ni fallimur, hoc ratione explicari potest. Fiebat enim, ut censores etiam post actam censuram contra homines ab ipsis olim notatos verba facerent, si quando honor, a quo per censuram exclusi videbantur, iis posterius deferretur. Sic ap. Cic. Or. pro Cluent. c. 42, 43, 45. Tali occasione hæc oratio quidni fuerit habita ?]

Rufinianus hoc fragmentum servavit : *Qui ventrem suum non pro hoste habet, qui pro re publica, non pro sua obsonat, qui stulte spondet, qui cupide ædificat.*

non pro hoste habet] Barth. Advers. XVI, 13 ; XXXVIII, 6, mutavit *nummo pro hoste habet,* quod se non intelligere ipse Ruhnkenius profitetur, deesse tamen aliquid in hoc fragmento existimat.

non pro sua] int. *non pro sua re obsonat :* qui, tamquam possideat vectigalia totius reipublicæ, non pro suo modulo sumptum cœnæ facit.

Festus in v. *Sacrem porcum,* i. e. qui a ruma depulsus decimo circiter a partu die immolabatur : « Cato adver[sus Q. Minucium The]rmum post..... [*sa*]*crem in si*[*nu mactavit.*] »

post] Excidit vocab. *censuram.* [Plura exciderunt, et verba quæ restituuntur incerta sunt.]

Priscian. VIII, 3, p. 365 : M. Cato censorius in Q. Thermum : *Postquam diutius fitur.* Ubi *fitur* est pro fit.

Festus ; *Ratissima* quoque ab his, quæ *rata* dicimus : unde etiam rationes dictæ. Cato in Q. Thermum : *Erga rempublicam multa beneficia ratissima atque gratissima.*

Cetera fragmenta, quæ a Prisciano ex oratione in Thermum afferuntur, in ea collocanda puto, quam in Thermum habuit de rege Ptolomæo anno 590, infra p. 51.

24. ORATIO AD LITIS CENSORIAS. 36

Hanc orationem Cato habuit censor ad populum, antequam notarum redderet rationem, quæ multas moverant lites. Ursinus emendabat *ad notas censorias*. At fortasse post censuram eam habuit, cum T. Flamininus effecisset, ut locationes, quas censor fecerat Cato, irritæ essent et multa ei irrogaretur. Quod ex Plutarch. Cat. c. 19 cognoscimus. [Sic statuit etiam Bolhuis., quam v. p. 162, ubi locos veterum de censura Catonis collegit.] Livius quoque has lites memorat lib. XXXIX, 44 : « Nobilis censura fuit simultatiumque plena, quæ M. Porcium, cui acerbitas ea assignabatur, per omnem vitam exercuerunt. »

Festus : *Periculatus sum*, Cato ait in ea oratione, quam scripsit ad litis censorias. *Parsi*, non *peperci*, ait Cato in eadem oratione : *Scio, fortunas secundas neglegentiam prendere solere: quod uti prohibitum irem, quod in me esset, meo labori non parsi.*

neglegentiam prendere] i. e. arcessere, gignere. Sensus est: cum vererer, ne Romani ob fortunam, qua florebant, a severitate morum recederent, id ante omnia in censura curandum esse existimavi, ut, quod in me erat, luxuriæ et inertiæ resisterem.

25. ORATIO DE SIGNIS ET TABULIS.

Livius XXXIX, 44 : *Ornamenta et vestem muliebrem et vehicula, quæ pluris quam quindecim millium æris essent, in censum referre viatores jussit.* Signa et tabulas tanquam ornamenta domus censui subjecta esse a Catone opinor.

Festus : « *Redemptitavere,* ut clamitavere, Cato in ea, qua egit de signis et tabulis : *Honorem temptavere,* ait, *malefacta benefactis non redemptitavere.* » Codex Festi pro *malefacta* habet *Lefecta* (sic). Ursinus emendavit *Honorem emptitavere.* [Quem

secutus est Popma. Et verum videtur, sed exciderunt, ni fallor, quædam ante *honorem*.] Apud Laurenberg. in Antiquario s. v. legitur : *Hon. redemptitavere.*

Plut. in Reg. et Imperat. Apophthegm., Cato n. 10 : Πολλῶν δὲ ὁρῶν ἀνισταμένους ἀνδριάντας, Ἐμοῦ δὲ, ἔφη, ἐρωτᾶν βούλομαι μᾶλλον τοὺς ἀνθρώπους, διὰ τί ἀνδριὰς οὐ κεῖται Κάτωνος ἢ διὰ τί κεῖται;

37 At fortasse in hac oratione contra luxuriam potius civium disseruit, qui signis, tabulis, statuis domus implebant, aut contra ambitionem eorum, qui sibi in provinciis vel Romæ statuas poni amabant, ut ex Plutarcho Cat. cap. 19 colligimus. Quo autem magis ad hanc opinionem inclinem, Plinius facit, qui in H. N. XXXIV, 6, dicit: *L. Piso prodidit, M. Æmilio, C. Pompilio II. Coss.* [a. U. 595] *a censoribus P. Cornelio Scipione, M. Popilio statuas circa forum eorum, qui magistratus gesserunt, sublatas omnes præter eas, quæ populi aut senatus sententia statutæ essent. Exstant Catonis in censura vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas poni, nec tamen potuit inhibere, quo minus Romæ quoque ponerentur, sicut Corneliæ Gracchorum matri, quæ fuit Africani prioris filia.* Pighius ad ann. 569 pag. 311 dicit : « Latravit vehementer etiam Cato contra statuarum turbas, eamque superbam ambitionem ægerrime tulit, quod ex Plutarcho discimus et apud Plinium legimus. (Sequitur locus modo exscriptus.) Quæ verba demonstrant clare, Plinii tempore Catonis orationem *de statuis* inter alias exstitisse, sicut illa *de signis et tabulis,* cujus meminit Festus in *Red.* » — Videmus, orationem *De signis et tabulis* ab illa *De statuis* distingui a Pighio, ita ut numerus orationum nova augeatur. Malui autem accipere, Catonem in illa *de signis et tabulis* etiam *de statuis* præcepisse. Orationem ejusdem fere argumenti multo post M. Agrippa, Augusti temporibus clarus, de tabulis omnibus signisque publicandis habuit, ut infra dicemus.

26. ORATIO DE VESTITU ET VEHICULIS.

Livius XXXIX, 44 : *Ornamenta et vestem muliebrem et vehicula, quæ pluris quam quindecim millium æris essent, in censum referre viatores jussit.* — De hac re vide Niebuhr. Hist. Rom.
38 vol. II, p. 456 ed. sec., Schlosser. *Univers. Uebers.* vol. II, part. 2, p. 204. Cato jussit, ut supellectile domus, quod plus

constaret quam circiter 1500 florenis, in denum censeretur, et ita quidem, ut terni pro millibus æris referrentur. Hic odiosissimus Romanis erat census : ii enim, quorum supellectile 1500 constabat, pro 15,000 censum dederunt.

Plutarch. Cat. c. 18 : Ἠνάγκαζεν ἐσθῆτος, ὀχήματος, κόσμου γυναικείου, σκευῶν τῶν περὶ δίαιταν, ὧν ἑκάστου τὸ τίμημα δραχμὰς χιλίας καὶ πεντακοσίας ὑπερέβαλλεν, ὑπερτιμᾶσθαι τὴν ἀξίαν εἰς τὸ δεκαπλάσιον, βουλόμενος ἀπὸ μειζόνων τιμημάτων αὐτοῖς μείζονας καὶ τὰς εἰςφορὰς εἶναι.

Priscian. VI, 7, p. 243 : M. Cato in censura de vestitu et de vehiculis : *Nam perinjurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur ; ubi datus est, tum uti eos mutem atque alii modi sim,* pro alius modi.

* *Est tum*] Ita codd. Krehlii. Edd. *sit*, *tamen*. In seq. loco, p. 276, nulla varietas annotatur.

Eadem plane verba pag. 276 leguntur. At XIII, 3, pag. 566 diversitatem invenimus : « M. Cœlius de vestitu et vehiculis : *Nam perinjurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur ; ubi datus sit, tum uti eos mutem atque alii modi sim.* — Equidem *M. Cato* pro *M. Cœlius* restituo quamquam Ruhnkenius ad Vellei. II, pag. 297, hunc locum Cœlio Rufo oratori tribuit, et Krehl., levi ratione commotus, eidem vindicare studuit; quem tamen refutavit Ellendt. in Hist. Eloq. p. 82 et Weichert. De Licinio Calvo p. 92. [Cœlii locus post paucas lineas a Prisciano affertur : unde ortus error. — Conf. p. 84.]

27. ORATIO, UTI PRÆDA IN PUBLICUM REFERATUR.

Hanc orationem cum sequenti *De præda militibus dividunda* inter censorias Catonis recensui, quoniam censoris Romani potissimum erat, ea de re referre, ut ærario bene consuleretur. Cum enim intellexisset Cato, largitiones imperatorum omnem modum excedere, ita ut exigua tantum prædæ pars ex bellis in publicum ærarium referretur, retulit de modo definiendo, quanta prædæ pars imperatoris, quanta militum esse deberet, quantum militibus per largitionem dividere imperatoribus liceret. Alia deinde occasione rogationem suasit, ut universa præda in publicum referretur ; nec ulla ejus pars in privatum usum distribueretur, nec signa aut statuæ, quæ captæ essent, in privatorum

39 domus absconderentur. Ex fragmentis utriusque orationis, quæ simile continent argumentum, aliqua movebatur suspicio, ambas inscriptiones unam tantum orationem eamdemque circumscribere: alteram enim universe rem, de qua agitur, significare, *De præda militibus dividunda*: in altera autem finem orationis notari: *uti præda in publicum referatur*. Atque grammaticos vario modo sæpe orationes Catonis afferre, notum est.

Priscian. VII, 19, p. 355: Cato censorius in oratione, quam scripsit, uti præda in publicum referatur: *Miror audere, atque religionem non tenere, statuas deorum, exempla earum facierum, signa domi pro supellectile statuere.*

religionem non tenere] expectares *religione non teneri*. Weberus p. 32 explicat [recte] *religionem non retinere eos*.

earum facierum] « non *eorum*, videl deorum? » *Weberus*. [Duo codd. Pariss. *harum*. Fort. *sacrarum fac.*, ex compendio quo hæc vox exarari solet.]

28. ORATIO DE PRÆDA MILITIBUS DIVIDUNDA.

Ex argumento præcedentis orationis apparere videtur, hanc eamdem cum illa esse orationem. Sed in re tam ambigua optio sit cuique libera.

Gellius XI, 18: M. Cato in oratione *De præda militibus dividunda* vehementibus et illustribus verbis de impunitate peculatus atque licentia conqueritur: *Fures*, inquit, *privatorum furtorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt: fures publici in auro atque in purpura.*

fures publici] præda non imperatoris, non militum est, sed reipublicæ: qui ergo eam in suos usus convertit, fur publicus nominari debet. Multi autem Romanorum imperatores in ea culpa hærebant.

in nervo atque compedibus] Vide hæc illustrantem Salmasium De modo usurarum cap. 18. *Gronov.*

Nonius p. 475, 13: *Fite,* imperativo modo. Cato de præda militum dividunda: *Tu dives fite.*

militum dividunda] genitivus non convenit: verbum dativum postulat Aliter enim, si dativum non addes, sensus in verbis non inest.

fite] legendum *fito*, ut in Laurenbergii Antiquario s. v. *Fi*, p. 177. [Huc referenda puto Plutarchi verba, Cat. c. 10: Τοῖς μὲν οὖν στρατιώταις πολλὰ παρὰ τὴν στρατείαν ὠφεληθεῖσιν, ἔτι καὶ λίτραν ἀργυρίου κατ' ἄνδρα προσδιένειμεν, εἰπὼν, ὡς κρεῖττον ἦν πολλοὺς Ῥωμαίων ἀργύριον, ἢ χρυσίον ὀλίγους ἔχοντας ἐπανελθεῖν. Τῶν γὰρ ἀρχόντων οὐδὲν ἄλλο δεῖν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις ἢ τὴν δόξαν αὐξάνεσθαι. *Bolhuis*. p. 145.]

Nonius p. 510, 17: *Avariter*, pro avare.... Cato de præda militum dividunda: *Fraudulenter atque avariter.*

militum] legendum *militibus*, ut in antecedenti.

fraudulenter] supplendum *militibus diviserunt prædam multi imperatores.*

Paulus in Epitome Festi: *Viritim* dicitur dari quod datur per singulos viros. Cato: *Præda quæ capta est, viritim divisa.* 40

Cato] quo loco hoc dixerit Cato, nescio. Huc retuli verba argumenti similitudine commotus.

29. ORATIO, UTI BASILICA ÆDIFICETUR.

Livius XXXIX, 44: *Cato atria duo Mænium et Titium in lautumiis et quatuor tabernas in publicum emit, basilicamque ibi fecit, quæ Porcia appellata est.* Ex hac locutione magna lis est orta, ut Plutarchus narrat Cat. c. 19: Πολλὰ δὲ καὶ πρὸς τὴν τῆς Βασιλικῆς κατασκευὴν ἠναντιώθησαν, ἣν ἐκεῖνος ἐκ χρημάτων κοινῶν ὑπὸ τὸ βουλευτήριον τῇ ἀγορᾷ παρέβαλε καὶ Πορκίαν Βασιλικὴν προσηγόρευσε. Pseudo-Asconius in Divinationem Cicer. § 50, p. 36 ed. 1645 (p. 120 ed. Orell.) «: Mænius cum domum suam venderet Catoni et Flacco censoribus, ut ibi basilica ædificaretur, exceperat jus sibi unius columnæ, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur: ex illo igitur columna Mænia vocitata est.» [Adde Porphyr. ad Horat. Sat. 1, 3, 21. « Hujus basilicæ mentio est ap. P. Victorem De regionib. urbis Romæ, ejusque vestigia Marchanei adhuc tempore sæc. XV exeunte exstare fama erat: v. intt. ad Aurel. Vict. c. 47; Georg. Fabricii Roma p. 156 et 160; Plut. Cat. Utic. c. 5.» *Bolhuis*. p. 140 sq.]

Priscian. VIII, 14, p. 416: « Cato in oratione, quæ inscribitur, Uti basilica ædificetur: *Antequam is villicare cœpit.* » Qui præ-

miserat : « A villico etiam *villico* vel *villicor* dicebant antiqui. » *Villicari* est rusticari. [Codd. fere *vilicor* etc., uno *l.*]

30. ORATIO DE AGNA MUSTA PASCENDA.

Censores omnium rerum, quæ ad culturam Italiæ variaque quæstus genera hominum pertinebant, curam habuere. Cum vero Cato optime sciret rem rusticam, de agricultura quoque et de pastione pecudum præcepta dedit publice.

Priscian. VI, 14, p. 268 : « Cato censorius de agna musta pascenda *musta* agna pro *nova* dixit. » Conf. Vossius De analog. I. p. 168. Sic *mustam* ætatem dicit Nonius pro *tenera,* ac *mustum* vinum pro novo.

Priscian. III, 1, p. 104 : « Cato de agna pascenda : *Citer ager allegatus ad sacra erit.* » Conf. Vossius De analog. II, p. 366.
41 Sensus est : Ager, qui citra est, sacrorum sumptus levabit [præbebit, pabulo, nisi fallor, victimis alendis præbendo. *Krehl.* Codd. et edd. pejoris notæ hic, et altero loco, *agnus alligatus ad* etc. Antiquissimorum unus, in Biblioth. Regia, IX sæc., *erat,* pro *erit.*]

Eadem verba leguntur XIV, 3, p. 598.

Aliud fragmentum hujus orationis inter incerta infra (p. 86) inveniemus, ex Festo v. *Pascales* sumptum.

31. ORATIO DE FUNDO OLEARIO.

Inter censorias retuli, eadem, qua in præcedenti, ratione ductus. [Confirmant hanc conjecturam extrema verba in loco Eumenii in or. 33 citato. *Egger.*]

Festus : « *Pulchralibus atque cupediis* Cato in ea, quæ est de fundo oleario. » Sic correxit Scaliger p. 49 vulgatum : *pulchralibus atque cupidiis.* [Cod. *cupidus.*] — *Pulchralia* sunt bellaria, nec multum differunt a cupediis. Græci dicunt τραγήματα, unde Gallicum vocabulum *dragée.* In Laurenberg. Antiq. s. v. legimus : « *Pulcralibus* pro pulcris. Cato : *Pulcralibus atque cupitis.* »

32. ORATIO DE ÆDILIBUS VITIO CREATIS.

Argumentum ignorare me fateor. Sed censoris videtur esse officium hac de re præcipere. [Dubitandum tamen an jure huc relata sit ea oratio.]

Gellius XIII, 17 : Oratio est M. Catonis censorii De ædilibus vitio creatis. Ex ea oratione verba hæc sunt : *Nunc ita aiunt, in segetibus, in herbis bona frumenta esse. Nolite ibi nimiam spem habere. Sæpe audivi inter os atque offam multa intervenire posse ; verumvero inter offam atque herbam, ibi vero longum intervallum est.*

in segetibus] cum frumentum sementavit atque adeo in herba est, fructus jam certus est, nec amplius evanescere potest. Id in hac oratione addubitavit orator. [Statim Meyer. : *et in herbis*. Particulam sustulimus cum ed. Gronov., cod. Par. et Vincent. Bolhuis. : Frumenta sunt *in herbis*, cum herbescens viriditas emergit de semine occato; v. Popma. De proverbio græco, quo respicit Cato, v. A. Gell. l. c.]

Hæc sententia Catonis in Vincentii Speculo doctrinali VI, 128, M. Varroni tribuitur, eaque paululum immutata ibi exstat : *Nunc in segetibus aiunt in herbis, in herbis in frumentis bona sunt. Nolite ibi nimiam spem habere. Sæpe audivi inter os et offam multa intervenire posse. Verum inter herbam et offam longum intervallum est.* Schneiderus si meminisset, eadem verba ex Catone sumpta apud A. Gellium legi, de emendatione illius loci non dubitasset in Dissertatione de vita et scriptis Varronis p. 244.

Paulus in Epitome Festi : « *Neminis* genitivo casu Cato usus est. » Festus : « .... [Idem *de magistratibus*] *vitio creatis : Neminisque...* » Uncis inclusa supplevit Scaliger : quare nescio an non potius *de ædilibus vitio creatis* emendandum sit.

33. ORATIO DE LUSTRI SUI FELICITATE.

Accedit hæc inscriptio ex Eumenii Gratiarum actione Constantino dicta, cap. 13 : « Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum, omnibus lustris felicius ! o lustrum, quod 42
merito hanc imperii tui æquavit ætatem ! Nobis ergo præcipue te principem dii creaverunt, quibus singulis hæc est nata felicitas, ex quo tu imperare cœpisti. Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt : illa enim quinto incipiente suscepta, omnibus populis jure communia, nobis hæc propria, quæ plena sunt. *Præclara fertur Catonis oratio de lustri sui felicitate.* Jam tunc enim in illa vetere republica ad censorum laudem pertine-

bat, si lustrum felix condidissent, si horrea messis implesset, si vindemia redundasset, si oliveta larga fluxissent. »

Hic finiunt orationes censoriæ. [V. ad pag. 28 adscripta.]

34. ORATIO IN LEGEM ORCHIAM.

Macrob. Sat. II, 13 : « Prima omnium de cœnis lex ad populum Orchia pervenit, quam tulit C. Orchius tribunus pl. tertio anno quam Cato censor fuerat, cujus verba, quia sunt prolixa, prætereo. Summa autem ejus præscribebat numerum convivarum ; et hæc est lex Orchia, de qua *Cato in orationibus* suis vociferabatur, quod plures, quam præscripto ejus cavebatur, ad cœnam vocarentur. » — De numero convivarum non constat : sed notissimum est proverbium : *Septem convivium : novem vero convicium,* i. e. septem convivæ convivium faciunt legitimum, novem convivæ modum excedunt ; quod legitur apud Jul. Capitolin. in Vero Imp. c. 5. Pighius in Annal. ad a. 572, p. 330 : « Legem de numero convivarum, inquit, C. Orcius tribunus pl. primus de senatus sententia tulit, tertio quam Cato censor fuerat anno, quemadmodum Macrobius (l. l.) testatur diserte. Legem M. Catonem dissuasisse primum ex Festo colligere possumus, qui ex Catonis oratione, qua legem Orciam dissuadet, verba citat. Perlatam vero postea defendisse, ex ejus alia oratione idem Festus demonstrat, ubi docet, quid sit *obsonitavere.* Dissuasisse igitur primum Orciam videtur Cato, ut nimis laxam, quod numerum convivarum solummodo terminaret et sumptus non restringeret :
43 postea vero non diu de hac item in orationibus suis, ut idem Macrobius ait, vociferabatur, quod plures, quam Orciæ præscripto cavebatur, tum ad cœnam vocarentur. » — Habuit primam orationem, qua legem Orchiam dissuadebat, anno 572 P. Cornelio Cethego, M. Bæbio Coss. ; modo verum sit, legem hoc anno latam esse. Conf. Creuzer. Antiqui. Rom. p. 428. Macrobius certe hunc annum describit : de altera annum explorare non licet. — Popma et Lion utramque orationem confundunt.

Fragmenta orationis *in legem Orchiam* hæc sunt.

Scholiasta Vaticanus ad Ciceronis Sestianam cap. 66, ed. Maii vol. I, p. 161 (p. 310 sq. ed. Orell.) : Cato in legem Orchiam conferens ea quæ virtus : *Ut summæ gloriæ sint a virtute proficiscentia ; dedecoris vero præcipui existimentur, quæ voluptas*

suadeat non sine labe vitiorum. [Post verba *ea quæ virtus* quædam desunt, sine lacuna tamen in codice.]

Festus : *Percunctatum patrisfamiliæ nomen, ne quis servum mitteret, lege sanctum fuisse,* ait Cato in ea, qua legem Orchiam dissuadet.

servum] Notandum est, inhonestum et indecorum fuisse apud priscos illos Romanos, servum mittere percunctatum patrisfamiliæ nomen, quem morem ex heroicis temporibus manasse veri simile est. *Dacerius.*

Macrobius Saturn. II, 13 : Cato sumptuarias leges *cibarias* appellat.

35. ORATIO, NE LEGI ORCHIÆ DEROGARETUR.

Argumentum pete ex antecedenti. Cato, cum lex Orchia lata esset, eam dissuasit, quia luxuriam non prorsus expelleret : perlatam vero postea defendit, cum alia lex, quæ etiam multo minus luxum restringebat, proponeretur. Maluit enim tueri eam, quæ non omnino bona, quam quæ prorsus perniciosa esset. Sic fabulam conjicio. Weberus orationem a. U. 593 dictam existimat laudato Freinshemio Liv. XLVI, 46, Polyb. XXXIV, 24, et ad eum locum Schweigh. Tum enim Fannia lex sumptuaria perlata, Bæbia derogata est. Macrobii locus, quem initio orationis superioris attuli, huic adnumerandus est.

Festus : « *Obsonitavere,* sæpe obsonavere. Cato in suasione, 44
ne legi Orchiæ derogaretur : *Qui antea obsonitavere, postea centenis obsonitavere.* Significat autem convivari. » Scaliger emendat : *Qui antea per se cœnitavere, postea centeni obsonitavere.* — *Per se* et *centeni* opposuit, quoniam numerum convivarum præscripserat lex. Popma correxit : *Qui antea octoni obsonitavere, postea centeni obsonitavere.* Dacerius voluit (et ante eum Anton. Augustinus): *Qui antea denis cœnitavere, postea centenis obsonitavere,* ita ut *denis* et *centenis* numeros impensæ significet, quod Pighio quoque placet, qui *vili* vel omnino notam pretii supplendam putat.

Huc pertinet Plinii locus H. N. VIII, 51 : Neque alio ex animali quam ex sue numerosior materia ganeæ: quinquaginta prope sapores, cum ceteris singuli. Hinc censoriarum legum paginæ interdictaque cœnis abdomina, glandia, testiculi, vulvæ, sinci-

pita verrina... Placuere autem et feri sues. Jam *Catonis censorii orationes aprugnum exprobrant callum.*

36. ORATIO DE CENSURA M. FULVII NOBILIORIS.

Hanc habuit Cato anno 574. Argumentum ex Livio petimus XL, 51 : *Habuere M. Fulvius et M. Æmilius Lepidus censores et in promiscuo præterea pecuniam. Ex ea communiter locarunt aquam adducendam fornicesque faciendos. Impedimento operi fuit M. Licinius Crassus, qui per fundum suum duci non est passus.* Catonem autem hic de aquæductu dixisse, testis est Festus. Supra de alia oratione Catonis in M. Fulvium Nobiliorem diximus.

Festus : « *Retricibus,* cum ait Cato in ea, quam scripsit, *cum edissertavit Fulvi Nobilioris censuram,* significat aquam eo nomine, quæ est supra viam Ardeatinam inter lapidem secundum et tertium ; qui inrigantur horti infra viam Ardeatinam et Asinariam usque ad Latinam. » *Retricibus* igitur rivi aquæ proprie significari videntur.

Fortasse ex eadem oratione petitum quod affert Priscian. VI, 14, p. 271 : Cato : *Speca posita, quo aqua de via abiret.* [Ed. Krehl. *devia* , ut ipse Meyerus in incertis, ubi delevimus.]

37. ORATIO IN P. FURIUM PHILUM VEL PRO LUSITANIS HISPANIS.

45 Hæc oratio anno 582 est habita, ut ex Livio XLIII, 2, scimus : *Hispaniæ utriusque legati aliquot populorum in senatum introducti. Ii de magistratuum Romanorum avaritia superbiaque conquesti, nisi genibus a senatu petierunt, ne se socios fœdius spoliari vexarique quam hostes patiantur. Quum et alia indigna quererentur, manifestum autem esset, pecunias captas, L. Canuleio prætori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret, patronosque, quos vellent, sumendi potestatem faceret. Vocatis in curiam legatis recitatum est senatus consultum ; jussique nominare patronos, quatuor nominaverunt, M. Porcium Catonem, P. Cornelium Scipionem, L. Æmilium Paulum, C. Sulpicium Gallum..... Ad recuperatores adducti a citerioribus populis* P. Furius Philus, *ab ulterioribus*

M. Matienus. Ille Sp. Postumio, Q. Mucio Conss. (579) *triennio ante, hic biennio prius L. Postumio, M. Popillio Conss. prætor fuerat. Gravissimis criminibus accusati ambo ampliatique; quum dicenda de integro caussa esset, excusati exilii causa solum vertisse. Furius Præneste, Matienus Tibur exulatum abierunt.* Huc pertinet Ciceronis locus ex Divinat. in Cæcilium c. 20, 66: *M. Catonem illum sapientem, clarissimum virum et prudentissimum, cum multis graves inimicitias gessisse accepimus, propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, injurias;* et Pseudo-Asconius ad hæc verba (p. 124 ed. Orell.): *Cato hic accusavit Sergium* (sic) *Galbam pro direptis Lusitanis, et P. Furium pro iisdem pro iniquissima æstimatione frumenti.* Ac revera post damnationem Furii in futurum consultum ab senatu Hispanis, quod impetrarunt, ne frumenti æstimationem magistratus Romanus haberet, neve cogeret vicesimas vendere Hispanos, quanti ipse vellet, et ne præfecti in oppida sua ad pecunias cogendas imponerentur. Pighius in Annal. a. U. 602 aliam opinionem statuit: « Videtur *L. Furius Philus* Ser. Galbæ prætoris (anno 603) quæstor tunc 46
fuisse, atque ista occasione propter Lusitanos eodem fere tempore Cato ambos habuisse reos. Paucis etenim annis post Galbam accusatum ipse Furius vixit. » Quamvis ratio ea satis sit probabilis, Livium tamen sequi malo, qui de P. Furio, non de L. Furio rem narrat: alius enim is est, quem Pighius significavit.

Charisius II, p. 198: Cato pro Lusitanis Hispanis: *De frumento utrobi bona, utrobi mala gratia capiatur, utrinde iram, utrinde factiones tibi pares.*

factiones] aut fautores aut opulentiam significat. Hanc vim voci Nonius tribuit; illam Forcellinus. [*Factio* h. l. est consensio et amicitia: v. Turneb. Advers. p. 98. Docuit igitur h. l. quanti Romanorum interesset, ut frumenta bona sociorum gratia caperentur. *Bolhuis.* p. 130. Nulla harum interpretationum loci difficultatem tollit.]

pares] colligas.

38. ORATIO PRO LEGE VOCONIA.

De tempore legis Cicero et Livius dissentiunt. Cicero dicit in Catone cap. 5, Ennium Cæpione et Philippo iterum Coss. mortuum esse, cum Cato, quinque et sexaginta annos natus, legem Voconiam suasisset, quod ad annum 584 pertinet. Livius autem

rogationem hujus legis in consulatum M. Junii Bruti et A. Manlii Vulsonis, in annum igitur 575, refert (Epit. XLI), si Mauritio Kind in Dissertatione de lege Voconia pag. 5, fides esset habenda. Pighius quoque ad a. 584 decennio fere prius latam velle Livium illam legem, quam Cicero scripserit, dicit. Livii verba sunt: *Q. Voconius Saxa tribunus pl. legem tulit, ne quis heredem mulierem institueret. Suasit legem M. Cato: exstat oratio ejus.* Sed Epitome illa Livii acta complectitur inde ab anno 574 usque ad 579, in quem annum hanc legem refero, quia Cato, quinque et sexaginta annos natus, legem Voconiam suasisse dicitur. Secundum Livium, ut supra dixi in proœmio Catonis, Cato natus est a. 514: suasit ergo hanc legem 579; secundum Ciceronem vero Cato, natus 519, pro ea dixit a. 584. Atque epitomen Livii gesta nonnisi illorum annorum complecti, nec ultra annum 579 procedere, ex eo quoque colligi potest, quod liber XLII ab iis incipit, quæ anno 580 gesta sunt.

47 Gellius XVII, 6: M. Cato Voconiam legem suadens verbis hisce usus est: *Principio vobis mulier magnam dotem attulit, tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestatem non committit: eam pecuniam viro mutuam dat; postea ubi irata facta est, servum receptitium sectari atque flagitare virum jubet.*

attulit] in edit. Gronovii voci hæc adnotatio subjecta est: « *Attulit id est affert, ut explicat* Sosipater lib. 3: Sustuli, *ejus perfecti instans* sustulo *est, atque dicebant antiqui*: Magnam dotem ad nos attollit. *Cato:* Magnam dotem attulit; *quod geminum est. Dotem attulit est adfert. Dotem attulit et dotem attollit.* » Notandum est, Charisium in Putschii edit. p. 220 longe abesse, ut tot verba contineat: legimus enim ibi nihil amplius quam: « *tollo, tollis, tuli,* quod in consuetudine *sustuli* facit: ejus tamen perfecti instans apud veteres *sustulo.* » — Reliqua ergo interpreti debentur, qui probare studet, *attulit* in Catonis loco esse præsens tempus pro *adfert,* non perfectum; nec displicet ea ratio, quia in reliquis verbis idem præsens est expressum. [Immo perfectum hic sua significatione quam maxime dictum est.] Freinshemius in Supplemento Livii lib. XLI hunc locum sic interpretatus est: « In suasione legis Voconiæ hinc quoque arguit divitum matronarum fastum et arrogantiam, *quod illæ, magna sæpe dote marito allata, magnam sibi pecuniam reciperent ac retinerent, eamque pecuniam ita postea viro roganti mutuam darent, ut, quoties iratæ essent, statim per recepticium servum consectantem et quotidie flagitantem solutionem, maritum, tamquam debitorem extraneum, importune cogerent.* »

servum receptitium] i. e. servum nequam et nullius pretii, qui, quum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium, receptusque sit, ut Verrius Flaccus in libro *De obscuris Catonis* explicarat. Sed jam Gellius aliter vocem interpretatus est. Servus receptitius significat proprium mulieris servum, quem cum pecunia reliqua receperat, neque dederat doti, sed sibi retinuerat.

sectari atque flagitare] de obæratis dicitur, a quibus pecunia credita severe reposcitur.

Festus: « *Receptitium servum* Cato in suasione legis Voconiæ cum ait, significat, qui ob vitium redhibitus sit: *Ubi irata facta est, servum receptitium sectari atque flagitare virum jubet.* » Festus Verrii Flacci verba repetiit, quæ a Gellio vituperantur.

Gellius ibidem: Ipse etiam Cato mulierem demonstrare locu-
pletem volens, *Mulier*, inquit, *et magnam dotem dat et magnam* 48
pecuniam recipit.

Nonius p. 54, v. *Receptitium servum:* « Cato: *Mulier et magnam dotem dat et magnam pecuniam retinet.* » Cetera, quæ sequuntur, ex Gellio petita.

Gellius VII, 13: In M. Catonis oratione, qua Voconiam legem suasit, quæri solet, quid sit *classicus*, quid *infra classem*.

Voconius nempe legem tulerat, ne quis, qui census dicebatur sive *classicus*, i. e. qui in civium prima classe census est, heredem relinqueret filiam. Quare facile intelligi potest, cur a Catone pro nova lege agente quæreretur, quid sit *classicus* vel quantus sit ejus census. Conf. Kind. p. 25 sq. atque præcipue Niebuhr Hist. Rom. T. I, p. 459. [De lege Voconia. v. præterea citatos a Bolhuis. p. 152 sq.]

Servius ad Virg. Æn. I, 573: Ait Cato in legem Voconiam: *Agrum quem vir habet, tollitur*, eodem schemate, quo [Terentius]: *Eunuchum, quem dedisti nobis, quas turbas dedit!* pro Ager, quem vir habet, tollitur.

in legem Voconiam] i. e. de lege Voconia, ut in Bruto Cicero, c. 44, 164: *Illa in legem Cæpionis oratio*, i. e. Crassi oratio pro lege Servilia. Vid. Beier. ad Cic. De offic. I, 9, a princ.— Adde p. 86.

39. ORATIO DE MACEDONIA LIBERANDA.

Post Persen victum senatui placuit, Macedoniam esse liberandam. Ea de re Cato orationem dixit anno 586, ut ex Livio colligitur XLV, 17 et 18, ubi senatus consultum traditum est.

Ælius Spartianus Hadriano c. 5 : Hadriauus omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, exemplo, ut dicebat, *Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant.*

Priscian. III, 1, p. 108 : Cato de Macedonia liberanda : *Idque perpetuius atque firmius repsit.*

Huc retulit Popma fragmentum incertum, quod Festus habet in *Natinatio :* « M. Cato in..... [*Audito tu*] *multu Macedoniæ Etruriam, Samnites, Lucanos inter se natinari atque factiones esse.* » Paulus : *Natinatio* dicebatur negotiatio et *Natinatores* ex eo seditiosi. [Quod sane probabilius ad Origines retulit Meyerus in incertis, ubi delevimus.]

40. ORATIO PRO RHODIENSIBUS.

Quum Rhodienses Romanis in bello Persico opem non tulissent, M. Juventius Thalna prætor a. U. 586, populum adversus
49 eos incitabat, rogatione promulgata, ut iis bellum indiceretur, et ex magistratibus ejus anni deligeretur, qui ad id bellum cum classe mitteretur, se eum sperans futurum esse. Infestissimi præterea Rhodiis erant, qui consules prætoresve aut legati gesserant in Macedonia bellum. [Locos historicorum collegit Bolhuis. p. 83.] Plurimum vero causam eorum adjuvit M. Porcius Cato, qui asper ingenio tum lenem mitemque senatorem egit. *Non inseram,* addit Livius XLV, 25, *simulacrum copiosi viri, quæ dixerit, referendo; ipsius oratio scripta extat, Originum libro quinto inclusa.* Oratio habita est anno 586, multaque ex ea fragmenta affert Gellius eandemque defendit adversus censuram Tironis, liberti Ciceronis. [Hæc fragmenta cum optimo codice iterum collata ita dedimus, ut lectiones editis meliores ubique receperimus, lectorem de unaquaque moneri inutile ducentes. Ceterum qui celeberrimam hanc orationem qualis fuerit penitius perspicere voluerit, ei totum A. Gellii caput legendum erit : nam multo plura quam factum est ab editore hic oportuit exscribi.]

Gellius VII, 3 : Ipsius principii verba hæc sunt :

Scio solere plerisque hominibus in rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere, atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere. Quod mihi nunc magnæ curæ est, quod hæc res tam secunde processerit, ne quid in consulendo

adversi eveniat, quod nostras secundas res confutet, neve hæc lætitia nimis luxùriose eveniat. Advorsæ res edomant et docent, quid opus sit facto ; secundæ res lætitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo. Quo majore opere dico suadeoque, uti hæc res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus.

Atque ego quidem arbitror, Rhodienses noluisse nos ita depugnare, uti depugnatum est, neque regem Persen vicisse. Non Rhodienses modo id noluere, sed multos populos atque multas nationes idem noluisse arbitror. Atque haud scio an partim eorum fuerint, qui non nostræ contumeliæ causa id noluerint evenire : sed enim id metuere, si nemo esset homo, quem vereremur, quodque luberet faceremus, ne sub solo imperio nostro in servitute nostra essent ; libertatis suæ causa in ea sententia fuisse arbitror. Atque Rhodienses tamen Persen publice numquam adjuvere. Cogitate, quanto nos inter nos privatim cautius facimus. Nam unus quisque nostrum, si quis advorsus rem suam quid fieri arbitratur, summa vi contra nititur, ne advorsus eam fiat ; quod illi tamen perpessi.

Ea nunc derepente tanta nos beneficia ultro citroque tantamque amicitiam relinquemus ? Quod illos dicimus voluisse facere, id nos priores facere occupabimus ?

Qui acerrime advorsus eos dicit, ita dicit, hostis voluisse fieri. Ecquis est tandem qui vostrorum, quod ad sese attineat, æquum censeat, pœnas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluisse ? Nemo opinor : nam ego, quod ad me attinet, nolim.

Quid nunc ? Ecqua tandem lex est tam acerba, quæ dicat : Si quis illud facere voluerit, mille nummi, dimidium familiæ mulcta esto ; si quis plus quingenta jugera habere voluerit, tanta pœna esto, et si quis majorem pecuum numerum habere voluerit, tantum damnas esto ? Atqui nos omnia plura habere volumus, et id nobis impune est.

Sed si honorem non æquum est haberi ob eam rem, quod bene facere voluisse quis dicit, neque fecit tamen : Rhodiensibus male erit, non quod male fecerunt, sed quia voluisse dicuntur facere ?

Rhodienses superbos esse aiunt, id objectantes, quod mihi et liberis meis minime dici velim. Sint sane superbi. Quid id ad nos attinet ? Idne irascimini, si quis superbior est quam nos ?

Hoc fragmentum ad antiquum colorem Catonianæ eloquentiæ recognoscendum gravissimum est, eamque magnam vim habere atque urbanitatis jam continere vestigia fatendum est. Compensatur omnino ruditas, quæ verbis inhæret, dictorum prudentia et perspicuitate.

Scio solere] Gellius XIII, 24 : « M. Cato in orationis principio, quam dixit in senatu pro Rhodiensibus, cum vellet res nimis prosperas dicere, tribus vocabulis idem sentientibus dixit : *Scio solere plerisque hominibus in rebus* secundis *atque* prolixis *atque* prosperis *animum excellere, atque superbiam atque ferociam augescere.* »

in rebus secundis] præpositionem *in* addidi ex Gell. XIII, 24.

51 *atque-atque-atque*] hanc particulam amat Cato, amat vetustissimus quisque Latinorum auctorum : quod postea imitati Marcus Aurelius atque Fronto. Ille enim apud Frontonem Epist. II, 16 : *Ego tibi,* ait, *de patrono meo M. Porcio gratias ago, quod eum crebro lectitas. Tu mihi de C. Crispo timeo ut umquam gratias agere possis* : *nam uni M. Porcio me dedicavi* atque *despondi* atque *delegavi. Hoc etiam ipsum* Atque *unde putas? ex ipso furor!*

hæc res] bellum Persicum. [Statim cod. Reg. *processit.*]

advorsæ res edomant] emendationem recepi Pricæi ad Appuleium Metam. VII, p. 287 ed. Oudend. Intellige *edomant animum.* Vulgo *adversæ res se domant.*

* *a recte consulendo*] cod. Reg. *a* RECTO *cons.* Quod fortasse recipi debebat.

neque regem Persen vicisse] Ego quidem censeo, Rhodiensibus gratius fuisse, si infeliciter contra Persen pugnassent Romani, iique potius ob illo essent victi. Sed præter Rhodienses multi alii populi idem cupiebant, ne nimis potentes fierent Romani, nec ceteros quoque populos sub imperium suum redigerent.

haud scio an] eodem sensu dictum, quo a Cicerone dici solet; aliter C. Gracchus in oratione *De legibus a se promulgatis*, p. 122, ubi v. notam.

Partim eorum] de hac constructione v. Ruhnken. Dictata ad Terent. Hec. prolog. II, 7, et Heusing. ad Corn. Nepot. Attic. c. 7. *Bolh.* p. 86.

nostræ contumeliæ causa] non ut in ignominiam et dedecora incurreremus.

vereremur et qu.] Carrio addidit *et*. Gronov. conjecit : *vereremur quodque luberet, faceremus,* quod probo. [Et ita scripsimus.]

Ecquis est] sic scripsi pro *et quis*, ut infra *ecquæ* pro *et quæ*. [Ubi Reg. *ecqua*.]

quemquam pœnas] sic editio 1493. Vulgo *quempiam*. [Delevimus *quemquam* cum Gronovio (qui et *dari* sine necessitate scripsit) et cod. Reg. Ex eodem linea præced. scripsimus *qui vostrorum*, pro vulg. *vostrorum, qui*.] Vid. Africani orat. contra legem agrariam C. Gracchi, p. 105.

mille nummi, dimidium] Formula in eis adhiberi solita, in quibus, quæ per se peccabat paterfamilias, mille nummis ei luendum erat; si per quem e familia, quinquagenis. *Gronov.* — Ursinus ad Festum p. 392 ed. Dacer. legit: *si quis illud facere voluerit, dimidium familiæ multa esto*, quippe *mille nummi* addititium sit.

quingenta jugera] hoc et quod sequitur Licinia lege sanctum erat. Conf. Gronov. ad h. l. et præsertim Niebuhr. Hist. Rom. vol. II, pag. 396 ed. 1.

pecuum numerum] intell. si quis majorem pecuum numerum, quam lege Licinia præscriptum erat, habere voluerit. Festus: « *Pecuum* Cato dixit a singulari, quo antiqui utebantur, *pecu*. »

damnas esto] *damnas* corruptum ex *damnatus*. Vid. Laurenb. Antiquar. s. v. et Inscriptiones Orellii n. 4425, 4428. Ursinus ad Festum voc. *Pecuum* hunc locum correxit. — Paullo post in vocibus *Rhodiensibus male erit* codices et editores multum turbant; sed vera esse videtur recepta lectio..

[Ad hanc orationem referendus etiam Appiani locus, a Bolhuisio indicatus p. 90, Punicor. c. 65: Εἰσὶ γὰρ οἳ καὶ τόδε νομίζουσιν, αὐτὸν (Scipionem) ἐς Ῥωμαίων σωφρονισμὸν ἐθελῆσαι γείτονα καὶ ἀντίπαλον αὐτοῖς φόβον (Carthaginem videlicet) ἐς ἀεὶ καταλιπεῖν, ἵνα μή ποτε ἐξυβρίσειαν ἐν μεγέθει τύχης καὶ ἀμεριμνίᾳ· καὶ τόδε οὕτω φρονῆσαι τὸν Σκιπίωνα, οὐ πολὺ ὕστερον ἐξεῖπε τοῖς Ῥωμαίοις Κάτων, ἐπιπλήττων παρωξυμμένοις κατὰ Ῥόδον.]

41. ORATIO DE PTOLOMÆO MINORE CONTRA THERMUM.

Orationem habuit a. 590. Argumentum tale est.

Ptolomæus Philometor Ægypti rex, a Ptolomæo minore fratre suo pulsus regno, Romam venit petendi auxilii gratia anno 590. Decernit senatus, reduci regem pulsum. Legati Ægyptum mittuntur ad regnum componendum, inter quos erat Thermus.
Cato hac oratione tum Ptolomæum minorem exagitat, tum Ther- 52
mum, qui missus quæsitor malitiose et negligenter quæstionem

exercuit, quasi sequester inter regem et populum venisset, ut Popma docuit.

Thermus, de quo hic sermo est, non est Q. Minucius Thermus, qui pluries a Catone in judicium vocatus est, ut supra vidimus: is enim anno 565 Valerio consule interfectus est in prælio adversus Thracas (Liv. XXXVIII, 41), sed M. Minucius Thermus, Quinti filius, quem inter quæstores anni 590 nominat Pighius. De re conferatur Pighius ad annum 590.

Gellius XVIII, 9: In oratione M. Catonis *de Ptolomæo contra Thermum* sic scriptum: *Sed si omnia dolo fecit, omnia avaritiæ atque pecuniæ causa fecit, ejusmodi scelera nefaria, quæ neque insecendo neque legendo audivimus: supplicium pro factis dare oportet.*

scelera nefaria] scil. Ptolomæi minoris sive Evergetis, quorum multa commemoravit Justinus XXXVIII, 8: *Fuit Ptolomæus minor tyrannorum omnium crudelissimus.* [Ceteros scriptores citat Bolhuis. p. 112. Qui p. 113: « Suspicari autem quis posset, post *audivimus* excidisse *fecit*, ut ita sibi respondeant *si... fecit;... fecit;... fecit;... pro factis.* » Lacuna hic est in altero cod. Paris.]

insecendo] insequendo: quod Gell. l. c. multis explicat. *Insece* est dic; *insexit*, dixit; *sectiones*, narrationes. Vid. Rutgers. Var. Lectt. IV, 19.

Gellius XX, 11: Quod apud sequestrum depositum erat, *sequestro positum* per adverbium dicebant. Cato de Ptolomæo contra Thermum: *Per deos immortalis, nolite vos sequestro ponere.*

Priscian. III, 1, p. 108: Cato de Ptolomæo minore de Thermi quæstione: *Quantoque suam vitam superiorem atque ampliorem atque antiquiorem animum inducent esse quam innoxiiorem.*

Ibid. paulo post: Cato in Thermum: *Sed a benefactis atque ab optimis artibus fugit maxima fugella perpetuissimo curriculo.*

fugella] *fugela* emendavit Vossius Intellige Ptolomæum minorem, qui fratrem, optimum virum regno crudeliter ejecit. [Unus cod. et Putsch. QUAM *maxima*. Deinde pejores et vett. edd. *flagella*, pessime.]

Ibid. c. 2, p. 112: M. Cato contra Thermum: *De Ptolomæo, rege optumo atque beneficissumo.*

Ptolomæo] Philometore, qui a fratre regno pulsus est. [Bolhuis. p. 113 et alii verba de *Ptol.* ad titulum referunt, non recte, ut videtur.]

Idem X, 9, p. 513: Cato in Thermum: *Mortuus est, sepelitus* 53
est.

Mortuus] Livius Epit. LII: *Ptolomæus in caput graviter vulneratus, inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, exspiravit, atque in locum ejus frater minor Ptolomæus, qui Cyrenis regnabat, successit.*

Adde locum Charisii infra p. 89.

42. ORATIO DE AMBITU.

Quando hanc orationem habuerit Cato, non constat: cum autem anno 594, dummodo Pighius verum viderit ad annum 594 (conf. Duker. ad Livium Epit. XLVII) lex de ambitu ferretur, tunc fortasse orationem habuit Cato. Similiter autem annus 572 accipi potest, quo itidem leges de ambitu latæ sunt. Ellendt. autem in Historia Eloq. orationem de ambitu in petitione censuræ habitam (a. 569) putat. Profecto nihil de tempore statuere possumus, cum quotidie prope ea de re referri posset.

Priscian. V, 12, p. 208: Cato de ambitu: *Sed sunt partim quî duarum rerum alterius utrius causa magistratum petunt.*

Ibid. VI, 7, p. 243, eadem verba leguntur. [Conf. p. 84.]

43. ORATIO PRO SE CONTRA C. CASSIUM.

Intelligendum esse C. Cassium Longinum, qui a. U. 599 censor fuit, arbitror. Livius enim dicit, XXXIX, 40, *Catonem sextum et octogesimum annum agentem causam dixisse, ipsum pro se oravisse scripsisseque.* Cum igitur Livius eum anno U. 514 natum, anno 604 mortuum esse dicat, quintum et octogesimum annum anno 599 jam impleverat Cato, unde colligimus, dixisse causam suam, a C. Cassio accusatum, qui eodem a. 599 censuram gessit. Annorum autem ratio, quam Livius de vita Catonis sequitur, ut supra monuimus, recedit quinquennio ab ratione Ciceronis: ambo quidem auctores eumdem annum, quo sit mortuus, statuunt, id est consulatum L. Marcii et Manii Manilii (quod corruptum apud Vellei. I, 13, legitur) a. 604: natum autem eum 54
esse a. 514 putat Livius, quia diem obiisse nonagesimum annum agentem dicit. Cicero vero quinto et octogesimo anno mortuum Catonem putat, unde sequitur, natum esse anno 519.

Gellius X, 14 : M. Cato pro se contra C. Cassium : *Atque evenit ita, Quirites, uti in hac contumelia, quæ mihi per hujusce petulantiam factum itur, rei quoque publicæ medius fidius miserear, Quirites.*

Plutarch. Cat. c. 15 : Οὐ μὴν οὐδ' αὐτὸς ἐν τῇ πολιτείᾳ περιῆν ἀθῷος, ἀλλ' ὅπου τινὰ λαβὴν παράσχοι τοῖς ἐχθροῖς, κρινόμενος καὶ κινδυνεύων διετέλει. Λέγεται γὰρ ὀλίγον ἀπολιπούσας τῶν πεντήκοντα φυγεῖν δίκας, μίαν δὲ τελευταίαν ἓξ ἔτη καὶ ὀγδοήκοντα γεγονώς. Ἐν ᾗ καὶ τὸ μνημονευόμενον εἶπεν· ὡς χαλεπόν ἐστιν ἐν ἄλλοις βεβιωκότα ἀνθρώποις,, ἐν ἄλλοις ἀπολογεῖσθαι.

44. ORATIO DE ACHÆIS.

« Fortassis est de exulibus Achaiæ, de quibus cum magna controversia in senatu esset,' exsurgens Cato, *Quasi non sit*, inquit, *quod agamus, desidemus hic totum diem de senibus græculis quærentes, hic an in Achaia a sandapilariis efferantur* : tamen Achæi reditum impetrarunt. Plutarch. in Vita c. 9. » *Popma.* Etiam in hac re Scipioni, qui Polybii causa Achæis reditum concedere volebat, obstitit, quamvis rogatus esset ab eo, ut Plutarchus tradidit in Reg. et Imper. Apophthegm., Cato n. 28. Achæorum autem principes ferme mille, ut a criminibus initæ cum Perseo societatis se purgarent, Romam evocati anno 588, et indicta causa circum municipia et colonias custodiendi dimissi erant, nec reditus superstitibus ante annum 603 concessus est. [Rem accurate narravit Polybius XXX, 10 : XXXI, 8 ; XXXII, 7 et 9 ; XXXIII, 1 et 13. *Bolh.* p. 160.] Hoc igitur anno orationem habuit Cato.

Gellius II, 6 : M. Cato in oratione, quam de Achæis scripsit · *Cumque Hannibal terram Italiam laceraret atque vexaret.*

Hoc fragmentum ex A. Gellio mutuatus est Macrob. Saturn. VI, 7, atque Servius ad Virg. Eclog. VI, 76.

55 45. ORATIO, NE QUIS BIS CONSUL FIAT.

Quum mos invalescere cœpisset, eumdem virum plus semel consulari imperio ornandi, anno 603 lex videtur ex auctoritate senatus lata, ne quis bis consul fieret. Illud autem optimatibus vehementer gratum erat, ne consulatus sæpe in plebeios homines transiret, sed inter exiguum nobilium numerum includeretur.

Hanc oratione suasit Cato legem, quam perlatam in usu mansisse per quinquaginta fere annos cognoscimus ex Fastis consularibus. Vid. Pighius Ann. vol. II, p. 442, quem secutus est Zumptius in Annalibus.

Festus : *Pavimenta Pœnica* marmore Numidico constrata significat Cato, cum ait in ea, quam habuit, ne quis consul bis fieret · *Dicere possum, quibus villæ atque ædes, ædificatæ atque expolitæ maximo opere, citro atque ebore atque pavimentis Pœnicis stent.*

pavimentis Pœnicis] Marmor Numidicum in magno pretio et usu veteribus fuit, ex quo fiebant illa, quæ Cato hic nominat, pavimenta Punica, et quas Propertius *columnas Pœnas. Popma.* — Pighius Ann. vol. II, p. 442 : « Cato in hac oratione inter alia conquerebatur, multos tunc non reipublicæ provehendæ causa, sed avaritiæ luxusque sui studio magistratus ac provincias ambire, ut eas expilarent, ac prædas domum veherent (et villas pretiosas, quarum in fragmento fit mentio, exstruerent). Plutarchus etiam inter Catonis scite dicta quædam in ejus Vita (c. 8) recenset, quæ ex oratione jam dicta videntur deprompta. Scribit enim, cum graviter Cato populum redargueret, quod eosdem frequenter summis magistratibus præficeret; sic inquit : *Vel vili facere summam potestatem videmini, vel pauci sunt in civitate, quos idoneos aut dignos eadem existimatis.* » [—*Citro.* Lignum citreum Romanis auro fuit pretiosius : v. quos citat Schœttgen. ad Varronem De re rust. III, 2, 4. » *Bolhuis.* p. 158. Adde Mitscherlich. ad Horat. Od. IV, 1, 20.]

Priscian. III, 1, p. 108 : Cato in oratione, ne quis iterum consul fiat : *Imperator laudem capit, exercitum meliorem, industriorem facit.*

* *meliorem, industriorem*] sic Krehlii codices; edd. ante eum *mel. et ind.* Meyerus omisit *meliorem*, cum uno codice et textu Krehlii, qui hanc temeritatem ipse damnavit in Add. p. 315.

Plut. Cat. c. 8 : Τοὺς δὲ πολλάκις ἄρχειν σπουδάζοντας, ἔφη, καθάπερ ἀγνοοῦντας τὴν ὁδὸν, ἀεὶ μετὰ ῥαβδούχων ζητεῖν πορεύεσθαι, μὴ πλανηθῶσιν. Ἐπετίμα δὲ καὶ τοῖς πολίταις τοὺς αὐτοὺς αἱρουμένοις πολλάκις ἄρχοντας. Δόξετε γὰρ, ἔφη, ἢ μὴ πολλοῦ τὸ ἄρχειν ἄξιον, ἢ μὴ πολλοὺς τοὺς ἄρχειν ἀξίους ἡγεῖσθαι.

46. ORATIO DE BELLO CARTHAGINIENSI. 56

Argumentum hujus, quæ anno 603 habita est, orationis ex Plutarcho Vit. Cat. cap. 26 peti potest. [Historicos addidit Bolhuis. p. 165.] M. Catonis consilio illatum est bellum Punicum

tertium, in quo etiam mortui valuit auctoritas. Diem enim supremum ante initium belli obiit.

Nonius p. 89, 28 : *Calliscerunt* pro occalluerunt. Cato de bello Carthaginiensi : *Aures nobis calliscerunt ad injurias.*

ad injurias] intell. Pœnorum. Qua sit formata ratione hæc perfecti forma *calliscerunt,* nescio. Legendem puto *calliscunt* i. e. occalluerunt. [Quod verum videtur; verisimilius certe est quod quam proposuit Struvius De decl. et conj. L. L. p. 217.]

Solinus c. 30 (40) : Urbem Carthaginem, ut Cato *in oratione senatoria* autumat, cum rex Iarbas rerum in Libya potiretur, Elisa mulier exstruxit, domo Phœnix, et Karthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit civitatem novam.

in orat. senatoria] in oratione de bello Carthaginiensi.

Gellius IX, 14 : M. Cato in oratione, quam de bello Carthaginiensi composuit : *Pueri atque mulieres extrudebantur fami causa.*

fami] de hoc genitivo præter A. Gellium l. c. conf. Schneider Lat. Gr. part. II, p. 358.

Gellius III, 14 : «M. Cato de Carthaginiensibus ita scripsit : *Homines defoderunt in terram dimidiatos, ignemque circumposuerunt : ita interfecerunt.*»—Incertum vero, ex oratione de bello Carthaginiensi hæc sint sumpta, an ex Pœnorum historia, ab eodem Catone singulari libro composita, cujus apud Festum v. *Meritavere* exstat fragmentum, et a Servio ad Virg. Æn. IV, 682; nec non ad I, 343 et 738 fit mentio, etsi in extremis duobus locis auctorem non nominat. [Peculiarem librum *de Pœnorum historia* scripsisse non videtur, sed fragmentis ita commemoratis in Originibus locus probabiliter assignatur. V. Kraus. Vit. et fragg. hist. Lat. p. 97 et 113 sq.]

Uterque Gellii locus orationi, quam habuit Cato *Numantiæ apud equites,* in editione Lioniana pag. 79 errore adscriptus est.

47. CATO IN DISSUASIONE DE REGE ATTALO ET VECTIGALIBUS ASIÆ.

Cato orationem anno 604 habuit, cum lis, quæ inter Attalum et Prusiam, regem Bithyniæ, erat coorta, in senatu Romano
57 versabatur. — Vid. Appian. Bell. Mithridat. c. 6 et 7, Liv. Epit. libri L.

Festus: *Portisculus* est, ut scribit Ælius Stilo, qui in portu modum dat classi: id autem est malleus. Cujus meminit Cato in dissuasione de rege Attalo et vectigalibus Asiæ: *C. Licinio prætore remiges, scripti cives Romani sub portisculum, sub flagrum conscripti, veniere passim.*

C. Licinio] C. Licinius Crassus prætor a. 581, qui tum classem Romanam refecit, ut copiose tradit Livius XLII, 27. (Popma in adnotatione fortuito errore LII indicat, eumdemque secure repetit Lion.)]

sub portisculum] Scaliger adnotavit: « Qui est præco alias, is in nave portisculus. Præco audientiam faciebat in comitiis, in sacris et spectaculis faventiam; portisculus modum remigibus dabat. In verbis Catonis dicitur, viros Romanos, qui remiges scripti erant, per portisculum sub flagro veniisse. » Eam explicationem Gronovius refutavit in Observatt. IV, 26, p. 417 sqq.: « *Portisculus* enim, inquit, instrumentum est, malleus, quem tenens hortator modum dat classi. *Scribi sub portisculum* est soicum navalem fieri, *ad remum dari* Livio et Suetonio, ut *milites conscribi* et *sub signis esse ducique* dicuntur. Quemadmodum milites conscribuntur, ut sequantur et audiant signa, sic socii navales, ut portisculum sequantur brachiis et intenti expectent. Hos porro mala fortuna vel vitio præfecti classis, captos ab hostibus, ait relatos in alias tabulas vel catalogos, nempe captivorum venalium (et forte scripserat Cato *sub flagrum rescripti*, ut apud Cæsarem *rescribi ad equum*, sed vulgato sensus idem), et sub corona veniisse in servitutem, cujus magistri verbera sunt et flagella. Sic fingit eleganter *rescribi* vel *conscribi sub flagrum*, id est, mancipari, nam ut signa milites, portisculus remiges, sic flagrum servos regit. » Ideo construamus verba fragmenti: Cives Romani, C. Licinio prætore sub portisculum remiges scripti, veniere passim sub flagrum conscripti, i. e. cives Romani, qui remiges erant, pro servis venditi sunt.

Huc traxit Catonis locum a Festo s. v. *Sontica* allatum Scaliger. Ibi enim legitur: [*M. Porcius*] *lato* (sic) *de re A. Atili* [*quid dicam causæ extiti*]*sse, timidusne* [*sis an impedimento t*]*ibi causam sonticam* [*fuisse*]. — Scaliger autem emendavit *Cato de regis Attali vectigalibus,* Ant. Augustinus vero in Fragm. p. 71: *Cato de re Floria, A. Atili,* etc., ita ut *A. Atili* vocandi esset casus.

48. ORATIO IN SERVIUM GALBAM PRO LUSITANIS. 58

Hæc omnium celeberrima fuit causa et a multis scriptoribus memorata, quam Cato anno 604, quo ipso excessit e vita, apud

populum egit. *Quum enim L. Scribonius* (qui usque ad novissimam edit. Orellii in Bruto Cicer. c. 23, *T. Libo* nominabatur) *tribunus pl. rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui in fidem populi Romani dediti, a Ser. Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. Exstat oratio in Annalibus ejus inclusa. Q. Fulvius Nobilior, et sæpe ab eo in senatu laceratus, respondit pro Galba. Ipse quoque Galba, cum se damnari videret, complexus duos filios prætextatos, et Sulpicii Galli filium, cujus tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur.* Hæc in Epitome Livii XLIX. Ser. Galba est Servius Sulpicius Galba, orator maximus, de cujus orationibus infra dicetur. Vid. Cic. De orat. I, 53; Brut. c. 20 et 23; Quintil. II, 15, 8; Corn. Nep. Cat. c. 3; Suet. Galb. c. 3 [ibiq. Casaub.; Plut. Cat. c. 15; Cic. Pro Muren. c. 28, 59. *Ellendt.*]; Val. Max. VIII, 1, 2, et 7, 1, etc.

Gellius XIII, 24: Cato ex Originum septimo in oratione, quam contra Ser. Galbam dixit, compluribus vocabulis super eadem re usus est: *Multa me dehortata sunt huc prodire, anni, ætas, vox, vires, senectus: verum enimvero cum tantam rem peragier arbitrarer,* etc.

* *Rem peragier*] sic etiam cod. Paris. Editt. multæ *rem publicam agier*.

Gellius I, 12: M. Cato de Lusitanis, quum Ser. Galbam accusavit: *Tamen dicunt deficere voluisse. Ego me nunc volo jus pontificium optime scire: jamne ea causa pontifex capiar? Si volo augurium optime tenere, ecquis me ob eam rem augurem capiat?*

tamen dicunt] i. e. sic excusare culpam suam studet Galba et Nobilior. Similem sententiam Catonis in orat. pro Rhodiensibus invenimus. — Qui aliquam artem scire sibi arrogat, ideo non statim artifex est, nec magis, qui deficere voluit, defectionis pœnam solvere debet. *Deficere* est partes Galbæ relinquere.

deficere voluisse] Livius in Epit. XLIX: *Lusitanos, propter sese castra habentes, cæsos fatetur Galba, quod compertum habuerit, equo atque homine ritu immolatis, per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse.*

[Adde p. 107, ibique Frontonis locum.]

Sequuntur deinde orationum Catonis fragmenta, quarum ar-

guinenta et tempora nondum invenire poteram, sive quod res 59
prorsus est ignota, seu quod inscriptiones apud grammaticos vitiose memorantur.

49. ORATIO, QUA USUS EST AD MILITES CONTRA GALBAM.

Gellius I, 23 : Historia de Papirio Prætextato dicta scriptaque est a M. Catone *in oratione, qua usus est ad milites contra Galbam*, cum multa quidem venustate atque luce atque munditia verborum. Ea Catonis verba huic prorsus commentario indidissem, si libri copia fuisset id temporis, cum hæc dictavi.

contra Galbam] eumdem Servium Sulpicium Galbam intelligo, contra quem pro Lusitanis dixit. Wass. ad Fragm. Histor. vol. II, p. 301 ed. Haverc. dicit: Nescio an fragmentum ex Catone in *Sercia* (sic enim apud Nonium v. *Collum* legitur) huc referendum sit, ita ut legamus: « Cato in Servium Galbam : *Accipite, si vultis, hoc onus in vostros collos*.»— In eadem fortasse causa contra Galbam hanc quoque orationem habuit Cato. Cum enim Galbam accusare vellet, milites, quos ille secum habuerat in Hispania, allocutus et cohortatus est, ut malefactorum imperatoris testimonia dicerent. [Paulo post codex optimus Paris. *vetustate*, pro *venust*.]

50. ORATIO AD FILIUM.

Servius in Virg. Georg. I, 46: «Cato in oratione ad filium : *Vir bonus est, M. fili, colendi peritus, cujus ferramenta splendent*.»— Corrigendus est Servius. Cato non orationem ad filium, sed præcepta ad eum scripsit, quorum fragmenta a Plinio, Diomede, Nonio afferuntur. [Quæ vide apud Bolhuis. p. 193 sqq.]

51. CATO IN DISSUASIONE DE FENERATIONE LEGIS JUNIÆ.

Festus : *Prorsus*. Cato de feneratione legis Juniæ : *Camerini, cives nostri, oppidum pulchrum habuere, agrum optimum atque pulcherrimum, rem fortunatissimam. Cum Romam veniebant, prorsus devertebantur pro hospitibus ad amicos suos.*

Juniæ] ed. 1511 *niniæ*; ed. 1526 *miniæ*. Deinde codex *Camerni* (sic).
fortunatissimam] *fortissimam*; mox *devertebant* ibid. Præterea Camerini sunt a Camerio urbe, quam inter vicinas Romæ numerat Plinius. *Popma*.

Nonius p. 64, 16 : *Pedato* positum pro repetitu vel accessu.

Cato in dissuasione de feneratione. *Tertio autem pedato item ex fenore discordia excrescebat.*

60 Quæ sit lex Junia de feneratione, non constat. Apud Pighium certe et Bachium similis lex non memoratur. At fortasse Junius quidam aliquando legem de feneratione tulit, quæ obstante Catone a populo repudiata et mox oblivioni tradita est, nisi accipere mavis, errorem latere in inscriptione et legendum *legis Duiliæ* vel *Mæniæ,* quæ lex, nomine Duiliæ Mæniæ appellata, anno 397 de unciario fœnore data est. Satius autem videtur, inscriptionem pro corrupta habere : nescio enim, quid sibi velit *dissuasio de feneratione legis :* debebat enim dicere *dissuasio legis Juniæ de feneratione.* [« Huc referendus videtur Livius XXXII, 27, ubi: *Sardiniam,* inquit, *Cato obtinebat* (in prætura scil., de qua Liv. ib. c. 7 et 8), *sanctus et innocens, asperior tamen in fenore coercendo habitus, fugatique ex insula fenoratores :* nisi quis potius hanc orationem tum habitam fuisse putet, cum multa in fenoratores judicia severe sunt facta, accusantibus privatos ædilibus curulibus, M. Tuccio et P. Junio Bruto (a. U. 561) : v. Liv. XXXV, 41. » *Bolhuis.* p. 149.]

52. ORATIO DE RE FLORIA.

Quomodo inscriptio sit explicanda, non facile dici potest. Neque Popma neque Lion verbo rem attigerunt. Legimus autem apud Forcellinum, *Florius* ut Floralis a Flora derivandum esse et *de re Floria* accipiendum de ludis Floralibus. Scimus ludos Florales omnem pudorem et castitatem violasse, plebemque nudis mimis delectatam fuisse. Ovid. Fast. V, 331. Forte id autem accidit, ut in fragmentis orationis Catonianæ de crimine impudicitiæ agatur : unde argumentum ejus ad ludos istos referri posse visum est. Accedit, quod Cato Uticensis aliquando, cum ludi Florales inciperent, theatrum reliquit, quia probus et pudicus fuit, neque oculi ejus id spectaculum obscenum pati poterant : v. Valer. Max. II, 10, 8; Seneca Epist. XCVII. Quamobrem conjecerunt interpretes Gellii IX, 12, et Gierig. ad Ovidii Fast. V, 331, Catonem Uticensem librum vel orationem de re Floria sive de ludis Floralibus scripsisse. Sed, si hoc verum esset, Gellius et Nonius nominatim Uticensem Catonem in laudatis fragmentis appellassent : quomodo enim lectores hunc a

Catone majore, qui plus quinquagies affertur, distinguere poterant? Uterque scriptor probe nomine distinguendus erat. Quapropter in ea sum sententia, ut etiam in his locis Catonem censorium intelligendum putem, non minorem, atque ut inscriptio *De re Floria*, quæ contorte tantum ad ludos Florales referebatur, aliter omnino sit explicanda. Præterea Cato junior nihil scri- 61
ptum reliquit, una oratione excepta, quæ invito eo a pueris excipiebatur, ut Plutarchus tradidit in Vita ejus c. 23. In hac autem re maxime argumentum orationis Catonianæ illustrat locus Rhetoricæ Curii Fortunatiani lib. II, p. 81 ed. Capperonn.: « Concisa (narratione) tunc tantum utemur, quando quædam adversa sunt nobis ; imo et cum singulæ res gestæ maximam invidiam continent, adversariorum possumus narrationem concidere, ut præpositis singulis rebus statim exaggeratione utamur. Cur ita? ut indignationem judicum non semel, sed sæpius in rebus singulis excitemus, sicuti fecit *M. Cato de re Floriana.* » — Apud Nonium quoque *de re Floriana* legitur, non ut alias *de re Floria.* Ex Curii autem loco intelligitur, Catonem in actione forensi de re Floriana dixisse, in qua Florianus sive Florius sive Florus quidem aut accusabatur aut defendebatur. Neque enim amplius definire possumus, utrum Cato eum accusaverit, an defenderit, utrum Florianus alii vim attulerit, an ipsi vis allata fuerit. — Weberus, veterem opinionem secutus, p. 33 in censura Catonem dixisse putat de re Floria vel de lascivia ludorum Floralium coercenda.

Gellius IX, 12 : Apud M. Catonem de re Floria ita scriptum: *Sed nisi qui palam corpore pecuniam quæreret, aut se lenoni locavisset: etsi famosus et suspiciosus fuisset, vim in corpus liberum non æquum censuere afferri.*

famosus] qui mala fama flagrat.

suspiciosus] *suspiciosum* Cato hoc in loco suspectum significat, non suspicantem. *Gell.* l. c.

Nonius p. 168, 28: *Suspiciosus,* qui in suspicione sit. Cato de re Floriana : *Sed siqui palam corpore pecuniam quæreret, aut se lenoni locavisset, et si famosus et suspiciosus esset, vim in corpus liberum non æquum censuere adferri.* — Hic locus ex

Gellio corrigendus, atque jam editio 1526 verum habet *Sed nisi qui*, quod in edit. Merceri depravatum est.

Gellius X, 13 : M. Cato in oratione de re Floria ita scripsit : *Ibi pro scorto fuit, in cubiculum surrectitavit e convivio, cum partim illorum jam sæpe ad eumdem modum erat.*

* *erat*] Legendum, ni fallimur, *erant*. V. ad p. 51.

62 53. CATO IN DISSUASIONE, NE LEX BÆBIA DEROGARETUR.

Pighius Annal. vol. 2, p. 339 scribit : « Videtur M. Bæbius prætor legem (anno 562) ex senatus auctoritate tulisse ad populum, ut alternis annis quatuor solummodo prætores crearentur. Quam tamen otiosam ad annum 574 (vel potius 575) usque (conf. Liv. XL, 19 et 44) et postea etiam remansisse, ex superioribus facile colligere est, ut ex sequentibus constabit, quando nimirum, cum mole imperii crescentibus bellis, prætorum numerum adaugere magis quam minuere necesse fuit. Dissuasisse tamen aliquando M. Catonem, ne derogaretur lex Bæbia, et ad populum de hac egisse, colligimus ex Festo, qui citat ejus orationem in voce *Rogat*. » — Weberus similem, at non eamdem opinionem habet. Cato, ait, dixit a. 574, ne lex Bæbia derogaretur, quæ alternis annis quaternos jubebat prætores creari. Bachius in Histor. Jurispr. p. 150, huic opinioni favet. Ausonius autem Popma ad alteram legem Bæbiam retulit, quam M. Bæbius consul a. 572 de ambitu tulerat. Ex fragmentorum argumento nihil certi conjici potest.

Nonius p. 470, 22 : *Largi* pro largire. Cato Lege Bæbia : *Pecuniam inlargibo tibi.*

Inlargibo] *inlargio* ut *largio* antique pro largior.

Festus : *Rogat*, id est consulit populum, vel petit ab eo, ut id sciscat, quod ferat.... Cato in dissuasione, ne lex Bæbia derogaretur, ait : *Hoc potius agam, quod hic rogat.*

54. CATO IN SUASIONE IN LEGEM POPULI.

Ausonius Popma adnotat : « Quæ est lex populi ? opinor Porcia pro scapulis, pro tergo civium lata. » Consentit cum Popma

Pighius, qui legem de libertate civium anno 556 a P. Porcio Læca tribuno pl. Catone suadente datam statuit. [Quamvis autem nonnulli hanc Catoni orationem tribuant (v. Ernest. Clav. Cic. v. *Porcia*), tamen haud scio an alii eam meliore jure ipsius temporibus antiquiorem judicent... Forte pro *populi* legendum *Petilii* vel *Petiliam*, ita ut causa referenda sit ad eam de qua in orat. *de pecunia regis Antiochi* dictum (supra n. XI).» *Bolhuis.* p. 157.] Atque Pompeius Festus pro scapulis civium M. Catonem dixisse manifesto ostendit, verba ipsius afferens ex oratione contra M. Cœlium : *Hostem percussi, sæpe incolumis abii; præterea* 63
pro republica, pro scapulis *atque ærario multum reipublicæ profui.* Legem Porciam Livius affert X, 9. Vid. Bach. Jurisprud. p. 147 sq.

Nonius p. 87, 15 : *Compluries,* frequenter. Cato Suasione in legem populi : *Quod compluries usu venit, omni tempore anteventum esse, rempublicam reddimus.*

usu venit] En locum antiquum, in quo nulla editio alteram lectionem *usu evenit* præbet. Vid. Orell. ad Cicer. Tuscul. pag. 354 sq. [*Reddimus.* Editio ap. Bolh. *reddidimus.* Locus nondum sanus.]

55. CATO IN PANSAM.

Censori Catoni orationem tribuit Weberus.

Nonius p. 151, 10 : *Pasceolus,* ex aluta sacculus. Cato in Pansam : *Pueri in ludos tellos pasceolos furare.* — Hæc corrupta verba leguntur in editione optima Merceri. Quanto præstat editio Nonii 1526 : *Pueri in ludo solent pasceolos furari!* In Gothofredi Auctt. Lat. p. 1859 ex antiqua edit. lectio memoratur : *Pueris in ludos tellos pasceolos furare,* ex qua Palmerius conjecit : *Pueris in ludo soleas et sacellos pasceolos furari,* scil. Pansam; Popma autem : *Pueris in ludo ocellos pasceolos furari,* intell. Pansam. [Palmerii conjecturam vera videtur.]

56. CATO IN SERCIA.

Nonius p. 200, 22 : *Collus* masculini generis... Cato in Sercia : *Accipite, si vultis, hoc onus in vostros collos.* — Edit. 1526 *Cato Sercia.*

in Sercia] nescio, quomodo id sit accipiendum. In edit. Cortiana Fragmentorum historic. vol. III, p. 31, alia inscriptio verbis Nonii præposita est, *Apud equites Numantiæ*. Wass. latere putat *Cato in Ser. Galbam*, ut ad Catonis orationem, qua usus est *ad milites contra Galbam*, modo monui.

57. CATO DE TRIBUNIS MILITUM.

Nescio an eadem oratio sit cum illa, in qua *tribuno diem dixit*, quam infra afferemus, p. 66.

Nonius p. 67, 18: *Proletarii* dicti sunt plebeii, qui nihil reipublicæ exhibeant, sed tantum prolem sufficiant. Cato de tribunis militum: *Expedito pauperem plebeium atque proletarium.*

Idem p. 195, 1: *Clivus* generis masculini, ut plerumque. Neutri... Cato de tribunis militum: *Loca ardua et cliva depressa.*

64 Festus: «*Nemut* nisi etiam vel... ibunici cum ait... *ærumnas*.» Editores correxerunt: *Nemut*, nisi etiam, vel nempe, usus est Cato de potestate tribunicia cum ait: *Nemut... ærumnas*. Paulus: *Nemut*, nisi etiam, vel nempe.

58. CATO DE SUIS VIRTUTIBUS CONTRA THERMUM.

Festus: *Oratores*... alii pro legatis appellant, ut Cato in ea, quam scripsit de suis virtutibus contra Thermum: *M. Fulvio consuli legatus sum in Ætoliam, propterea quod ex Ætolia complures venerant: Ætolos pacem velle; de ea re oratores Romam profectos.*

M. Fulvio consuli] anno 564. [«V. Liv. XXXVIII, 1-9. Quod autem de se h. l. narrat Cato, alibi nusquam inveni.» *Bolh.* p. 114.]
legatus sum] Scaliger: *legatus missus sum.*

Festus: *Ordinarium hominem*... Ælius Stilo (dici solitum ait hominem) qui minime ordine viveret... [Cato] in ea oratione, quam scribit de suis virtutibus contra Thermum: *Quid mihi fieret, si non ego stipendia in ordine omnia ordinarius meruissem semper?*

in ordine] uncis inclusit Ant. Augustinus. [« Sed verba Catonis male accepit Festus: facile enim ex iis colligi posse videtur *ordinarium* hominem dici qui per omnes ordines stipendia meruit. Gallice: *Qui est allé de degré en degré, qui a esté simple soldat, et a passé par degrez*

dans toutes les charges. Vel potius *in ordine meruissem*, pro miles in legione tantum fuissem. Id enim est in *ordine merere*. V. Frontin. Strateg. IV, 1. » *Dacier*.]

Festus: *Primanus tribunus* apud Catonem in ea, quæ est contra Thermum de suis virtutibus.

* *Primanus tr.*] Paulus in Epitome: « *Pr. tr.* erat qui primæ legioni tributum scribebat. » Qui *tribunos ærarios* videtur in mente habuisse, ut ap. Varronem De L. L. V prope fin. Nam ipse concinnavit explicationem quam apud Festum non inveniret. Simpliciter est tribunus primæ legionis.

Festus: *Repastinari* ager is dicitur... cujus natura mutatur fodiendo, cum aut silvester excodicatur, aut lapis mollitur frangendo, ut fiat pascuus, vel pecoribus herba, vel hominibus satione. Cato in ea, quam scripsit de suis virtutibus contra Thermum: *Ego jam a principio in parsimonia atque in duritia atque industria omnem adolescentiam meam abstinui, agro colendo, saxis Sabinis, silicibus repastinandis atque conserendis.*

abstinui] vixi remotus ab omnis generis deliciis. Ant. Augustinus emendavit *obstinui*. Popma adnotavit: « *Adolescentiam abstinui* id est remotam habui, abduxi scilicet a luxu et deliciis, sicut *culpam abstineam* Plaut. Menæchm. pro remotus sim a culpa; quamvis sint qui malint *obstinui* vel *obstinavi*, quos sequatur qui volet. »
saxis Sabinis] sic Plut. Vit. Cat. c. 1; Nep. c. 1.

Aliud Catonis fragmentum, simili argumento, in A. Gellio invenimus XIII, 23: M. Cato, consularis et censorius, publicis jam privatisque opulentis rebus, villas suas inexcultas et rudes, ne tectorio quidem prælitas dicit ad annum usque ætatis suæ septuagesimum: Atque ibi postea his verbis utitur: *Neque*, inquit, *mihi ædificatio neque vasum neque vestimentum ullum est manupretiosum, neque pretiosus servus, neque ancilla est. Si quia est*, inquit, *quod utar, utor; si non est, egeo: suum cuique per me uti atque frui licet.* Tum deinde addit: *Vitio vertunt, quia multa* 65
egeo: at ego illis, quia nequeunt egere.

manupretiosum] Vid. Schneider. ad Caton. R. Rust. c. 14, p. 63.

Gellius XVI, 14: Verba sunt Catonis ex oratione, quam de suis virtutibus habuit: *Aliud est properare, aliud festinare: qui*

unum quid mature transigit, is properat ; qui multa simul incipit neque perficit, is festinat.

Idem plane in Nonio v. *festinare,* p. 441, 22, legitur. [Qui *is* omittit ante *fest.* Sed pro *unum quid* in Epitome antiqua Nonii ms., sæculi fere XI, inveni *unum quicquid.* Et pro *transit* in ed. Merc., is codex *transigit.*]

Isidorus De different. verb. v. 5, p. 75 ed. Areval : Marcus Cato : *Qui unum quodque mature transigit, properat ; qui multa simul incipit nec perficit, is festinat. Ego unum quodque, quod adortus eram, transigebam.*

Isidorus] Optime hic locus ab eo conservatus. In editione Parisiensi Jacobi du Breul anni 1601, p. 767, inter varias lectiones hæc adnotatur : *Ego numquam quidquam, quod adortus eram, transibam. Ortus* in codice forte *orsus.* [Cod. Paris. *adorsus.*]

Festus, post verba in *Primanus tribunus* supra posita : « Aliud est *properare,* aliud *festinare : Qui unumquodque mature transigit, is properat ; qui multa simul incipit neque perficit, is festinat.* »

* *unumquodque*] Pauli edd. *unum ;* cod. Guelf. 1 *unum quid ;* 2 *unum quod.*

Scholiasta Ambrosian. Cic. Pro Milone c. 19, p. 289 ed. Orell. : Cato in oratione, quæ inscribitur *De virtute sua contra Thermum,* sic ait : *Nam aliut properare, aliut festinare. Qui unumquodque mature transigit, properat ; qui multa simul incipit neque perficit, festinat.*

Servius ad Virg. Georg. I, 260 : Cato *properare* dicit *eos, qui prima quæque ordine suo mature transigunt ; festinare autem illos, qui multa incipiunt eaque adnectendo nec terminando præpediant.*

* *mature*] Edd. *maturare.* Vossius *maturate.*

Isidorus Origg. XX, 3, § 8, Cato de innocentia sua : *Cum essem in provincia legatus, quamplures ad prætores et consules vinum honorarium dabant : numquam accepi, ne privatus quidem.*

quamplures] al. *complures.*

vinum honorarium] Isidor. : *Hon. vinum,* quod regibus et potentibus honoris gratia defertur. Conf. Muret. Var. Lectt. XII, 5.

dabant] al. *dabatur.*

ne] vulgo *nec*. Illud suasit etiam Fæsi ad Muret. l. l. p. 335. [Cod. Par. *ne*. Bolhuis. p. 115 hæc ad sententiam lacuna interceptam pertinere putat.]

Fronto Epist. ad Verum Imp., I, p. 184 ed. Rom. : Ipsum hoc tuum a te diutina prudentia consultum, quod non ante signis conlatis manum cum hostibus conseruisti, quam levibus prœliis et minutis victoriis militem imbueres, nonne Cato docuit, orator idem et imperator summus? Ipsa subjeci Catonis verba, in quibus consiliorum tuorum expressa vestigia cernes : *Interea unamquamque turmam, manipulum, cohortem temptabam quid facere possent; prœliis levibus spectabam cujus modi quisque esset; si quis strenue fecerat, donabam honeste, ut alii idem vellent facere, atque in contione verbis multis laudabam. Interim aliquot pauca castra feci. Sed ubi anni tempus venit, castra hiberna...*

cernes] sic scripsi. Ed. Rom. *cerneris*. Ed. Orell. p. 149. *cerneres*.

Hoc fragmentum ex oratione potius Catonis quam ex ejusdem libro de re militari sumptum arbitror. [Et orationes potissimum Catonis lectitabat Fronto.]

In hac igitur oratione Cato reus factorum suorum ac vitæ rationem reddidit, accusante eodem Thermo, quem ipse antea in jus vocavit. Ex primo deinde fragmento post annum 564 orationem dictam esse apparet. Cecidit autem Q. Minucius Thermus a. U. 565 in prœlio cum Thracibus commisso. Ideo 66 fortasse filius ejus Catonem accusavit. [Sine dubio filius. Temporis notatio inest in A. Gellio verbis XIII, 23, quæ Catoniana præcedunt et ab editore fuerant omissa. Gellius igitur indicat hanc orationem habitam esse post annum 584 vel 589 : nam vix dubitari potest, ob reliqua fragmenta, de veritate conjecturæ qua Meyerus Gellii locum ad hanc orationem retulit.]

59. CATONIS ORATIO DE BONIS DULCIÆ.

Ex Frontonis Epist. ad M. Cæsarem IV, 5, p. 102 ed. Rom. hujus orationis memoria accedit : *Legi Catonis orationem de bonis Dulciæ*. Ita codex secunda manu, at prima *Pulchræ*.

60. CATONIS ORATIO, QUA TRIBUNO DIEM DIXIT.

In eadem Frontonis Epistola index orationis conservatus est : *Legi Catonis orationem de bonis Dulciæ et aliam, qua tribuno diem dixit.* Ac subit aliqua suspicio, orationem fortasse non ab illa alienam esse, quam supra p. 63 *de tribunis militum* memoravimus, aut ab ea, cujus apud Plutarc um fit mentio in Vita c. 9. Vide p. 90 sq.

61. ORATIO CONTRA CORNELIUM APUD POPULUM.

Hic Cornelius in sequenti quoque oratione commemoratur. Censori Catoni eam tribuit Weberus. [Videndum ne sit eadem cum 17, supra p. 30.]

Festus : *Repulsior* secunda conlatione dixit Cato in ea, quæ est contra Cornelium apud populum : *Nec quis incultior, religiosior, desertior, publicis negotiis repulsior.*

nec quis] In cod. Festi legitur *hæc quis ;* Augustinus emendat *ecquis.*

repulsior] magis abhorrens. [Paullo ante edit. Havercamp. et Bolhuis. p. 131 *irreligiosior.* Sed *religiosior* tueri poteris ex A. Gellio IV, 9.]

62. CATONIS ORATIO DE SUMPTU SUO.

Insigne hujus actionis fragmentum apud Frontonem exstat Epist. ad Antoninum I, 2, p. 149 sqq. ed. Rom. : Quoniam mentio παραλείψεως habita est, non omittam, quin te impertiam, quod de figura ista studiosius animadverterim, neque Græcorum oratorum neque Romanorum, quos ego legerim, elegantius hac figura usum quemquam, quam M. Porcium in ea oratione, quæ *de sumptu suo* inscribitur, in qua sic ait : *Jussi caudicem proferri,*
67 *ubi mea oratio scripta erat. De ea re quod sponsionem feceram cum M. Cornelio, tabulæ prolatæ : majorum bene facta perlecta : deinde quæ ego pro republica fecissem, leguntur. Ubi id utrumque perlectum est, deinde scriptum erat in oratione : « Numquam ego pecuniam neque meam neque sociorum per ambitionem dilargitus sum. » Attat noli, noli scribere, inquam : istud nolunt audire. Deinde recitavit : « Num quos præfectos per sociorum vestrorum oppida inposivi, qui eorum bona, liberos diriperent ? »*

Istud quoque dele: nolunt audire. Recita porro: » *Numquam ego prædam, neque quod de hostibus captum esset, neque manubias inter pauculos amicos meos divisi, ut illis eriperem, qui cepissent.* » *Istuc quoque dele. Nihilo minus volunt dici: non opus est. Recitato:* « *Numquam ego evectionem datavi, quo amici mei per symbolos pecunias magnas caperent.* » *Perge istuc quoque uti cum maxime delere.* « *Numquam ego argentum pro vino congiario inter apparitores atque amicos meos disdidi, neque eos malo publico divites feci.* » *Enimvero usque istuc ad lignum dele. Vide, sis, quo loco respublica siet, uti quod reipublicæ bene fecissem, unde gratiam capiebam, nunc idem illud memorare non audeo, ne invidiæ siet. Ita inductum est male facere, inpœne; bene facere, non inpœne licere.* Hæc forma παραλείψεως nova nec ab ullo alio, quod ego sciam, usurpata est. Jubet enim legi tabulas, et quod lectum sit, jubet præteriri. »

caudicem] pro *codicem*.

M. Cornelio] Aug. Maius eumdem esse hunc cum eo, de quo in antecedenti oratione mentio est facta, suspicatur.

attat] conf. Hand. dixit Tursellino s. v.

inposivi] Cato De re rustica c. 1 dixit *posiverunt*.

bona, liberos] legendum *bona, conjuges, liberos*.

prædam — manubias] V. Favorinum ap. A. Gellium XIII, 24.

nihilo minus] omnium minime.

evectionem] diploma, quo facultas utendi equi publici conceditur

datavi] *datare* antique: v. Laurenb. Antiquar. s. v.

vino congiario] quod supra p. 65 *vinum honorarium* appellavit.

usque ad lignum] imago petita ex tabulis cereis, in quibus cera ad inscribendum supra tabulam ligneam erat lita.

In hac oratione Cato accusatus consulatus aut præturæ suæ 68
rationem publice reddidit.

63. ORATIO ADVERSUS LEPIDUM.

Ellendt. cum Niebuhrio ad Front. p. 133 non Porcinam, sed M. Æmilium Lepidum intelligit, qui senatus princeps ab tertiis censoribus legebatur, ut Livius monet XLIII, 15.

Fronto De feriis Alsiensibus p. 206 : Catonem quoque in oratione adversus Lepidum verbum *cantari* solitum commemorasse, cum ait : *Statuas positas Ochæ atque Dionysodoro effeminatis, qui magiras facerent. Id in . . meant . . . velint post redire . . in ea . . facit. Opportune . . brum . . rim cantandi ludendique initium capiunt. Et . . . paravit.*

Dionysodoro] scripsi cum Niebuhr. Vulgo *Dionysidoro.*

magiras] Videtur in hac oratione dixisse Cato id, quod ter narrat Plutarchus, nempe malle se in vulgo quæri, cur nulla sua statua esset, quam cur esset, quia jam scilicet Roma statuis opplebatur hominum nulla re bona dignorum. *Maius.*

paravit] Latent in his lacunis versus undecim. *Maius.*

64. CATONIS ORATIO, SI SE COELIUS TRIBUNUS PL. APPELLASSET.

Festus: [*Spa*]*tiatorem,* erratorem. Cato in M. Cœlium, si se appellavisset : *In coloniam mehercules scribere nolim, si triumvir sim, spatiatorem atque fescenninum.*

in M. Cœlium] cod. Festi *in An. Cœlium.* — Ed. 1526 : *C. in M. Cœlium : Si se a. in c. m. s. nollem, si tuum virum sim s. a. fescenniniam.*

si se appellavisset] Exstabat similiter oratio Ciceronis, *si eum P. Clodius legibus interrogasset,* i. e. quam habuisset, si se Clodius legibus interrogasset.

in coloniam] i. e. inter colonos non recipiam. De nova colonia deducenda sermo est, quod triumvirorum erat negotium.

triumvir] cod. Festi *triumvirum.* [Ac deinde idem *fescennium,* ut Macrobi quoque codd. in loco proxime cit.]

spatiatorem] *spatiari* est otiose ambulare, unde Cato spatiatorem hic vocat, quem De re rustica cap. V, § 2, *ambulatorem : Villicus ne sit ambulator. Fescenninum* vocat hominem lascivum et obscenum, a fescenninis versibus notæ lascivæ. *Popma.*

Macrob. Saturn. II, 10 : Nimirum M. Cato senatorem non
69 ignobilem, Cæcilium, spatiatorem et fescenninum vocat eumque staticulos dare his verbis ait : *Descendit de cantherio, inde staticulos dare, ridicularia fundere.* Et alibi in eumdem : *Præterea cantat, ubi collibuit, interdum Græcos versus agit, jocos dicit, voces demutat, staticulos dat.*

Idem fragmentum apud Saresberiensem De nugis curialium VIII, 12, reperitur pag. 592.

Cæcilium] aut *Cœlium* aut *Cæcilium* legendum esse in inscriptione orationis, manifestum est : una eademque enim oratio, non duæ intelliguntur.
staticulos dare] Salmasius ad Plin. Exercitt. p. 94 : « Cato de Cœlio senatore *staticuli* pro motibus saltatoriis; *staticuli* sunt ὀρχήματα, *staticulos dare*, ut Virgilius : *Dat motus incompositos.* » — Turneb. Advers. XVII, 4, p. 538 : « *Staticulos dare* est choream quandam et saltationem dare, non motoriam, sed statariam, qualis erat et in choris στασίμοις. »
ridicularia] *Ridicularia* sunt jocularia, qualia ante mimos et Atellanas recitabantur vel canebantur a scurris, mimis et urbicariis. *Popma.*
versus agit] declamat.
voces demutat] ut si Fulvium *Nobiliorem*, *mobiliorem* dicis. In Saresberiensi legitur *denuctat.*

Paulus in Epitome Festi : *Citeria* appellabatur effigies quædam arguta et loquax ridiculi gratia, quæ in pompa vehi solita sit. Cato in M. Cæcilium : *Quid ego cum illo dissertem amplius? quem ego denique credo in pompa vectitatum iri ludis pro citeria, atque cum spectatoribus sermocinaturum.*

**Cæcilium*] hic quoque cod. Guelf. *celium* (sic).
vectitatum iri] scripsi cum Scaligero. Cod. *ire.*

Festus : *Pro scapulis* cum dicit Cato, significat pro injuria verberum : nam complures leges erant in cives rogatæ, quibus sanciebatur pœna verberum. His significat prohib[uis]se multos suos cives in ea oratione, quæ est contra M. Cœlium : *Hostem percussi, sæpe incolumis abii, præterea pro republica, pro scapulis atque ærario multum reipublicæ profui.*

his significat] his eripuisse se cives significat. Suasit enim legem Porciam de libertate civium a. 556. Vide Suasionem in legem populi, p. 62.
hostem] correxit Scalig. Cod . *siem.* [Qui et *Cœlium.*]
pro scapulis a. a.] supplendum *dicens*, ut Pighius monuit.
profui] correxit Scalig. Cod. *profuit.*

Gellius I, 15 : M. Cato atrocissimus stultæ atque inanis dicendi copiæ insectator est. Namque in oratione, quæ inscripta est, *Si* 70
se Cœlius trib. pleb. appellasset : Nunquam, inquit, *tacet, quem morbus tenet loquendi, tamquam veternosum bibendi atque dormiendi. Quod si non conveniatis, cum convocari jubet, ita est*

cupidus orationis, ut conducat qui auscultet: itaque auditis, non auscultatis, tamquam pharmacopolam: nam ejus verba audiuntur, verum ei se nemo committit, si æger est.— Idem Cato in eadem oratione eidem M. Cœlio trib. pleb. vilitatem opprobrans non tantum loquendi, verum etiam tacendi: *Frusto*, inquit, *panis conduci potest, vel uti taceat vel uti loquatur.*

si se Cœlius] omitt. *se* ed. 1493.

tacet, quem] Weberus explicat, nam eum. Subjectum est *Cœlius.*

tanquam veternosum] i. e. plane ut veternosum morbus tenet bibendi. *Veternosus* dicitur, notante Festo, qui gravi premitur somno. « Cato veternosum hydropicum intelligi voluit, cum ait: *Veternosus quam plurimum bibit, tam maxime sitit.* » [Vide Bentleium ad Horat. Epist. I, 2, 34, p. 13.] Quo in libro hoc dixerit Cato, incertum quidem, sed fortasse in libro De medicina est positum.

bibendi] *videndi* ed. 1493. Mox: *Quod si non conveniant, tamen convocari jubet.* Equidem Laurenbergii lectionem (vid. Antiquar. s. v. *audire*) præferam: *Quod si non conveniant, tum convocari jubet; ita est cupidus orationis, ut conducat qui auscultet:* quorum sensus est: Si sponte non concurrunt homines, nominatim eos convocat atque mercede comparat, qui aures tribuant dictoque obsequantur.

non auscultatis] i. e. non observatis dicta ejus, ut observare solemus et exsequi, quodcunque præceperit medicus. [Contrarium sensum in his videmus: quare cum Gronovio distinximus ante *tamquam.* De verbis extremis fragmenti, quæ hæc illustrant, rectissime Gronovius hæc notat: « Huic tribuno idem fieri quod nundinali et circumforaneo pharmacopolæ, ait Cato: hoc est, homines circumstantes duci et lactari eorum tolutiloquentia, sed neminem iis credere. »] Cic. De divin. I, 57, Pacuvii versum affert: *Nam istos, qui linguam avium intelligunt, magis audiendum quam auscultandum censeo.*

pharmacopolam] v. Salmas. Plin. Exercitatt. p. 739.

Festus: *Prodidisse* non solum in illis dicitur, qui patriam hostibus prodiderunt, sed etiam tempus longius fecisse, ut Cato: *Te, C. Cæcili, diem prodidisse militibus legionis tertiæ, cum proditionem non haberent.*

Te, C. Cæcili] corruptum fortasse et *te, M. Cœli:* quod si verum est, novum fragmentum orationis accessit. In edit. Cortiana Fragm. hist. vol. 3, p. 31, ad hunc locum Plutarchi Cato laudatur; quod non convenit, cum Cato Uticensis, non Cato Censorius Cæcilium Metellum a tribunatu repulerit, ut in Vita Cat. Uticensis c. 20 narratur.

non haberent] correxit optime Scaliger *non haberes,* id est jus producendi diem, quod habebant tribuni plebis, ut Popma explicat. *Proditionem*

magistratus dicitur *habere*, quomodo et vocationem et prehensionem, id est, prodendi, vocandi, prehendendi jus.

Festus: « [*Næviam silvam*]... quam opprobrii loco [objici ab antiquis solere], quod in ea morari ads[uessent perditi ho]mines, testis est M. Ca[to in ea quam scripsit *in*] *M. Cælium si se appella*[*visset*...] *a porta Nævia atque ex*... » Quem locum ita suppleverunt editores: *Orsus iter eram* a porta Nævia atque exinde *in nemora Nævia a domo procul Nævia*. 71

Priscian. VI, 7, p. 244: Cato in M. Cæcilium: *Quis illi modi esse vult?*

* *Quis*] Krehlius: « Ante *quis* codicum auctoritate delevi *et*. » Aptum tamen videtur h. l. *Ecquis* etc. Et sic totidem literis scriptum vidi in cod. Regio 7497, IX sæc.

M. Cœlius aut Cæcilius (litem enim dirimere non possumus) tribunus pl. minatus erat, nescio cur, Catonem se accusaturum: sed antequam appellarat eum, Cato ipse contra illum venit, quod causa fuit, quo desisteret ab accusatione tribunus. Nominatur M. Cæcilius tribunus pl. anno 573 in Pighii Annalibus. Macrobius Cæcilium, quem ceteri *tribunum* appellant, fortuito errore *senatorem* vocat: tribuni enim anno demum urbis 623 Atinii plebiscito senatores sunt facti. V. Creuzer. Antiq. Rom. §. 153. Cato autem anno 604 mortem obiit. At in alia prorsus sententia de indice orationis est Weberus p. 32, qui eum esse *oratio in M. Cœlium, si se tribunum plebis appellavisset,* putat. Is igitur, ait, titulum tribuni usurpaverat; cum apud Macrobium senator dicatur non ignobilis, fortasse conjicere licere, eum propter commissum illud falsum e senatu motum esse. Præterea censoriam esse orationem existimat.

65. CATONIS ORATIO DE DOTE.

Gellius X, 23: M. Cato non solum existimatas, sed multatas quoque a judice mulieres refert non minus, si vinum in se quam si probrum et adulterium admisissent. Verba M. Catonis adscripsi ex oratione, quæ inscribitur *De dote,* in qua id quoque scriptum est, in adulterio uxores deprehensas jus fuisse maritis necare: *Vir,* inquit, *quom divortium facit, mulieri judex pro*

censore est; imperium, quod videtur, habet. Si quid pervorse tetreque factum est a muliere, mulctatur; si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur. De jure autem occidendi ita scriptum : *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses,*
72 *sine judicio impœne necares. Illa te, si tu adulterares, digito non auderet contingere; neque jus est.*

Vir, quum] Conf. Hassii Dissertat. de h. Gellii loco in Museo Rhenan., quod ad Jurisprudentiam spectat, 11, 1, p. 106-111, et Additamenta ad Creuzeri Antiquitates Rom. p. 489. Lion sensum sic explicat : Vir, quum in eo est, ut divortium faciat, ipse mulieri judex est, nec ei opus est censore. — Oratio censoria videtur esse. Idem tulit judicium Weberus p. 33. Ea enim oratio, ait, luxuriem in dotibus mulierum circumscribebat; mulierum autem mores Catonis acerbitati sæpe videmus materiam præbuisse.

* *si tu*] Mss. omnes *sive tu.*

66. ORATIO, CUM IN HISPANIAM CONSUL PROFICISCERETUR.

Festus in *Maledictores,* i. e. maledici : « [Cato cum proficisceretur in] Hispaniam : *Re[movendi maledictores]*. » Cod. *Hispania, re,* nihil amplius. Deest hoc fragmentum apud Popmam et Lionem.

Festus : [*Navi*]*tas* secundum incorrup[tam consuetudinem dict]os quos nunc n[os *nautas* dicimus, testis est] Cato in ea, quam scr[ipsit, cum in Hispaniam proficisce]retur, cum ait : *Navitæ* [*quod secum portaverant*] *vinum atque oleum, u*[*sus tantum eo sum*].

Idem sed aliis verbis Plinius narrat Hist. Nat. XIV, 13 : Cato cum in Hispaniam navigaret, unde cum triumpho rediit, *Non aliud,* inquit, *vinum bibi quam remiges.*

Frontinus Strategem. IV, 3, 1 : *M. Catonem vino eodem, quo remiges, contentum fuisse traditur.*

Valer. Max. IV, 3, 11 : *Age si quis hoc sæculo vir illustris pellibus hædinis pro stragulis utatur, tribusque servis comitatus Hispaniam regat et quingentorum assium sumptu transmarinam provinciam petat, eodem cibo eodemque vino, quo nautæ, uti contentus sit, nonne miserabilis existimetur? Atque ista patientissime superior Cato toleravit!*

Appuleius in Apolog. de magia pag. 431 ed. Bossch. : M. Cato

nihil oppertus, ut alii de se prædicarent, ipse in oratione scritum reliquit, *Quum in Hispaniam consul proficisceretur, tres servos solos ex urbe duxisse : quoniam ad publicam villam venerat, parum visum qui uteretur ; jussisse duos pueros in foro de mensa emi ; eos quinque in Hispaniam duxisse.*

quoniam] idem fere valet quod *postquam*. Exierat Cato cum tribus servis, 73
sed cum ad villam publicam, quæ in campo Martio erat, pervenisset, subiit animum cogitatio, non posse tam paucos servos sufficere provinciam administranti : misit ergo in urbem qui duos emeret. *Pricæus.*

qui uteretur] *qui* antique pro *quibus*, ut ap. Plaut. Capt. V, 4, 6, *quicum*, pro *quibuscum*.

de mensa] *mensa* est lapis, in quo servi venales prostabant, vel catasta.

quinque] v. Plut. Vit. Cat. c. 10.

Quo sit anno hæc oratio habita, dubitem : ex inscriptione quidem annus consulatus Catonis, quo in Hispaniam ad bellum profectus est, significatur, id est a. U. 558, verum fragmenta docent, Catonem in ea dicere de exiguo apparatu, quo usus fuerit, cum in Hispaniam proficisceretur. Index ergo orationis fuisse videtur : *Oratio de apparatu suo, quum in Hispaniam consul proficisceretur,* aut *Oratio de sumptu suo, quum in Hispaniam consul proficisceretur.* Eam autem non ante profectionem in Hispaniam habuit, sed reversus ex Hispania, inimicis causam sibi dicentibus. Hæc lis cum altera fortasse conjuncta erat, quam egerat de consulatu suo, ut mox videbimus. [Bolhuisius quoque utriusque fragmenta in unum conjunxit p. 95 sqq.]

67. CATO DIERUM DICTARUM DE CONSULATU SUO.

Festus : *Mediocriculo* usus est in ea quam dixit Cato in consulatu : *Ridibundum magistratum, pauculos homines, mediocriculum exercitum obviam duci.*

magistratum] loquitur fortasse de Hispanorum urbe, socia Romanorum. [In cod. Festi sequebatur vocabulum *genere*, quod ignorat Paulus et deleverunt interpretes.]

Festus : « *Recto fronte ceteros sequi si norit,* Cato in *dissertatione consulatus :* antiquæ id consuetudinis fuit » etc., nimirum *frons* masculino genere. Alia hujus usus ex Catone exempla Lau-

renb. Antiq. s. v. præbet. [Omiserat Meyerus verba fragmenti *cet. s. si n.*]

Servius ad Virg. Eclog. IV, 5: Cato de suo consulatu: *Omnia ab integro paranda erant.*

Gellius IV, 17: M. Cato in oratione, quam de consulatu suo habuit: *Ita hos,* inquit, *fert ventus ad priorem Pyrenæum, quos projicit in altum.*

ad priorem Pyrenæum] legendum *ad portum Pyrenæum* ex Livio XXXIV, 8: *M. Porcius consul, postquam abrogata est Oppia lex, extemplo viginti quinque navibus longis ad Lunæ portum profectus, eodem exercitu convenire jusso, et edicto per oram maritimam misso navibus omnis generis contractis ab Luna proficiscens edixit, ut* ad portum Pyrenæi
74 *sequerentur, inde se frequenti classe ad hostes iturum. Prætervecti Ligustinos montes sinumque Gallicum ad diem, quam edixerat, convenerunt.*

Charisius II, p. 192 ed. Putsch.: *Satis* pro intente: Cato dierum dictarum de consulatu suo: *Jam apud vallum nostri satis agebant.*

apud vallum] Livius XXXIV, 14 et 15 acerrimam narrat pugnam, quæ sub ipso vallo hostium a Catone commissa est, et in qua supra quadraginta millia hostium cædebantur.

Charis. II, p. 181: Cato dierum dictarum de consulatu suo: *Egoque jam pridem cognovi atque intellexi atque arbitror, rempublicam curare industrie summum periculum esse.*

industrie] Cato nobilibus Romanis invisus fuit, quia nimis parce rempublicam administrabat et omnem luxum imperatorum vel prætorum provinciarum tollebat. Quare multis ab optimatibus in jus et suspicionem vocatus est.

Charis. II, p. 184: Cato dierum dict. de c. suo: *Item uti a Thermopylis atque ex Asia maximos tumultus maturissime disjeci atque consedavi.*

a Thermopylis] bellum apud Thermopylas gessit anno 562. Hanc igitur orationem non consul habuit, sed multo post: continet enim commemorationem eorum, quæ in Hispania atque Græcia in bellis gessit.

ex Asia] Legatus erat M'. Acilii Glabrionis consulis a. U. 562: quo tempore Antiochum regem, apud Thermopylas victum, in Asiam usque persecutus est. [Historicorum locos v. ap. Bolhuis. p. 102.]

Charis. II, p. 184: M. Cato dier. d. de c. suo: *Laudant me*

maximis laudibus, tantum navium exercitum, tantum commeatum, non opinatum esse quemquam hominem maturrime comparare potuisse. Idem : *Tam maturrime comparavisse.*

Laudant me] referendum est ad id, quod celerrime classem et exercitum paraverat, ad proficiscendum in Hispaniam, ut a Livio quoque traditur.

Charis. II, p. 185 : M. Cato d. d. d. c. suo : *Deinde postquam Massiliam prœterimus, inde omnem classem auster lenis fert; mare velis florere videres, ultra angulum Gallicum : ad illum* 75
enim atque Ruscinomen deferimur; inde nocte aura profecti sumus.

Massiliam] compara locum Livii, quem supra apposui.

angulum Gallicum] Livius *sinum Gallicum* appellat.

Ruscinonem] Ruscinon fluvius, qui in Gallicum mare aquas fundit. In Mannerti quoque tabula geographica, Hispaniam continente, nomen sic legitur.

Charis. II, p. 186 : M. Cato d. d. d. c. suo : *Eas res non posse sustineri, nisi eo prœsidia magna frumentumque... nam ita dicunt palam necesse esse obturata.*

frumentumque] supplendum *mittatur*. Auson. Popma hoc ad legationem Ilergetum refert, qui ad Catonem consulem miserunt, querentes, castella sua oppugnari, nec spem ullam esse resistendi, nisi præsidio Romanus miles esset, ut Livius scribit XXXIV, 11. [Conf. Frontin. Strat. IV, 7, 31. *Bolh.*]

Huc pertinet fragmentum Catonis, quod Livius in extrema hujus pugnæ narratione addidit, XXXIV, 15 : *Cato ipse, haud sane obtrectator laudum suarum, multos cœsos ait; numerum non adscribit.*

Charis. II, p. 187 : M. Cato dierum dictarum de consulatu suo : *Mihi atque classi obviam fiunt.*

fiunt] intell. hostes.

Charis. II, p. 190 : M. Cato d. d. d. c. suo : *Inde pergo porro ire in Turtam.* Idem supra : *Itaque porro in Turtam proficiscor servatum illos.* In eodem : *Me sollicitum atque exercitum habitum esse atque porro fore.* In eodem : *Eam ego viam pedetentim tentabam.*

in Turtam] Dixit *Turtam* pro Turdetania, siquidem Turdetani Turduli et

Turti appellati sunt. Livius XXXIV, 19: *Difficilius bellum in Turdetania prætori P. Manlio Celtiberi, mercede exciti ab hostibus, faciebant, itaque eo Cato consul, arcessitus litteris prætoris, legiones duxit.*

Charis. II, p. 191: M. Cato d. d. d. c. suo: *Nostros pone versus hosteis esse ab dextera parte.*

Item idem: *Postquam auspicavi atque adduxi exercitum pone versus castra hostium.*

nostros] ad narrationem prœlii, ad castra hostium commissi pertinet.

auspicavi] Liv. XXXIV, 14: *Nocte media, quum auspicio operam dedisset, profectus, ut locum quem vellet, antequam hostes sentirent, caperet, præter castra hostium circumducit et prima luce acie instructa sub ipsum vallum tres cohortes mittit.* [Conf. Appiani Hisp. c. 40 et Florum II, 17. *Bolh.* p. 99. Qui etiam sequentia post lacunam verba huic fragmento adjicit, sed præter probabilitatem.]

76 Charis. II, p. 192: Cato de consulatu suo: *Videtote, quanto secus ego fecerim.*

secus] secus atque is, qui accusator meus est, sive Thermus est, sive Galba: uterque enim in Hispania bellum duxit, uterque Catonem in jus vocavit, et uterque Hispanis crudelitate et incontinentia invisus erat.

Charis. II, p. 194: Cato dierum dictarum de consulatu suo: *Ego mihi monumenta hæc sempiterno posui, quæ cepi.*

monumenta] multos populos Hispanorum vicit, urbes quadringentas cepit. Plut. Cat. c. 10.

Charis. II, p. 196: *Temere,* i. e. facile. Cato de consulatu suo: *Si cuperent hostes fieri, temere fieri non possunt.*

* *Si* etc.] Spectare videtur consilium suum callidum, quo hostes munimenta ipsi sua destruxerunt, aliter ab aliis narratum. V. Liv. XXXIV, 14; Frontin. I, 1, init.; Polyæn. VIII, 17; Appian. Hisp. c. 41; Plut. Vita c. 10; Zonar. IX, 17. *Bolhuis.* p. 103.

Charis. II, p. 196: M. Cato de consulatu suo: *Id ego primo minus animadverti; veniunt iterum atque tertium tumultuosius.*— Idem in eadem Cato: *Censores, qui posthac fient, formidolosius atque segnius atque timidius pro republica nitentur.*

veniunt] hostes. [Loqui videtur de equitibus in dextro cornu, qui initio pugnæ pulsi extemplo a barbaris, cedentesque trepidi, etiam pediti terrorem intulere. Quod ubi animadvertit consul, duabus cohortibus

delectis, hostem a tergo aggressus est et terrore replevit. V. Liv. XXXIV, 14. *Bolhuis*. p. 100.]

Censores] Cato in hac parte orationis censuræ suæ meminit, in qua severissime se gesserat et multos senatorum, equitum aliorumque civium notis censoriis affecerat: quapropter expertus est postea tantas inimicitias et contumelias, ut nullum alium futurum censorem id munus aspere, et ut decet, exsecuturum esse diceret, quia nimis odiosum esset. Livius quidem dicit XXXIX, 44: *Nobilis censura fuit simultatiumque plena, quæ M. Porcium, cui acerbitas ea assignabatur, per omnem vitam exercuerunt.*

Charis. II, p. 197: Cato dier. dict. d. c. suo: *Omnia tumultu plena, simul hostium copiæ magnæ contra me sedebant, usquequaque lacessebamur.* Idem: *Interea et ad socios nostros sedulo dispertieram, alio frumentum, alio legatos, alio literas, alio præsidium usquequaque.*

sedebant] i. e. castra habebant. Utrumque fragmentum ad bellum Hispanicum spectat.

Charis. II, p. 198: Cato de consulatu suo: *Qui maximis vocibus ac vicissim.*

Charis. II, p. 204: Cato dier. dict. d. c. suo: *Atque quamquam multa nova miracula fecere inimici mei, tamen nequeo desinere mirari eorum audaciam atque confidentiam.*

quamquam] ed. Putsch. *quamque.*

Charis. II, p. 195: Ibidem: *Secus ætatem agerem, quam illi* 77
egissent.

quam illi] Suppleri potest: Ego curavi, ut secus ætatem agerem, quam inimici mei, ut Galba, Furius, Piso, egissent.

Charis. II, p. 179: Ibidem: *Ei rei dant operam, ut mihi falso maledicatur.*

dant operam] inimici mei.

Inserendum videtur ei orationi fragmentum, quod a Festo v. *Oreæ* vulgo M. Cœlio vindicatur, ut in M. Cœlio Rufo dicemus, p. 194 sq. Et alia e Servio et Plutarcho infra p. 87 et 91 sq.

Hæc oratio commemorationem continet eorum, quæ in Hispania consul anno 558, quæ deinde in Græcia atque Asia anno 562, postremo in censura anno 569 Cato gessit. Sed index ora-

tionis admodum est obscurus, atque supplendum puto *Dierum dictarum de consulatu suo liber*. Accusatores plures fuerunt, non unus, ut ex fragmentis apparet. Ac probabile est, Catonem orationes, diebus dictis pro se habitas, in uno libro collectas edidisse. [Similiter conjecit etiam Bolhuis. p. 102 sq., apte Festi locum commemorans, v. *Recto fronte*, ubi *dissertatio* vocatur hic liber.] Is continebat omnes actiones, quibus de consulatu suo, de proconsulatu in Hispania, de bello adversus Antiochum, quo tempore fuerat legatus, et de censura sua in judicium vocatus rationem reddidit. Weberus adnotavit p. 25 : « De consulato suo plures videtur orationes habuisse, quibus administrationem muneris contra adversarios defenderet, nisi forte ea, quam adversus C. Cassium pronuntiavit, eadem est, quæ simpliciter inscribitur De consulatu. »

68. ORATIO IN C. SULPICIUM GALBAM.

Catoni censori eam vindicat Weberus.

Festus v. *Nassiterna :* Cato in ea oratione, quam composuit in Q. (sic) Sulpicium : *Quoties vidi trullas, nasiternas, pertusos aqualis, matellas sine ansis.*

trullas] emendavi vulgatum *trullos*. Scaligero placuit *trulleos*. De priore forma vide Schneiderum ad Caton. De re rust. cap. 10 et 11. Deinde Cod. *perfusos*.

nasiternas] non *nassiternas*, ut codex : vid. Schneid. ad eumdem loc.

69. ORATIO QUÆ DE AUGURIBUS INSCRIBITUR.

Festus : *Probrum virginis Vestalis*, ut capite puniretur, vir qui eam incestavisset, verberibus necaretur, lex fixa in atrio Libertatis, cum multis aliis legibus incendio consumpta est, ut
78 ait M. Cato in ea oratione, quæ *De auguribus* inscribitur. Adjicit quoque, *virgines Vestales sacerdotio exauguratas*.

Exauguratas] Vitio typographico in Dacerii edit. *exauctoratas* legitur, quod Lion propagavit. *Exaugurare* est privare aliquem sacerdotio. Memoratur *Flamen exauguratus* in Orellii Inscriptt. n. 2207.

70. ORATIO DE RE HISTRIÆ MILITARI.

Festus : *Punctatoriolas* leves pugnas appellat Cato in ea, quam dixit de re Histriæ militari.

de re H. militari] dubito de veritate inscriptionis. Cum tamen a. 575 et 576 a Romanis bellum adversus Istros gereretur, quod Romæ quoque haud parvam contentionem excitaverat, ad eam rem oratio Catonis pertinere potest. Vid. Livius XLI, 1 — 11 ; Polyb. XXVI, 7.

71. CATO CONTRA OPPIUM.

Censori Catoni eam orationem vindicavit Weberus.

Festus : *Quadratal* vocabant antiqui, quam ex Græco ἀμφοράν dicunt ; quod vas pedis quadrati octo et quadraginta capit sextarios. Cato contra Oppium : *Vinum redemisti, prædia pro vini quadrantalibus sexaginta in publicum dedisti, vinum non dedisti.*

in publicum dedisti] pignori ex lege mancipiorum. Varro De ling. lat. (V, p. 40 Speng.) *Popma.* Cod. *in pulli ded.*

72. ORATIO DE SPOLIIS, NE FIGERENTUR NISI DE HOSTE CAPTA.

Servius ad Virg. Æn. IV, 244 : Cato in oratione, ne spolia figerentur nisi de hoste capta : *Sed tum ubi ii dimissi sunt, revertantur resignatis vectigalibus.*

ii dimissi] in Scaligeri nota legitur *indivisi.*

Festus : *Resignare* antiqui pro *rescribere* ponebant. Cato de spoliis ne figerentur, nisi quæ de ho[ste capta essent]. [Ipsum fragmentum lacuna sequente interceptum est; sed habetur apud Servium. Unde firmatur conjectura p. 34 prolata in fine primæ notæ.]

Orationem censoriam esse puto.

73. M. CATO IN EA, QUAM SCRIPSIT, ÆDILIS PLEBIS SACROSANCTOS ESSE. 79

Festus : *Sacrosanctum* dicitur quod jurejurando interposito est institutum, si quis id violasset, ut morte pœnas penderet.

Cujus generis sunt tribuni plebis ædilesque ejusdem ordinis quod affirmat M. Cato in ea quam scripsit, *Æd. pl. s. e.*

Ædiles plebis] hic antiquissimus plebeiorum magistratus eodem tempore cum tribunatu institutus dicitur. Niebuhr. Hist. Rom. vol. I, p. 442 et 650, Creuzer. Antiq. Rom. p. 196. Ac quoniam plebeios contra injurias optimatium pariter ac tribuni plebis defendebant, ut ii, sacrosancti fuerunt.

74. DE RE A. ATILI.

Inscriptio plane incerta est. Ant. Augustinus in Fragm. Fest. p. 71 proposuit : *Cato de re Floria : A. Atili,* ita ut *A. Atili* vocandi casus sit. Scaliger autem correxit : *Cato de regis Attali vectigalibus.*

Festus: [*Sontica* causa dicitur a morbo [sontico, propter quem quod est ge]rendum agere [desistimus. M. Porciu]s Cato *de re A. Atili : [quid dicam causæ exstiti]sse timidusne [sis, an impedimento t[ibi causam sonticam [fuisse]*.

A. Atili] A. Atilius præfectus erat classis in expeditione contra regem Antiochum a. U. 562, in qua Cato Glabrionis consulis legatus fuerat (Liv. XXXVI, 20), quem in pluribus orationibus, ut supra retuli, accusavit.

75. M. CATO PRO L. CÆSETIO.

Festus : *Sultis,* si voltis. M. Cato pro L. Cæsetio : *Audite, sultis, milites, si quis vostrum in bello superfuerit, si quis non invenerit pecuniam, egebit.*

* *egebit*] Agere videtur de lege quadam, qua militibus qui stipendia meruerant, quique sibi prospicere amplius non poterant, publice victus concedebatur. *Bolh.* p. 109.

Festus : [*Stiricidium* qu]asi stillicidium., cum stel... (Epitome : « cum stillæ concretæ frigore cadunt. *Stiria* enim principale est, *stilla* diminutivum. ») Cato pro C. . . *Nihilominus voluit semper de s[tiricidio in] re præsenti cognosce[re atque etiam statu]ere.*

pro C. . .] supplendum videtur *pro Cæsetio.*

Priscian. X, 5, p. 493 : Cato *pro L. Cæsare* ad populum : *Quod ego me spero ostenturum.*

pro L. Cæsare] Huc traxi fragmentum, cujus inscriptio fortasse corrupta est. [Duo codd. Krehlii *quem* pro *quod*.]

Diomed. p. 65 ed. 1526 : Ideo *P. Lucius Cœlius* ad populum : *Ex hoc me spero ostenturum*, non ostensurum.

P. Lucius Cœlius] corrupta inscriptio et ex superiore corrigenda : *Idem* (Cato) *pro L. Cæsare*, sive *Cæsetio*.

76. ORATIO CONTRA TIBERIUM EXULEM. 80

Gellius II, 14 : In libro vetere M. Catonis, qui inscribitur, *contra Tiberium exulem*, scriptum sic erat : *Quid si vadimonium capite obvoluto stitisses ?*

in libro] i. e. oratione.

capite obvoluto] quod fecerunt rei criminis capitalis. [*Stitisses*, a sistere. V. Gellium l. c. et de re Heindorf. ad Horat. Sat. p. 192 sq.]

Priscian. VI, 18, p. 285 : Cato adversus Tiberium Sempronium Longum : *Si posset auctio fieri de artibus tuis, quasi supellectilis solet.*

Tiberium S. L.] Dubito an is sit Tib. Sempronius Longus consul anni 559, qui una cum Catone, sed frustra censuram petebat, Liv. XXXIX, 40. Wass. ad Fragm. hist. p. 294 ed. Haverc. dicit: « Illum nescio an intelligat proconsulem, cujus legatus Cato in Thracia et ad Danubium fuit, teste Plutarch. Cat. c. 12, cujus etiam elogium habes in Vita Marcelli c. 5. » De priore loco Plutarchi consentio eumdemque mecum significat Wassius hominem : in posteriore autem loco aliter res se habet : in eo enim Tiberius Sempronius Gracchus, qui secundum consulatum gessit a. U. 590, pater Gracchorum, intelligitur.—Quando autem Sempronius exulaverit, ignoro. Weberus eam orationem censoriis adnumeravit p. 32. [Ceterum Gellius ex ipso codice Catonis titulum affert, quo major ei fides habenda, et videndum ne forte duæ orationes dicantur.]

supellectilis] Priscianus nominativum intelligit, ego potius genitivum, ut sit *quasi supellectilis fieri solet auctio.*

77. CATONIS ORATIO APUD CENSORES IN LENTULUM.

Gellius V, 13 : M. Cato in oratione, quam dixit apud censores in Lentulum, ita scripsit : *Quod majores sanctius habuere, de-*

fendi pupillos quam clientem non fallere. Adversus cognatos pro cliente testatur ; testimonium adversus clientem nemo dicit : patrem primum, postea patronum proximum nomen habere.

apud censores] Cum tutor pupillum fallebat aut clientem patronus deserebat, censores eos ærarios fecerunt. Niebuhr. Hist. Rom. vol. II, p. 449 ed. sec. [Initium fragmenti nobis ita scribendum videtur : Quid *majores sanctius habuere* quam *defendi pupillos, quam clientem non fallere?* Quod sequentia postulant. Jam videmus ita propositum esse ap. Gronov., Jacobo frustra obloquente.]

habere] supplendum *oportet*. [Sive potius *statuebant*.]

[Bolhuis. p. 127 : « *Cn. Cornelium Lentulum* memorat Livius, cum aliis locis, tum XXII, 49, et XXXIII, 27, quo loco docemur, cum ante Sempronium Tuditanum citeriorem Hispaniam obtinuisse : unde suspicio forte oriri queat, in eum hanc orationem dictam fuisse a Catone, qui Hispanos tamquam clientem patronus, tueri solebat. » Conf. infra in n. 83.]

78. ORATIO, NE IMPERIUM SIT VETERI, UBI NOVUS VENERIT.

Gellius XX, 2 : *Siticines* scriptum est in oratione M. Catonis, quæ inscribitur, *Ne imperium sit veteri, ubi novus venerit : Siticines,* inquit, *et liticines et tubicines.*

Siticines] « appellati, qui apud *sitos* canere soliti sunt, hoc est, vita functos et sepultos. » *Gell.* Nam *siti* dicuntur ii, qui conditi sunt, ut ait Cic. De legg. II, 22, § 57.

81 79. ORATIO PRO L. TURIO CONTRA CN. GELLIUM.

Weichert. in Reliquiis poetarum Latii p. 97 hunc L. Turium memorari judicavit in Bruto Ciceronis c. 67 : *L. Turius parvo ingenio, sed multo labore, quoquo modo poterat, sæpe dicebat, itaque ei paucæ centuriæ ad consulatum defuerunt.* Sed vereor, ne falsam opinionem protulerit vir doctissimus. Nam cum Cicero ibi Turium cum M. Pisone, P. Murena, C. Censorino, C. Macro, C. Pisone et L. Torquato contulerit, qui omnes a Ciceronis ætate proxime absunt, fieri non potest, ut idem Turius significetur, pro quo Cato major, qui a. U. 604 obiit, dixit, præsertim cum in illo opere sic versatus sit Cicero, ut oratores singulos accurato

annorum ordine recenseat. In eo vero, quod deinde dicit idem vir doctus, consentio. « Glandorpius, inquit, in Onomastico ex Gellii loco affert Catonis orationem pro L. Furio : qua fultus auctoritate, me latet. » Ellendtius quoque Glandorpii rationem sequi videtur in Hist. eloq. Rom., dicens : « Harum una *pro Furio contra Gellium* fuit, quam Furio scriptam ait Festus, » et præterea, ut aliis quoque orationes Cato in judicio habendas scripserit, sic hanc Furio composuisse tradit. Sed ea opinio neque codicibus firmatur, neque orationem in Furii gratiam compositam esse crediderim. Confundit enim Ellendt. orationem *pro L. Turio contra Cn. Gellium* cum ea, quam habuit Cato *de multa contra L. Furium*, quæ a Festo s. v. *Vindiciæ* aliisque locis affertur. Postremo Cnæus Gellius vetus esse dicitur a Vossio historicus, cujus apud Dionys. Halicarn. XI, 31, et Ciceronem De divinat. I, 26, fit mentio. In Cic. De legibus I, 2, 3, Cn. et Sextus Gellii memorantur.

Gellius XIV, 2 : M. Cato in oratione, quam pro L. Turio contra Cn. Gellium... Verba ex (ea) oratione hæc sunt : *Atque ego a majoribus memoria sic accepi : si quis quid alter ab altero peterent, si ambo pares essent, sive boni sive mali essent, quod duo res gessissent, uti testes non interessent, illi unde petitur, ei potius credendum esse. Nunc si sponsionem fecissent Gellius cum Turio : ni vir melior esset Gellius quam Turius, nemo, opinor, tam insanus esset, qui judicaret, meliorem esse Gellium quam Turium; si non melior Gellius est Turio, potius oportet credi unde vetitur.*

a majoribus] Gellius ipse sensum sic explicat : *Cato dixit, ita esse a majoribus traditum observatumque, ut si quod inter duos actum est, neque tabulis neque testibus planum fieri possit, tum apud judicem, qui de ea re cognosceret, uter ex iis vir melior esset, quæreretur; et, si pares essent, seu boni pariter seu mali, tum illi unde petitur, crederetur, ac secundum eum judicaretur.* [— *Illi unde petitur*) ita in judiciis privatis s. controversiis dicitur is cui actio intenditur, qui subinde etiam *adversarius* audit. In publicis autem quæstionibus dicitur *reus*. *Bolh.*] 82

res gessissent] *rei* appellatio ad omnem contractum et obligationem pertinet, ut ait Ulpianus, tit. De verbor. signif. cap. VI : unde *res gessisse* pro contraxisse Cato hic dicit, et reus appellatur uterque ex contrahentibus. *Popma.*

f cissent] V. Garaton. ad Cic. Or. pro Quintio c. 14.

Popma, Wassius et Lion [et Bolhuis.] fragmentum addunt ex oratione *in L. Veturium* arcessitum, ut supra monui ad orationes censorias.

80. ORATIO PRO L. AUTRONIO.

Priscian. IX, 9, p. 462: Vetustissimi et *ausi* pro ausus sum protulerunt. Cato censorius in oratione pro L. Autronio: *Beneficii postridie jussisti adesse, in diem ex die non ausi recusare.*

L. Autronio] ita codd. Edd. vett. *L. Antonio.*

81. ORATIO, QUA SUASIT IN SENATU, UT PLURA ÆRA EQUESTRIA FIERENT.

Priscian. VII, 8, p. 317: Cato in oratione, qua suasit in senatu, ut plura æra equestria fierent: *Nunc ego arbitror oportere institui, ne quo minus duobus millibus ducentis sit œrum equestrium.* In eadem: *De œribus equestribus, de duobus millibus actum.*

nunc ego] Gronovii lectionem in libro De pecunia vet. p. 125 potiorem esse existimavi eamque retinui. In Putschiana edit. enim et Krehliana sic legitur: *Nunc ergo* (*ego* edd. Venett.) *arbitror oportere restitui, quo minus duobus millibus ducentis sit œrum equestrium.* Id autem non intelligo.

ne quo] i. e. ne qua ratione, ne omnino; aut legendum *ne quoi.*

duobus millibus ducentis] pediti stipendium annuum mille assium, equiti duplum, duo millia, dabatur, quibus ducenta addi Cato suadet. Tamen hoc stipendium non statum erat, sed quando respublica ærario non laborabat, triplex equitibus dare solebant. Conf. Niebuhr. Hist. Rom. vol. II, p. 496 sq.; Gronov. De pecunia vet. p. 125.

Charis. I, p. 97: Cato, ut plura æra equestria fiant: *Æribus equestribus de duobus millibus actum.*

œribus] « Ni fallor, hunc locum in mente habuit Festus, cum annotaret, Catonem dixisse *œribus* pluraliter ab *œre.* » *Popma.*

83 Priscian. VII, 11, p. 332: Cato in oratione, qua suasit in senatu, *Samnitis* dixit pro Samnis: *Accessit ager, quem privatim habent, Gallicus, Samnitis, Apulus, Brutius.*

qua suasit in senatu] excidit, opinor, illud *ut plura æra equestria fierent*, id quod Krehlio quoque in mentem venit.

Paulus in Epitome Festi: *Æribus* pluraliter ab ære, id est æramento, dicit Cato.

82. M. CATO IN LEGIS MÆVIÆ SUASIONE.

Priscian. XII, 4, p. 549: M. Cato in legis Mæviæ suasione: *Rex Seleucus arma nostratia facit.*

legis Mæviæ] forte *Mæniæ*, de qua Cicero in Bruto, et Varronis Satira inscripta *Lex Mænia*. [V. Ernesti Clav. Cic. s. v.] Sed nihil hic video. *Popma.*

Seleucus] aut Seleucus Ceraunus, frater Antiochi Magni, aut, quod magis placet, Seleucus Philopator, Antiochi filius, intelligendus est, qui numquam Romanis bellum inferre ausus est.

83. CATO CONTRA C. PISONEM.

Intelligo C. Calpurnium Pisonem, qui eodem anno, quo Cato censor erat (a. 569), de Lusitanis et Celtiberis triumphavit. Liv. XXIX, 42. [Conf. et Appian. Hisp. c. 56. *Bolh.* p. 128, qui in eadem sententia est.]— Weberus adnotavit p. 35: « Perpetuam et præcipue insignem opem tulit Hispanis, veteri suæ provinciæ, propter quorum injurias, Cicerone narrante (Divin. in Cæc. c. 20, 66), cum multis graves inimicitias gessit. Itaque primum a. U. 582 perfecit, ut P. Furius Philus damnaretur. Nec dubito, quin ad illa tempora pertinuerit Oratio in C. Pisonem, et ipsum olim prætorem Hispaniæ. »

Priscian. X, 8, p. 503: Cato contra C. Pisonem: *Video, hac tempestate concucurrisse omnes adversarios.*

concucurrisse] 3 codd. ap. Krehl. *concurrisse.*

84. CATO PRO L. CÆSARE AD POPULUM.

Vide orationem pro L. Cæsetio, p. 79.

85. CATO IN DISSUADENDO LEGEM, QUÆ POSTEA RELICTA EST.

Festus: *Siremps* dicitur pro eadem vel proinde [quasi similis res ipsa]. Cato in dissuadendo le[gem quæ postea re|licta est:

Et præterea rogas, [ut quemquam advorsus] ea si populus condemna[verit siremps lex] siet, quasi advorsus le[gem fecisset].

84 *rogas*] Construe: rogas, ut, si populus quemquam condemnaverit, advorsus ea siremps lex sit, quasi advorsus legem fecisset. — Similiter in Senatu consulto apud Frontinum De aquæduct. p. 199: *Qui adversus ea quid fecerit et adversus eum, siremps lex, jus caussaque omnium rerum omnibusque esto utique, uti esset esseque oporteret, si is adversus hanc legem rivum, specum rupisset.*

86. ORATIO, QUAM HABUIT DE INDIGITIBUS.

Censori Catoni Weberus eam tribuit.

Indigites Dii vocantur, qui post funera immortali gloria consecrati, et in deorum numerum recepti sunt, ut Romulus Quirinus aliique, quos enumerat Laurenb. Antiquar. s. v. In Pontificum libris Dii indigites dicti, quorum nomen vulgari non liceret.

Festus v. *Sequester:* Cato in ea ora[tione, quam habuit] de Indigitibus: *Sinunt m[iseros perire], ut bona rapiant, aut s[i superstites petant], ut sequestro dent.*

ut sequestro] In Laurenb. Antiq. s. v. legitur *vi sequestro. Sequester* dicitur, apud quem res aliqua controversa dijudicanda deponitur. Tutores quosdam avaros vituperat Cato. Codex corrupte *vi seques prodent.*

87. CATO DE HABITU.

Hæc inscriptio plane incerta est, nec orationem Catonis sic inscriptam puto. Weberus tamen eam censoriam dicit nulla ratione addita pag. 33. Si autem oratio intelligenda esset, *Cato de ambitu* emendarem. [Sic et Bolhuis. p. 158.] Sed verisimile est, Charisii verba I, p. 70: *Sanguis masculino genere dicitur, et facit hunc sanguinem: sed Cato de habitu ut declinaretur ait sanguen, sanguinis,* alium sensum habere, nempe secundum propriam vocabuli formam a Catone dici *sanguen, sanguinis,* non *sanguis* in nominativo: genitivus enim *sanguinis* nominativum *sanguen* postulat, nec *sanguinis* a *sanguis* declinari potest. *De habitu* ergo est, quod græci dicunt κατὰ τὴν ἕξιν. Cato in nominativo *sanguen* dixit, ut habitus verbi per omnes casus retineretur.

Sic in posterum *oratio Catonis de habitu*, quam Popma recepit, delenda est. [Recte hæc disputata esse videntur. Censor Halensis eamdem esse conjicit atque illam *de vestitu et vehiculis*, n. 26.]

88. CATO DE ABROGANDIS LEGIBUS. 85

Quid ea de re senserit Cato, ex oratione de lege Oppia perspicere licet, quam imitatus est Livius XXXIV, et quidem cap. 3 et 6, ubi dicit, nullam legem esse abrogandam, quia novæ leges plerumque sint molliores ac laxiores. Id dictum cum moribus Catonis optime convenit.

Charis. I, p. 81 : Cato de abrogandis legibus *bovile* dixit.

89. ORATIO DE LÆTORIO.

Nonius p. 137, 22 : *Musimones,* asini, muli, aut equi breves. Cato Deletorio : *Asinum, aut musimonem, aut arietem.*

Deletorio] Hoc vocabulum in duas voces distinxi. [Bolhuis. p. 157 : « In notis post Gothofredi editionem Nonii emendatur *de Lætorio ;* neque tamen definio, utrum hæc oratio spectaverit ad legem Lætoriam, quæ Catonis tempore exstabat, quamque a. U. 490 M. Lætorius Paucianus trib. pl. tulerat. » Westerm. p. 327 : « An forte scribendum *pro L. Torio* (Turio) ? V. supra p. 81. »] Popma adnotavit: « In Nonii vulgatis codicibus legitur *Deletorio,* unde restitui *De lege Toria,* ad quam pertinet unicum fragmentum de pastione pecoris. Eam legem tulit Sp. Torius sive Thorius tribunus pl. de quo Cicero in lib. II De oratore et in Bruto (c. 36) ita : *Sp. Torius satis valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali levavit.* »— Sic correxit ille, non videns, legem Thoriam diu post mortem Catonis latam fuisse, anno Urbis 646 : v. Appian. De bell. civil. I, 27, ibiq. Schweigh. Cato autem obiit anno 604. Lion Popmam secure secutus est. Popmæ error Weberum in alium errorem induxit. Cum enim intellexisset Catonem de lege Thoria dicere non potuisse, judicavit, hoc fragmentum orationis de lege Thoria (origo enim inscriptionis eum latebat) ex Catonis reliquiis eximendum esse.

musimonem] vid. Schneider. ad Varron. De re rust. II, 2, 12, pag. 411.

INCERTA ORATIONUM FRAGMENTA.

Non omnia incerta Catonis fragmenta recepi, sed ea potissimum, quæ ex orationibus videbantur excerpta.

Frontonis Epist. ad M. Cæsarem II, 9: Id vespera et concubia nocte, *dum se intempesta nox,* ut ait M. Porcius, *præcipitat,* eodem modo perseverat.

Paulus in Epitome Festi: *Cœpiam* futurum tempus ab eo quod est cœpi. Cato: *Cœpiam seditiosa verba loqui.*

seditiosa] Scaliger in schedis *semesa* reperit, idque probavit.

Idem: *Compluriens* a compluribus significat sæpe. Cato: *Contumelias mihi dixisti compluriens.*

Festus: [*Magistri* dicunt in omnibus] rebus, qui ma[gis ceteris possunt, ut *magistri e*]*quitum* et [*magistri populi,* item *ludorum Apo*]*llinis* dixe[runt antiqui: quæ nunc aliter di]cuntur:
86 velut [ostendit Cato in ea oratione, quam] dixit contra ora[tionem...

Idem: [*Magnificius* pro magnificentius usurp]avit Cato in ea, quam [scripsit...: *crimina ma*]*gna quis homo* [*quam tu aut*] *pulchrius purgat* [*aut magnificius...*]?

Idem: *Mihipte* pro mihi [ipsi Cato posuit cum dixit]: *Decuit talenta.....*

Idem: *Mina.* Cato in suasione: *Mina cogi nulla potuit.*

in suasione] Supplevit Dacerius *legis Voconiæ.*

Idem: *Muscillos* Cato pro *parvis muribus* dixit.— Sic emendavit Salmasius Plin. Exercitatt. p. 217. Libri dant *moscillos* et *parvis moribus* corrupte. Codd. Guelferb. Pauli *moscillis.*

Idem: *Munificior...* a munifice... Cato dixit in ea, quam scripsit in [... *Nemo*] *munificior.*

* *Munificior*] codex Festi *magnificior,* e Paulo correctus. Deinde *id* pro *in.*

Idem: *Natinatio* etc. v. p. 48.

Idem: *Neminis* [genitivo casu usus est Cato, cum dixit:] *Et quis diceret, cum sit* [*neminis ?* Idem de magistratibus:] *Vitio creatis, neminisque...*

* *Et quis*] fort. *ecquis.*

Idem: [*Pascales oves* pro *pascuales* insci]enter (Cato) dixit in ea, [quam scripsit]... *pascalis ovis vetuit.* Idem pellitam ovem Tarentin]am appellat in ea ora[tione, quam scripsit]... *pretio Tarenti plus centum* [*sestertiis pellitam ovem; qu*]*am in agro Tarentino* [*quod pasceretur, Tarentinam dicunt.*]

in ea, quam scripsit] supplendum *de agna musta pascenda*, quæ est oratio censoria.

pellitam] pellitis ovibus opponuntur pascuales. V. Schneider. ad Varron. De re rust. II, 2,18.

in agro] codex *ignaro*.

Idem : *Pelliculatio*[*nem* pro inductionem a pellicien]do, quod est inducen[do Cato dixit in ea oratione,] quam scripsit de...

scripsit de] re Floria vel tale quid supplendum.

Idem : [*Procilli* si]ve *Præcilli* [Cato dixit in... *Con*]*vertar ad illam... impudentior... ntur legationes... test.*

Idem : [*Præmiosam* pro pecuniosam dixit Cato] in oratione, 87
quam scrip[sit]... *impudentiam præmio*[*sam*].

Idem : *Prodidisse* etc. v. p. 70.

Idem : [*Sepultum*] *morte meroque* cum ait...

cum ait] Scaliger supplet *Cato*. Codex *moroque*.

Idem : *Sup*[*remum* modo significat] summum... Cato de... [*do*]*lentis, numquam cuiquam* [*reo apud prætorem denegasse sup*]*remam advocationem.*

Paulus in Epitome : *Vecticularia* ~~*vita dicitur*~~ eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt furandi gratia. Cato : *Vecticulariam vitam vivere* [*est*] *repente largiter habere, repente nihil.*

* *est*] non exstat in edit. novissima, recte, ut videtur.

Idem : *Veternosus* etc. v. p. 70 in nota.

Idem : *Struere* antiqui dicebant pro adjicere, augere... Cato : *Jure, lege, libertate, republica communiter uti oportet, gloria atque honore, quomodo sibi quisque struxerit.*

* *struxerit*] codex *struxit*.

Cic. De repub. II, 20 : Cato : *Nec temporis unius nec hominis esse constitutionem reipublicæ.* [Ex Originibus esse videtur : v. Bolhuis. loco cit. ad Ellendt. Hist. p. 20 init. Sed quod idem inter incertorum operum fragmenta posuit p. 213 : « Paulus Epitome Festi : *Cloacale flumen* dixit Cato pro cloacarum omnium colluvie, » ex oratione in censura habita petitum videri possit collato loco Livii XXXIX, c. 44 medio, quem ipse ibid. citat.]

Gellius II, 17 : Cato, *fenoribus coopertus est.*

Id. IV, 9: *Disciplinosus, consiliosus, victoriosus* Cato effiguravit.

Id. V, 21: *Pluria* et *compluria* dixit Cato.

Id. XVI, 12: Cato, *feneratorem.*

Id. XIX, 10: *Præter propter* Cato dixit.

Priscian. III, 1, p. 107: Cato dixit: *Quod iter longius arduiusque erat a curia.*

Servius ad Virg. Æn. IV, 293: Cato: *Qua mollissimum est, adoriuntur.*

adoriuntur] Pricæus ad Appulei. Metam. IV, p. 215 Oudend. hoc fragmentum præcedenti adnectit: *Quod iter longius arduiusque erat a clivis, qua mollissimum est, adoriuntur.* Ceterum hæc duo fragmenta sumpta videntur ex oratione *Dierum dictarum de consulatu suo*, in qua bellum Hispanicum narratur.

Priscian. VI, 14, p. 271: *Speca* etc. v. p. 44 extr.

88 Serv. Æn. III, 314: Cato: *Verba tertiato et quartato quempiam dicere præ metu.*

Ib. III, 64: Cato ait, *deposita veste purpurea, feminas usas cærulea, cum lugerent.*

Ib. VIII, 694: Cato: *Sub tela volantia.*

Interpretes Virgilii ad Æn. II, 670: Cato in contione: *Apirensium* (*Epir.*) *bellum fecimus... tris missi ad*(*versus... quos... censorem habuistis neque*)... *upli pectore adsecutus.*

Quintil. IX, 2, 21: Cato: *Cedo, si vos in eo loco essetis, quid aliud faceretis?*

Cato: *Cedo*] Spalding. hæc verba Catoni abjudicarat, vocem *Cato* ex sequenti *cedo* ortam opinatus. Erravit vir doctissimus. Rufinianus enim De figuris p. 204 idem exemplum ex Catone affert.

faceretis] ex Rufiniano recepi pro vulgato *fecissetis*, utpote consecutioni temporum multo aptius. Conf. Ochsnerus ad Ciceronis Eclogas p. 91.

Quint. ibid.: Cato alibi: *Communem rem agi putatote, ac vos huic rei præpositos esse.*

Quintil. III, 6, 98: Νόθον qui non sit legitimus Græci vocant: *Latinum rei nomen,* ut Cato quoque *in oratione* quadam testatus est, *non habemus.*

Id. V, 11, 39: Cato: *Nullam adulteram non eamdem esse veneficam.*

Institutt. lib. I, tit. XI, De adoptionibus: Apud Catonem bene scriptum refert antiquitas, servos, si a domino adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari.

Digest. lib. L, tit. XVI, 98 : Cato putat, mensem intercalarem addititium esse, omnesque ejus dies pro momento temporis observat, extremoque diei mensis Februarii attribuit Q. Mucius. [Conf. Macrob. Sat. 1, 13 et 14.]

Fortunatian. l. II, p. 90 : Ab autumno Cato ait *autumnitatem*.

Isidor. Origg. XIX, 2, 11 : Cato : *Malum deligatum* (al. *disligatum*), *parastatæ junctæ* [Arev. *vinctæ*].

malum] hoc ex libris De re rustica. [Quod aliis non tam certum esse videbitur quam doctissimo editori. Isidorus hæc affert in capite *de partibus navium*, ita : *Parastatæ stipites sunt pares stantes, quibus arbor* (navis) *sustinetur*. Ex Originibus igitur petitum videtur, e descriptione pugnæ navalis.]

Isid. De different. in Barthii Advers. XXXIX 14 : *Falsitas* et *mendacium* differunt. Unde Cato : *Tu, tu, inquam, si vera comprimis, falsarius agnosceris ; si falsa confingis, mendax esse videris*. — In edit. Isidori, ab Jacobo du Breul edita anno 1601, p. 754, Catonis locus paulo aliter legitur : *Cato, tu, inquam, si verum supprimis* [sic etiam cod. Paris.], *falsarius agnosceris*, etc. ; adjecta præterea lectionis varietate : *si vera nobis comprimis*, et *mendax esse judicaberis*. In cod. Basileensi libri De different. in eo tantum a recepta lectione receditur, quod semel *tu* scriptum est. 89

[Alium ex eodem libro locum p. 28 posuimus.]

Charis. II, p. 178 : Cato : *Tu otiosus ambulas, quia apud regem fuisti, donicum ille tibi interdixit rem capitalem*.

apud regem] ex Oratione fortasse apud Thermum de Ptolomæo minore.

Id. p. 181 : Cato *Imperiabiliter*, ubi Maximus pro nimis imperiose et dure.

Maximus] intell. Statilius Maximus grammaticus.

Id. p. 184 : *Malitiose istorum jura*. Cato.

Id. p. 193 : *Rare* pro raro Cato.

Id. p. 195 : Cato : *Qua arte natio sua separata seorsum*.

scorsum] non *scorsim*, ut nostri homines amant, nescio qua analogia aut auctoritate commoti.

Id. p. 196 : Cato : *Tetre ætatem exigit.*

Id. p. 213: Cato: *Vita deum immortalium !* ut ὦ πόποι.

Diomed. I, p. 289 : Cato dixit, *litterarum radices amaras esse, fructus jucundiores.*

Cato] hanc sententiam non Cato dixit, sed Aristoteles. Vide Menagium ad Diogenem Laert. V, 11, 18, et Ruhnken. ad Rutilium pag. 211. Grammaticus hanc chriam ad nomen Catonis adplicuit, ut a pueris per omnes casus declinaretur.

Ibid. : Cato : *Leges nervos esse civitatium.*

Ibid. p. 362 : Cato ad Magnum ait, *interempto præstari.*

ad Magnum] quid lateat, nescio. [Dubito utrum hoc fragmentum ad Orationes an ad Epistolas referendum sit. *Bolh.* p. 169.]

Varro De ling. lat. p. 92 Bip. (VII, 58) : *Accensos* ministratores esse Cato scribit.

accensos] vid. Niebuhr. Rom. Hist. vol. I, p. 466.

Festus : *Negibundus.....* [Cato in] ea, quam scripsit. . . . . *negibundus.*

Gellius XIII, 23. M. Cato : *Neque mihi ædificatio* etc. v. p. 64 sq.

90 Cicero Pro Flacco c. 29 : Catonis est dictum : *Pedibus compensari pecuniam.*

Catonis] ex libro De re rustica.

Cicero De officiis III, 29 : *Fidem in Capitolio vicinam Jovis Optimi Maximi*, ut in Catonis oratione est, *majores nostri esse voluerunt.*

Cicero Orat. in Verr. Act. II, Or. II, 2 : M. Cato *cellam penariam reipublicæ nostræ, nutricem plebis Romanæ Siciliam* nominavit.

Pauli Epit. Festi : *Caduceatores,* legati pacem petentes. Cato : *Caduceatori,* inquit, *nemo homo nocet.*

Priscian. XIII, 3, p. 567 : Cato : *Quescunque Romæ regnavissent.*

Cato] Idem ex Originum II affert Charis. p. 70. Novum hujus usus

exemplum in Pompeii Commento p. 254 servatum est : *Si ques homines sunt, quos delectat, populi res gestas describere.*

Varro De ling. lat. p. 535 (IX, 107) : *Soleo, solui* Cato et Ennius scribit.

Frontinus Strateg. IV, 1, 15 : M. Cato memoriæ prodidit *in furto comprehensis inter commilitones dextras esse præcisas : aut si lentius animadvertere voluissent, in principes, sanguinem missum.*

Cic. De orat. II, 63, 256 : Cato cum cuidam dixisset, *Eamus deambulatum*, et ille, *Quid opus fuit De ? Immo vero,* inquit, *quid opus fuit Te ?* aut ejusdem responsio illa : *Si tu et adversus et aversus impudicus es.*

Plinius Hist. Nat. VIII, 78 : Catonis censoris orationes *aprugnum* exprobrant *callum.*

Plut. Cat. c. 9 : Πρὸς δὲ δήμαρχον, ἐν διαβολῇ μὲν φαρμακείας γενόμενον, φαῦλον δὲ νόμον εἰσφέροντα καὶ βιαζόμενον· ὦ μειράκιον, εἶπεν, οὐκ οἶδα, πότερον χεῖρόν ἐστιν, ὃ κίρνης, πιεῖν, ἢ ὃ γράφεις, κυρῶσαι.

Pigh. in Annal. ad a. 602, p. 438 sq., de eo loco hæc dicit : « In compendio libri XLVIII Livii legimus : *L. Licinius Lucullus et A. Postumius consules cum delectum severe agerent, nec quemquam gratia dimitterent, a tribunis plebis, qui pro amicis suis vocationem impetrare non potuerunt, in carcerem conducti sunt.* Eorum unus tunc quoque legem promulgasse iniquam videtur, fortasse de vocationum militarium causis per plebis tribunos cognoscendis ; qui cum venificii infamia suspectus esset, a M. Catone censorio, dissuasuro legem, admodum aspere sugillatus fuit his verbis, quæ Plutarchus ex ipsa, ni fallor, oratione illius adfert : *Adolescens,* inquit, *haud scio, an periculosius sit bibere,* 91
quod misces, an sancire, quod promulgas. » Hanc igitur orationem secundum Pighium anno 603 habuit Cato : nam eo anno de veneficiis severe quæsitum fuit. Ac fortasse eadem est, quæ a Frontone laudatur *Catonis oratio, qua tribuno diem dixit.*

Athenæus VI, p. 274, F : Κάτων ἐκεῖνος, ὡς Πολύβιος ἱστορεῖ ἐν τῇ πρώτῃ καὶ τριακοστῇ τῶν ἱστοριῶν, ἐδυσχέραινε καὶ ἐκεκράγει, ὅτι τινὲς τὰς ξενικὰς τρυφὰς εἰσήγαγον εἰς τὴν Ῥώμην, τριακοσίων μὲν δραχμῶν κεράμιον ταρίχων Ποντικῶν ὠνησάμενοι, καὶ μειράκια δ'εὔμορφα ὑπερβαλλούσης ἀγρῶν τιμῆς.

Κάτων] in oratione de lege Oppia.

τινὲς] respicit ad Flamininum, Marcellum, Scipionem Asiaticum.

Plut. Cat. c. 8 : Μέλλων ποτὲ τὸν Ῥωμαίων δῆμον, ὡρμημένον ἀκαίρως ἐπὶ σιτομετρίας καὶ διανομὰς, ἀποτρέπειν, ἤρξατο τῶν λόγων οὕτως· Χαλεπὸν μέν ἐστιν, ὦ πολῖται, πρὸς γαστέρα λέγειν, ὦτα οὐκ ἔχουσαν.

Ibid. : Κατηγορῶν τῆς πολυτελείας, ἔφη, χαλεπὸν εἶναι, σωθῆναι πόλιν, ἐν ᾗ πωλεῖται πλείονος ἰχθὺς ἢ βοῦς.

τῆς πολυτελείας] **sumptum ex Oratione de lege Oppia.**

Ibid. : Περὶ τῆς γυναικοκρατίας διαλεγόμενος, Πάντες, εἶπεν, ἄνθρωποι τῶν γυναικῶν ἄρχουσιν, ἡμεῖς δὲ πάντων ἀνθρώπων, ἡμῶν δ'αἱ γυναῖκες.

τῆς γυναικοκρατίας] **id dixit in Oratione de lege Oppia.**

Ibid. : Ἐοικέναι ἔφη προβάτοις τοὺς Ῥωμαίους· ὡς γὰρ ἐκεῖνα καθ' ἕκαστα μὲν οὐ πείθεται, σύμπαντα δ'ἕπεται μετ' ἀλλήλων τοῖς ἄγουσιν, οὕτω καὶ ὑμεῖς, εἶπεν, οἷς οὐκ ἂν ἀξιώσαιτε συμβούλοις χρήσασθαι κατ' ἰδίαν, ὑπὸ τούτων εἰς ἓν συνελθόντες, ἄγεσθε.

Ibid. : Τὸν δῆμον ὁ Κάτων ἔφη τῶν Ῥωμαίων, οὐ μόνον ταῖς πορφύραις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασι τὰς τιμὰς ἐπιγράφειν· ὡς γὰρ οἱ βαφεῖς, ἔφη, ταύτην μάλιστα βάπτουσιν, ᾗ χαίροντας ὁρῶσιν, οὕτως οἱ νέοι ταῦτα μανθάνουσι καὶ ζηλοῦσιν, οἷς ἂν ὁ παρ' ὑμῶν ἔπαινος ἕπηται. Παρεκάλει δ'αὐτοὺς, εἰ μὲν ἀρετῇ καὶ
92 σωφροσύνῃ γεγόνασι μεγάλοι, μὴ μεταβάλλεσθαι πρὸς τὸ χεῖρον, εἰ δ'ἀκρασίᾳ, καὶ κακίᾳ, μεταβάλλεσθαι πρὸς τὸ βέλτιον· ἱκανῶς γὰρ ἤδη μεγάλους ἀπ' ἐκείνων γεγονέναι.

Ibid. c. 10 : Αὐτὸς δέ φησιν ὁ Κάτων πλείονας εἰληφέναι πόλεις, ὧν διήγαγεν ἡμερῶν ἐν Ἰβηρίᾳ, καὶ τοῦτο κόμπος οὐκ ἔστιν, εἴπερ ὡς ἀληθῶς τετρακόσιαι τὸ πλῆθος ἦσαν. Τοῖς μὲν οὖν στρατιώταις, πολλὰ παρὰ τὴν στρατείαν ὠφεληθεῖσιν, ἔτι καὶ λίτραν ἀργυρίου κατ' ἄνδρα διένειμεν, εἰπὼν, ὡς κρεῖττον ἦν, πολλοὺς Ῥωμαίων ἀργύριον ἢ χρυσίον ὀλίγους ἔχοντας ἐπανελθεῖν. Εἰς δ'αὐτὸν ἐκ τῶν ἁλισκομένων οὐδὲν ἐλθεῖν λέγει, πλὴν ὅσα πέπωκεν ἢ βέβρωκε. Καὶ οὐκ αἰτιῶμαι, φησὶ, τοὺς ὠφελεῖσθαι ζητοῦντας ἐκ τούτων, ἀλλὰ βούλομαι μᾶλλον περὶ ἀρετῆς τοῖς ἀρίστοις ἢ περὶ χρημάτων τοῖς πλουσιωτάτοις ἁμιλλᾶσθαι, καὶ τοῖς φιλαργυρωτάτοις περὶ φιλαργυρίας.

αὐτὸς] **id dixit aut in Oratione de triumpho suo aut in illa Dierum dictarum de consulatu suo, in qua gesta sua in bello Hispanico refert.**

Plut. Regg. et Imp. Apophth., Cato n. 25 : Πλείονας πόλεις ἑλὼν, ὥς φησὶ, τῶν ἡμερῶν, ἃς διέτριψεν ἐν τοῖς πολεμίοις, οὐδὲν αὐτὸς πλέον λαβεῖν, ὧν ἔπιε καὶ ἔφαγεν ἐκ τῆς πολεμίας.

ὥς φησι] **in eadem oratione dixit, ex qua superius fragmentum sumptum.**

[Addit Bolhuis. p. 175, hunc locum e Plutarchi Vita c. 3. Ἀπῆλθεν ὁ Κάτων ἐκ Σικελίας, καὶ μετὰ τοῦ Φαβίου καταβοῶν ἐν τῷ συνεδρίῳ φθοράν τε χρημάτων ἀμυθήτων ὑπὸ τοῦ Σκηπίωνος, καὶ διατριβὰς αὐτοῦ μειρακιώδεις ἐν παλαίστραις καὶ θεάτροις ὥσπερ οὐ στρατηγοῦντος, ἀλλὰ πανηγυριάζοντος, ἐξειργάσατο πεμφθῆναι δημάρχους ἐπ' αὐτὸν, ἄξοντας εἰς Ῥώμην, ἄνπερ ἀληθεῖς αἱ κατηγορίαι φανῶσιν. Et hæc annotat : « Spectant hæc ad πολυτέλειαν Scipionis, cui consuli quæstor obtigerat. Neque tamen eum hac accusatione damno afficere potuit. De Catonis quæstura v. Livium XXIX, 25, ibique interpp. » Ex ejusdem collectione multa etiam alia commemorari licebat quæ suum in orationibus locum olim habuisse videri poterant : sed fragmentis incertis hunc librum augeri non oportebat.]

VII. L. Æmilius Paullus.

Cic. Brut. c. 20, 80 : Etiam *L. Paullus, Africani pater*, personam principis civis facile dicendo tuebatur. [Cos. a. U. 571 et 585, censor 589.]

Valer. Max. V, 10, 2 : Mortem filiorum quo robore animi sustinuerit, oratione, quam de rebus a se gestis apud populum habuit, hanc adjiciendo clausulam, nulli ambiguum reliquit : *Cum in maximo proventu felicitatis nostræ, Quirites, timerem, ne quid mali fortuna moliretur, Jovem Opt. Max. Junonemque reginam et Minervam precatus sum, ut, si adversi quid populo Romano immineret, totum in meam domum converteretur. Quapropter bene habet, annuendo enim votis meis id egerunt, ut vos potius meum casum doleatis, quam ego vestro ingemiscerem.*

Id ex ipsa oratione Æmilii sumptum arbitror, ex qua Plutarchus quoque magnam partem in Vita Æmilii c. 36 servavit [de qua re dubitat Westermannus p. 37]: Τὸν μέν γε πρότερον τῶν παίδων ἀποθανόντα θάψας εὐθὺς ἐθριάμβευσεν, ὡς λέλεκται· τοῦ δὲ δευτέρου μετὰ τὸν θρίαμβον τελευτήσαντος, συναγαγὼν εἰς ἐκκλησίαν τὸν Ῥωμαίων δῆμον, ἐχρήσατο λόγοις ἀνδρὸς οὐ δεομένου παραμυθίας, ἀλλὰ παραμυθουμένου τοὺς πολίτας δυσπαθοῦντας ἐφ' οἷς ἐκεῖνος ἐδυστύχησεν. Ἔφη γάρ, ὅτι τῶν ἀνθρωπίνων οὐδὲν οὐδέποτε δείσας, τῶν δὲ θείων, ὡς ἀπιστότατον καὶ ποικιλώτατον πρᾶγμα, τὴν τύχην ἀεὶ φοβηθεὶς, μάλιστα παρὰ τοῦτον αὐτῆς τὸν πόλεμον, ὥσπερ πνεύματος λαμπροῦ, ταῖς πράξεσι παρούσης διατελοίη μεταβολήν τινα καὶ παλίρροιαν προσδεχόμενος.

«Μιᾷ μὲν γὰρ (εἶπεν) ἡμέρᾳ τὸν Ἰούνιον ἀπὸ Βρεντεσίου περάσας εἰς Κέρκυραν κατηχθην, πεμπταῖος δ' ἐκεῖθεν ἐν Δελφοῖς τῷ θεῷ θύσας, ἑτέραις αὖθις αὖ πέντε τὴν δύναμιν ἐν Μακεδονίᾳ παρέλαβον, καὶ τὸν εἰωθότα συντελέσας καθαρμὸν αὐτῆς καὶ τῶν πράξεων εὐθὺς ἐναρξάμενος ἐν ἡμέραις ἄλλαις πεντεκαίδεκα τὸ κάλλιστον ἐπέθηκα τῷ πολέμῳ τέλος. Ἀπιστῶν δὲ τῇ τύχῃ διὰ τὴν εὔροιαν τῶν πραγμάτων ὡς ἄδεια πολλὴ καὶ κίνδυνος οὐδεὶς ἦν ἀπὸ τῶν πολεμίων, μάλιστα κατὰ πλοῦν ἐδεδίειν τὴν μεταβολὴν τοῦ δαίμονος, ἐπ' εὐτυχίᾳ τοσοῦτον στρατὸν νενικηκότα καὶ λάφυρα καὶ βασιλεῖς αἰχμαλώτους κομίζων. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ σωθεὶς πρὸς ὑμᾶς καὶ τὴν πόλιν ὁρῶν εὐφροσύνης καὶ ζήλου καὶ θυσιῶν γέμουσαν, ἔτι τὴν τύχην δι' ὑποψίας εἶχον, εἰδὼς οὐδὲν εἰλικρινὲς οὐδ' ἀνεμέσητον ἀνθρώποις τῶν μεγάλων χαριζομένην. Καὶ τοῦτον οὐ πρότερον ἡ ψυχὴ τὸν φόβον, ὠδίνουσα καὶ περισκοπουμένη τὸ μέλλον ὑπὲρ τῆς πόλεως, ἀφῆκεν ἢ τηλικαύτῃ με προσπταῖσαι δυστυχίᾳ περὶ τὸν οἶκον, υἱῶν ἀρίστων, οὓς ἐμαυτῷ μόνους ἐλιπόμην διαδόχους, ταφὰς ἐπαλλήλους ἐν ἡμέραις ἱεραῖς μεταχειρισάμενον. Νῦν οὖν ἀκίνδυνός εἰμι τὰ μέγιστα, καὶ θαῤῥῶ καὶ νομίζω τὴν τύχην ὑμῖν παραμενεῖν ἀβλαβῆ καὶ βέβαιον. Ἱκανῶς γὰρ ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς κακοῖς εἰς τὴν τῶν κατωρθωμένων ἀποκέχρηται νέμεσιν, οὐκ ἀφανέστερον ἔχουσα παράδειγμα τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθενείας τοῦ θριαμβευομένου τὸν θριαμβεύοντα· πλὴν ὅτι Περσεὺς μὲν ἔχει καὶ νενικημένος τοὺς παῖδας, Αἰμίλιος δὲ τοὺς αὐτοῦ νικήσας ἀπέβαλεν.»

94 Oratio haud dissimilis Æmilio a Livio XLV, 41, tribuitur. Paucis diebus post triumphum suum a. U. 586 eam habuit.

VIII. P. Cornelius Scipio.

Cicero Brut. c. 20, 77 : Filius superioris Africani, is, qui minorem Scipionem a Paulo adoptavit, si corpore valuisset, in primis disertus esset habitus. Indicant tum *oratiunculæ*, tum historia quædam Græca scripta dulcissime.

Vellei I, 10, 3 : L. Paulo, magnæ victoriæ compoti, quatuor filii fuere. Ex iis duos, natu majores, unum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna majestate præter speciem nominis *vigoremque eloquentiæ* retinenti, in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo.

Exstat de hoc viro præclara inscriptio apud Orellium T. I, pag. 150, n. 558.

IX. Q. Cæcilius Metellus. L. F.

Cic. Brut. c. 14, 57 : Q. etiam Maximus Verrucosus orator

habitus est temporibus illis, et Q. Metellus is, qui bello Punico secundo cum L. Veturio Philone consul fuit.

consul] a. U. 547.

Plin. Hist. Nat. VII, 43 (45 ed. Bip.) : Quintus Metellus in ea oratione, quam habuit supremis laudibus patris sui L. Metelli, pontificis, bis consulis, dictatoris, magistri equitum, quindecimviri agris dandis, qui primus elephantos ex primo Punico bello duxit in triumpho, scriptum reliquit, *decem maximas res optimasque, in quibus quærendis sapientes ætatem exigerent, consummasse eum. Voluisse enim primarium bellatorem esse, optimum oratorem, fortissimum imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore uti, summa sapientia esse,* 95
summum senatorem haberi, pecuniam magnam bono modo invenire, multos liberos relinquere, et clarissimum in civitate esse : hæc contigisse ei nec ulli alii post Romam conditam.

L. Metelli] Cos. a. 502 et 506, dictator a. 529 et pontifex maximus. Idem elogium Pighius laudat Annal. vol. II, p. 66.

Q. Metelli filius est Q. Metellus Macedonicus, qui pariter atque avus inter rara felicitatis humanæ exempla numeratur a Plinio H. N. VII, 44, de quo nunc dicturi sumus.

X. Q. Metellus Macedonicus.

De virtutibus ac laudibus hujus viri loquitur Cic. De orat. I, 48 et 49, Vellei I, 11. [Valer. Max. VII, 1, 1. Stemma ejus vide ap. Beierum in ed. fragmentorum Ciceronis p. 228 *Macedonici* nomen gerebat a Pseudo-Philippo devicto a. 605 ; v. Cic. Pro Mur. c. 14. *Westerm.*]

Cicero Brut. c. 21, 81 : Q. Metellus is, cujus quatuor filii consulares fuerunt, in primis est habitus eloquens, qui *pro L. Cotta* dixit accusante Africano : *cujus et aliæ sunt orationes et contra Ti. Gracchum exposita est in C. Fannii Annalibus.*

pro L. Cotta] vid. infra ad Scip. Afric. oratt. p. 106.

contra Ti. Gracchum] cujus legem agrariam alii quoque dissuaserunt, ut T. Annius Luscus, L. Piso, Africanus. [De *Fannii Annalibus*, in quibus ille Catonis quoque censorii et Gracchorum orationes incluserat, vide Krausium Vitt. et fragm. hist. p. 171 sqq.]

Suetonii August. c. 89: Libros totos et senatui recitavit (Augustus) et populo notos per edictum sæpe fecit, ut orationes *Q. Metelli de prole augenda*, et *Rutilii de modo ædificiorum*;

Livii Epit. LIX: Q. Metellus censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores liberorum creandorum causa. *Exstat oratio ejus, quam Augustus Cæsar, cum de maritandis ordinibus ageret, velut in hæc tempora scriptam, in senatu recitavit.*

De Q. Metello Macedonico, qui anno 610 consul, a. U. 621 censor fuerat, agi, oratio Livii docet, ut Dukerus quoque luculenter ostendit. Alii Q. Metellum Numidicum, fratris Calvi filium, intellexerunt, qui in censura orationem simillimam habuit, ut A. Gellius probat I, 6. In eo autem hærere non debemus, quod duo censores diverso tempore simili de re dicebant. Quare non assentior Ellendtio dicenti hanc orationem injuria Pighium in Annal. III, p. 15, Metello Macedonico tribuisse.

96 Acron ad Horat. Serm. II, 1, 65: Metellus temporibus Scipionis Africani potens fuit, et cum *in concione* quædam adversus se decreta declamaret, Scipio ait: *Hi sunt, quos Hannibali eripui! Patere ergo,* inquit, *hos liberos esse.*

Metellus] Conf. Ruhnk. ad Vellei I, 11, p. 45. [Scholiasta Cruquii *Q. Cæcilius Metellus*; et in fragmento *nos* legit pro *hos*, nisi typogr. vitium est.]

XI. C. Lælius Sapiens.
[Ellendt. p. 21-25.]

Cicero Brut. c. 21: « *C. Lælius* et *P. Africanus* in primis eloquentes; quorum exstant orationes, ex quibus existimari de ingeniis eorum potest, » etc. Nam totus locus legendus.

Velleius II, 9: Eodem tractu temporum nituerunt oratores *Scipio Æmilianus, Lælius*que, *Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius* et ante omnes *L. Crassus* et *M. Antonius:* nec prætereundus *Metellus Numidicus* et *Scaurus*. Nam *Q. Mucius* juris scientia quam proprie eloquentiæ nomine celebrior fuit.

Cicero Epist. ad fam. IX, 15: Ego (existimes licet, quod lubet) mirifice capior facetiis, maxime nostratibus, præsertim cum eas videam primum oblitas Latio tum, cum in urbem nostram est

infusa peregrinitas, nunc vero etiam braccatis et transalpinis nationibus, ut *nullum veteris leporis vestigium* appareat. Itaque te cum video, omnes mihi *Granios* , omnes *Lucilios,* vere ut dicam, *Crassos* quoque et *Lælios* videre videor.

Cic. De orat. I, 49 : Multum inter se distant istæ facultates longeque sunt diversæ atque sejunctæ, neque eadem ratione ac via *M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus* (Macedonicus), *C. Lælius,* qui omnes eloquentes fuerunt, orationem suam et reipublicæ dignitatem ornabant.

1. ORATIO PRO SE APUD POPULUM.

Festus : *Satura* et cibi genus ex variis rebus conditum est, et lex multis aliis legibus conferta... C. Lælius in ea, quam pro se dixit : *Dein postero die quasi per saturam sententiis exquisitis in deditionem accipitur.*

quam pro se dixit] causa aliunde nota non est. Cum autem sciamus , Lælium sese multum opposuisse C. Papirio Carboni atque Gracchis, præsertim in dissuasione legis Papiriæ, veri simile est, ab his aliquando esse eum reum factum a. 622 vel 624.

dein postero] Errorem commisisse Festum necesse est, siquidem hæc verba in Sallustii Jugurtha c. 29, 7, leguntur, aut exemplum, quod ex 97
Lælii oratione attulerat, culpa librariorum excidit. Conf. Perizonii Animadvv. hist. p. 371.

Festus : *Obsidium* tamquam præsidium, subsidium recte dicitur. Cujus etiam auctor C. Lælius Pro se apud populum: *Uti nobis terra marique simul obsidium facerent.*

uti nobis] Ant. Augustinus correxit vulgatum *ut in nobis.*

Priscian. VIII, 4, p. 369 : Lælius: *Impubes libripens esse non potest neque antestari,* i. e. προδιαμαρτυρηθῆναι.

Lælius] alius Lælius intelligendus, fortasse Lælius Felix, cujus librum ad Q. Mucium Gellius laudat, XV, 25. [Edd. vett. Prisciani *Livius*. Mss. turbant; duo tantum Krehlii *Lælius*. *Melius,* quod multi habent, etiam antiquiss. Reg., ex *L Aelius* ortum.]

antestari] v. Addenda ad Krehlii Priscianum vol. I, p. 525. [Ubi Arntzenius passive dictum esse *antestari* dubitat, quod fieri non debebat. De re v. scholl. et interpp. ad Horat. Sat. I, 9, 76.]

2. ORATIO DE COLLEGIIS.

Cicer. Brut. c. 21, 83 : De ipsius Lælii et Scipionis ingenio quamquam ea est, jam ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Lælio illustrior. At oratio *Lælii de collegiis* non melior, quam de multis quam voles Scipionis : non quo illa Lælii quidquam sit dulcius, aut quo de religione dici possit augustius, sed multo tamen vetustior et horridior ille quam Scipio, et cum sint in dicendo variæ voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, et lubenter verbis etiam uti paullo magis priscis Lælius.

Cic. Læl. c. 25 : Meministis Q. Maximo fratre Scipionis et L. Mancino Coss. quam popularis *lex de sacerdotiis* videbatur C. Licinii Crassi : cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primus instituit in forum versus agere cum populo : tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium nobis defendentibus facile vincebat. Atque id actum est prætore me, quinquennio ante quam consul sum factus.

nobis defendentibus] Lælius orationem de collegiis in prætura habuit a. 608 contra rogationem Licinii trib. pl. V. Schneid. ad Varr. De re rust. 1, 2, 9.

Cic. De nat. deor. III, 2 : Quum de religione agitur, habeo *C. Lælium augurem* eumdemque sapientem, quem potius audiam de religione dicentem *in illa oratione nobili* quam quemquam principem Stoicorum. — Ibid. c. 17 : Docebo meliora me didicisse
98 de colendis diis immortalibus jure pontificio et more majorum, capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit, de quibus *in illa aureola oratiuncula* dicit Lælius, quam rationibus Stoicorum.

Nonius p. 398, 23 : *Samium* est testeum... M. Tullius De republ. l. VI : *Oratio exstat Læli,* quam omnes habemus in manibus, *quam simpuvia pontificum dis immortalibus grata sint Samiæque,* ut ibi scribit, *capedines.*

simpuvia] *simpuvium,* calix ligneus.

capedines] capis, capedo, capidula, capeduncula, vasis genus pontificiale.

Macrob. Saturn. I, 6 : Libertinorum quoque filiis prætexta concessa est ex causa tali, quam *M.* (*C?*) *Lælius augur* refert,

qui bello Punico secundo duumviros dicit ex senatus consulto propter multa prodigia libros Sibyllinos adiisse, et inspectis his nuntiasse in Capitolio supplicandum lectiterniumque ex collata stipe faciendum, ita ut libertinæ quoque, quæ longa veste uterentur, in eam rem pecuniam subministrarent. Acta igitur obsecratio est pueris ingenuis itemque libertinis, sed et virginibus patrimis matrimisque pronuntiantibus carmen. Ex quo concessum, ut libertinorum quoque filii, qui ex justa duntaxat matrefamilias nati essent, togam prætextam et lorum in collo pro bullæ decore gestarent.

3. ACTIONES PRO PUBLICANIS.

Causam *pro publicanis*, in qua duabus actionibus accurate eleganterque dixerat Lælius, detulit postea ad C. Servium Galbam, quia arbitrabatur, causam illam a Ser. Galba, quod is in dicendo atrocior acriorque esset, gravius et vehementius posse defendi. Cic. Brut. c. 22.

pro publicanis] hanc causam egit a. U. 615.

4. DISSUASIO LEGIS PAPIRIÆ.

Cicer. Læl. c. 25: Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de tribunis plebis reficiendis. Dissuasimus nos.

C. Papirius Carbo tribunus pl. a. 622 legem promulgavit de tribunis plebis reficiendis, uti tribunum plebis eumdem, quoties quidem visum, creari liceret. C. Gracchus suasit rogationem. Dissuaserunt Lælius atque Africanus, qui effecit, ut lex popularis 99
suffragiis populi repudiaretur. Adde dicta inferius p. 105 sq.

5. LAUDATIO P. AFRICANI MINORIS, Q. TUBERONI SCRIPTA.

Cic. De orat. II, 84, 341: Q. Tuberoni, Africanum avunculum laudanti, scripsit C. Lælius laudationem.

Q. Tuberoni] correxi vulgatum *P. Tuberoni* ex Brut. c. 31, Pro Muren. c. 36.

laudationem] Africanus minor mortuus est a. U. 624. Conf. Africani orationem contra legem agrariam C. Gracchi, p. 104 sq.

6. LAUDATIO P. AFRICANI MINORIS, Q. FABIO MAXIMO SCRIPTA.

Schol. Vatican. ad Cicer. Or. pro Milone 7, 2, p. 287 ed. Orell.: Super Africani laudibus exstat oratio C. Læli Sapientis, qua usus videtur Q. Fabius Maximus in laudatione mortui Scipionis; in cujus extrema parte hæc verba sunt:

Quiapropter neque tanta diis immortalibus gratia haberi potest, quanta habenda est, quod is cum illo animo atque ingenio in hac civitate potissimum natus est, neque ita moleste atque ægre ferri, quam ferundum est, cum eo morbo mortem obiit et in eodem tempore periit, cum et vobis et omnibus, qui hanc rempublicam salvam volunt, maxime vivo opus esset, Quirites.

quiapropter] legendum *quapropter*.

in hac civ.] deest in scholiasta *in*.

in eodem tempore] an *in eo tempore?* [Et in Add.:] In codice Vaticano legitur *cum eo morborum te movit et in eodem tempore petuit;* unde Maius eam lectionem finxit, quam recepi. Prætermisit autem aliquot literas *rum te m*, quas per μετάθεσιν corruptas esse e vocabulo *mortem* judicavit Orellius, ita ut legas *cum eo morbo mortem obiit*. In sequenti pro *opus est* fortasse legendum erit *opus esset*. [Utrumque recepimus, cum certa videantur.]

Cicero Pro Muren. c. 36: *Africanum cum supremo ejus die* Maximus *laudaret, gratias egit diis immortalibus, quod ille vir in hac republica potissimum natus esset: necesse enim fuisse, ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset.*

Maximus] Q. Fabius Maximus, frater Africani minoris, cum uterque sit filius L. Æmilii Pauli, ut Velleius memoriæ tradidit, I, 10: *Lucio Paulo quatuor filii fuere. Ex iis duos, natu majores, unum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna majestate præter speciem nominis vigoremque eloquentiæ retinenti, in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo*. Filius Q. Fabii Maximi Æmiliani fuit Q. Fabius Maximus Allobrogicus, ut idem Velleius tradidit II, 10: *Eodem tractu temporum et Domitii ex Arvernis et Fabii ex Allobrogibus victoria fuit nobilis.*
100 *Fabio, Pauli nepoti, ex victoria cognomen Allobrogico inditum* (a. U. 632). Eum cum patre commutavit Plinius H. N. XXXIII, 11, si lectio vera est: *Africanus in triumpho militibus septendecim millia pondo dedit. O viros illo imperatore dignos, quibus hoc satis fuit! Frater ejus*

Allobrogicus primus omnium mille pondo habuit. Atque Pighius ad a. 632, p. 68 T. III, non *frater ejus*, sed *fratris filius* legendum suspicatus est.

XII. T. Annius Luscus.

Cicero Brut. c. 20, 79: T. Annium Luscum, Q. Fulvii collegam, non indisertum dicunt fuisse.

T. Annius Luscus anno 600 consul fuit cum Q. Fulvio Nobiliore, et censor cum eodem a. U. 617, si Festo fides est, in quo legitur s. v. *Religionis: Q. Fulvi Nob*[*ilioris et ejus collegæ T. Annii Lu*]*sci fuit nob*[*ilissima censura nobilitati*] *tribus notis* [*inustis severissimis*].

Festus v. *Satura:* T. Annius Luscus in ea, quam dixit adversus Ti. Gracchum: *Imperium, quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est.*

imperium] potestatem, a plebe collatam tribunis, salse vocat *imperium*, idque imperium ait collatum per saturam, quia una rogatione multa confuse erant proposita. Vid. Turneb. Advers. XXVI, 34, p. 944.

adversus Ti. Gracchum] T. Annius hanc orationem prætor habuit adversus Ti. Gracchum tribunum pl. a. U. 620, ut Pighius copiose exponit.

XIII. Q. Fabius Maximus Æmilianus.

Hic orator distinguendus est a Q. Fabio Maximo Cunctatore, quem supra inter oratores recensui, cujus filius hunc adoptavit (Plut. Æmil. Paul. c. 5), et a Q. Fabio Maximo Allobrogico, filio suo, L. Pauli nepote, cujus eloquentia a Cicerone in Brut. c. 28 maxime prædicatur. — Fuit autem filius L. Æmilii Pauli, frater P. Scipionis Africani minoris Æmiliani, et consulatum gessit a. 608.

Schol. Vatic. ad Cic. Pro Milone 7, 2: *Super Africani laudibus exstat oratio C. Lœli Sapientis, qua usus videtur Q. Fabius Maximus in laudatione mortui Scipionis, in cujus extrema parte hæc verba sunt:* etc.

Fragmentum ipsum supra in *C. Lœlio* repetas.

XIV. P. Corn. Scipio Africanus minor.

101 [Ellendt. p. 21-25.]

Eadem de Africano valent testimonia, quæ in C. Lælio supra protulimus. Atque exstabant temporibus etiam Frontonis, qui Marcum Antoninum literis instituit, Scipionis orationes, ut ex Epist. M. Cæsaris ad eum II, 13, cognosci potest. [Locum Frontonis emendatiorem dedimus supra ad Ellendt. p. 24 sq.]

1. ORATIONES CONTRA TI. CLAUDIUM ASELLUM.

Gellius VII, 11 : P. Africanus pro se contra Ti. Asellum de mulcta ad populum : *Omnia mala, probra, flagitia, quæ homines faciunt, in duabus rebus sunt, malitia atque nequitia. Utrum defendis malitiam, an nequitiam, an utrumque simul? Si nequitiam defendere vis, licet; sed tu in uno scorto majorem pecuniam absumpsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicavisti. Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum? Sed tu plus tertia parte pecuniæ paternæ perdidisti atque absumpsisti in flagitiis. Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum? Non vis nequitiam. Age malitiam saltem defendas. Sed tu verbis conceptis conjuravisti sciens sciente animo tuo. Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum?*

P. Africanus pro se] P. Scipioni, postquam censor fuisset anno 611, dies dicta est a. Tib. Claudio Asello, tribuno plebei, cui equum in censura ademerat. Ti. Claudius Asellus autem anno 614 tribunus pl. erat; eo igitur anno hanc orationem habuit Scipio et ceteras, opinor, quas in hac causa dixit. Pighius Annal. vol. II, pag. 489 : « In hac oratione videtur Africanus vel censor Asellum accusasse, vel reus hoc anno se contra eum defendisse. » [« Hoc parum verisimile, illud autem jam per se magis Catonianæ severitati aptum quam elegantiæ Scipionis; utique si quinque orationes censorem in unum hominem nequam habere non potuisse animadvertas. Nobis sponsione potius usus Africanus videtur : *Si melior vir esset Asellus*, et sic inimicum ipse ad populum criminando adduxisse. Ceterum hæc Scipionis et Claudii Aselli inimicitia ita nobilis, ut exemplum theseos rhetoricæ adhibeatur ab Augustino Præceptt. rhett. p. 326 ed. Capper. » *Ellendt.*]

Gellius II, 20 : Verba ex oratione Africani contra Claudium Asellum *quinta* hæc sunt : *Ubi agros optime cultos atque villas*

expolitissimas vidisset, in his regionibus excelsissimo locorum murum statuere aiebat : inde corrigere viam aliis per vineas medias, aliis per roborarium atque piscinam, aliis per villam.

contra Cl. Asellum] Gell. IV, 17 : Lucilii ex undecimo versus sunt :

> *Scipiadæ magno improbus objiciebat Asellus,*
> *Lustrum illo censore malum infelixque fuisse.*

roborarium] « Sed quod apud Scipionem, omnium ætatis suæ purissime locutum, legimus *roboraria,* aliquot Romæ doctos viros dicere audivi id significare quod nos *vivaria* dicimus; appellataque esse a tabulis roboreis, quibus septa esse : quod genus septorum vidimus in Italia locis plerisque. » *Gellius* l. c.

Cicero De orat. II, 64, 258 : Illud Scipionis, *cum Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur, Agas asellum,* et cetera.

Agas asellum] agas asellum per omnes provincias, idem fecerit ac tu : iste quoque tum in omnibus provinciis pari modo se gesserit ut tu ipse.

Ib. c. 66, 268 : Asello Africanus objicienti lustrum illud infelix, *Noli,* inquit, *mirari : is enim, qui te ex ærariis exemit, lustrum condidit et taurum immolavit.* Tacita suspicio est, ut religione civitatem obstrinxisse videatur Mummius, quod Asellum ignominia levarit. 102

lustrum] Asellus cum Africano objiceret lustrum infelix (quia illud pestilentia fuerat consecuta), Scipio respondit, ejus culpam esse in Mummio, collega suo in censura; eum enim lustrum condidisse et taurum immolasse; idque propterea infelix fuisse, quod Asellum ex ærariis, inter quos ipse eum removisset, exemerit.

Hanc causam denique Augustinus Princip. rhetor. p. 326 commemoravit : 'Αμφίδοξος est controversia, in qua vel honestatem personæ turpitudo rei maculat, velut *si Scipio petat præmii nomine mortem Tiberii Aselli.*

2. ORATIO AD POPULUM DE MORIBUS.

Gellius V, 19 : Animadvertimus in oratione Scipionis, quam censor habuit ad populum de moribus, inter ea quæ reprehendebat, quod contra majorum instituta fierent, id etiam eum culpavisse, quod filius adoptivus patri adoptatori inter præmia pa-

trum prodesset. Verba ex oratione hæc sunt : *In alia tribu patrem, in alia filium suffragium ferre : filium adoptivum tam procedere, quam si ex se natum habeat; absentis censeri jubere, ut ad censum nemini necessum sit venire.*

censor] anno U. 611.

inter præmia patrum] præmia patrum a Lipsio recensentur in Excursu C ad Tac. Ann. III, 25.

filium adoptivum] Vid. Creuzer. Antiq. Rom. §. 119, Lipsius ad Tacit. Ann. XV, 19. Institt. lib. 1, tit. xxv, 1 : *Adoptivi liberi non prosunt, in adoptionem autem dati naturali patri prosunt.*

procedere] i. e. valere, prodesse. V. ad Liv. V, 49. *Gronov.* Unus cod. *prodesse.*

Gellius IV, 20 : Inter censorias severitates tria hæc exempla in literis sunt castigatissimæ disciplinæ. Unum est hujusmodi. Censor adigebat de uxoribus solemne jusjurandum. Verba ita erant concepta : *Ut tu ex animi tui sententia uxorem habes?* Qui jurabat, cavillator quidam et canalicola et nimis ridicularius fuit. Is locum esse sibi joci dicundi ratus, cum ita, ut mos erat, censor dixisset : *Ut tu ex animi tui sententia uxorem habes? Habeo equidem,* inquit, *uxorem, sed non hercle ex animi mei sententia.* Tum censor eum, quia intempestive lascivisset, in
103 ærarios retulit, causamque hanc joci scurrilis apud se dicti subscripsit. Altera severitas ejusdem sectæ disciplinæque est. Deliberatum est de nota ejus, qui ad censores ab amico advocatus est, et in jure stans clare nimis ac sonore oscitavit, atque inibi, ut plecteretur, fuit, tamquam illud indicium vagi animi foret et alucinantis et fluxæ atque apertæ securitatis. Sed cum ille dejerasset, invitissimum sese ac repugnantem oscitatione victum, tenerique eo vitio, quod oscedo appellatur, tum notæ jam destinatæ exemptus est. *P. Scipio Africanus, Pauli F.,* utramque historiam posuit *in oratione, quam dixit in censura, cum ad majorum mores populum hortaretur.*

censor adigebat] Hic censor Cato fuit, ut ex Cicer. De orat. II, 64, scimus. Vid. Drakenb. ad Liv. XXXIX, 42. Quærebatur autem a censore in censendis civibus, haberentne uxores an cœlibes essent : censorum enim erat officium, uxorium exigere a cœlibe. Id æs pœnæ nomine primi exegerunt M. Furius Camillus et M. Postumius censores a. U. 350. Vid. Scalig. ad Festum v. *Uxorium. Ex animi tui sententia,* i. e. ut vere

et ex animo tuo dicas; sed significat etiam, ut volumus, ut cupimus. Rogatus homo cavillatus est formulam.

Valer. Maxim. VI, 4, 2: Nihilo segnior Scipionis Æmiliani ut in curia aut in concione gravitas, qui cum haberet consortem censuræ Mummium, ut nobilem, ita enervis vitæ, pro rostris dixit, *se ex majestate reipublicæ omnia gesturum, si sibi cives vel dedissent collegam vel non dedissent.*

Paulus in Epitome Festi: *Millus,* collare canum venaticorum... Scipio Æmilianus ad populum: *Vobis,* inquit, *reique publicæ præsidio erit is quasi millus cani.*

ad populum] incertum, qua ex oratione ad populum hoc sit sumptum.

vobis reique publ.] Ursinus conjicit: *nobis reique præsidio.*

millus] v. Schneid. ad Varron. De re rust. II, 9, 15.

3. ORATIO ADVERSUS SULPICIUM GALLUM.

Gellius VII, 12: Hac antiquitate (in vestibus) inductus P. Africanus Pauli F., vir omnibus bonis artibus et omni virtute præditus, P. Sulpicio Gallo, homini delicato, inter pleraque alia quæ objectabat, id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus. Verba sunt hæc Scipionis: *Nam qui cotidie unguentatus adversum speculum ornetur, cujus supercilia radantur, qui barba volsa feminibusque subvolsis ambulet, qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chiridota tunica interior accubuerit, qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit:* 104
eumne quisquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinædi facere solent?

P. Sulpicio Gallo] quem censor nota affecit.

interior] sic scripsi, non *inferior,* monente Lipsio ad Tacit. Ann. XI, 2, ubi illud explicat. Est, in sinu viri. *Chirodotas,* manicatas. V. Gellii locum.

4. ORATIO DE IMPERIO D. BRUTI.

Festus: *Potestur* Scipio Africanus in ea, quæ est de imperio D. Bruti.

D. Bruti] D. Junius Brutus, qui postea Callaicus appellatus est, proconsul Hispaniam ulteriorem prorogato imperio obtinuit anno U. 615.

[Potest etiam ut index orationis paullo diversus fuerit. Cod. enim : ... *in ea qua vocis cum,* id est *qua usus* (eadem depravatio ibi est in seq. versu; deinde *est* a rec. m. adjicitur), *cum de imp. D. Br.* : quare deesse aliquid videatur.]

5. ORATIO, POSTQUAM EX ASIA REDIIT.

Festus in *Quatenus :* Antiqui *quatenos* dicebant, ut Scipio Africanus in ea oratione, quam scripsit, postquam ex Africa rediit : *Uti negotium natum erat, quatenos castra nostra ita munita erant, ut posses partem exercitus abducere.*

natum] Plaut. Trucul. V, v. 70 : *Fiat; ut rem natam video, hoc accipiendum est, quod datur,* i. e. ut rem comparatam esse video. Cod. utrobique *quatenoc.*

ex Africa rediit] deleta Carthagine a. U. 607.

6. ORATIO PRO ÆDE CASTORIS.

Festus: *Reque eapse.* Scipio Africanus Pauli filius, cum pro æde Castoris dixit, hac compositione usus est : *Quibus de hominibus ego sæpe atque in multis locis opera, factis, consiliis, reque eapse* [*sæpe*] *bene meritus siem.*

reque eapse] i. e. et re ea ipsa. Apud Cicer. De offic. I, 22, legitur *reapse.* In Lucretio II, 659, olim legebatur *re non tamen apse,* quod nunc emendatius *dum vera re tamen ipse.* Ideo *eapse* ex *ea ipsa, apse* ex simplici *ipsa* corruptum puto, cum quo comparari debet *mihipte, suopte.*

siem] Scaliger correxit. Vulgo *spem.*

7. ORATIO CONTRA LEGEM (AGRARIAM CAII) GRACCHI.

Macrob. Saturn. II, 10: Nobilium vero filios, et quod dictu nefas est, filias quoque virgines inter studiosa numerasse saltandi meditationem, testis est Scipio Africanus Æmilianus, qui in oratione *contra legem judiciariam Tib. Gracchi* sic ait :

Docentur præstigias inhonestas ; cum cinædulis et sambuca psalterioque eunt in ludum histrionum. Discunt cantare, quæ majores nostri ingenuis probro ducier voluerunt. Eunt, inquam, in ludum saltatorium inter cinædos virgines puerique ingenui. Hæc cum mihi quisquam narrabat, non poteram animum indu-

cere, ea liberos suos homines nobiles docere; sed cum ductus sum in ludum saltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibusque quingentis: in his unum, quod me reipublicæ maxime misertum est, puerum bullatum, petitoris filium, non minorem annis duodecim cum crotalis saltare, quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset.

c. legem judiciariam Tib. Gracchi] legendum puto *contra legem agrariam Caii Gracchi.* Erravit profecto Macrobius. Referenda est enim oratio ad annum 624, ejusque fit mentio apud Scholiastam Vatican. ad Cicer. or. Pro Milone c. 7, 2, p. 283 ed. Orell.: *P. Scipio Æmilianus, cum Latinorum causam societatis jure contra C. Gracchum, triumvirum, ejusque collegas perseveranter defensurus esset, ne ager ipsorum divideretur, repentina morte domi suæ interceptus est, non sine infamia et ipsius C. Gracchi et uxoris suæ Semproniæ: qui excessit vita sex et quinquaginta annos natus; in ejusque faucibus vestigia livoris inventa sunt.* Conf. Velleii II, 4. Legem judiciariam autem Tib. Gracchus numquam promulgavit, eaque, quæ a Gaio fratre lata est, in annum 631 incidit, multo post Africani necem.

* *in ludum histrionum*] malim *histrionium.*

quisquam] vim pronominis non intelligo: desidero equidem *quispiam.* Manutius vero ad Ciceronis Epist. ad fam. VIII, 8, in M. Cœlio Rufo similem pronominis usum eo excusare studet, quod veteres ita locuti sint. Vid. ad Cat. or. pro Rhodiensibus pag. 51.

quingentis] Saresberiensis De Nugis Cur. VIII, 12, p. 592, qui totum hunc locum affert, legit *ducentis.*

in his unum] Saresber.: *in his quod me reip. maxime misertum est, vidi unum filium petitoris, puerum bullatum, non min.* etc. Macrob.: « *Filium petitoris*, i. e. candidati: quem ne tunc quidem spes et ratio adipiscendi magistratus, quo tempore se suosque ab omni probro debuit vindicare, potuerit coercere, quominus faceret quod scilicet turpe non habebatur. »

8. DISSUASIO LEGIS PAPIRIÆ.

Cicer. Læl. c. 25: Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de tribunis pl. reficiendis. Dissuasimus nos. Sed nihil de me; de Scipione dicam libentius. — Quanta illi fuit gravitas, quanta in oratione majestas! Sed affuistis; et *est in manibus oratio.*

legis Papiriæ] a. U. 622 Africanus eam dissuasit.

Liv. Epit. LIX : Quum Carbo tribunus pl. rogationem tulisset, ut eumdem tribunum plebi, quoties vellet, creare liceret, rogationem ejus P. Africanus gravissima oratione dissuasit : in qua dixit, *Ti. Gracchum jure cæsum videri*. Gracchus contra suasit
106 rogationem, sed Scipio tenuit. — Idem narrat Velleius II, 41, Cic. Pro Milon. c. 7, Valer. Max. VI, 2, 3.

9. ORATIO IN L. COTTAM.

Restat oratio *in L. Cottam*, de qua Cicero Pro Muren. c. 28 dicit : *Bis consul fuerat P. Africanus, et duos terrores hujus imperii Carthaginem Numantiamque deleverat, cum accusavit L. Cottam.* Conf. porro de hac causa Cic. Divin. in Cæcil. c. 21, Brut. c. 21, 81 ; Valer. Max. VIII, 1, 11. [Conf. Tacit. Annal. III, 66, ibiq. Lips. ; Cic. Pro Font. c. 16. *Egger.*] Defenderat Cottam Metellus Macedonicus, ut Cic. in Brut. l. c. narrat.

Isidor. Origg. II, 21, 4 : Illud Africani : *Ex innocentia nascitur dignitas, ex dignitate honor, ex honore imperium, ex imperio libertas!*

Ibidem paulo post : Apud Scipionem : *Vi atque gratis coactus cum illo sponsionem feci, facta sponsione ad judicem adduxi, adductum primo cœtu damnavi, damnatum ex voluntate dimisi.*

gratis] Ellendt. correxit *ingratiis*. [Quod verum videtur. Arevalus in editione Isidori idem posuit.]

Cic. De orat. II, 62, 253 : Illud Africani, quod est apud Lucilium : *Quid? Decius Nuculam an confixum vis facere? inquit.*

nuculam] dictum in *nuculam* aut *confixum* latet, nec tamen sensum intelligo.

Decius] Interpretes Q. Decium intelligunt, Opimii accusatorem. Liv. Epit. LXI.

Q. Servius Sulpicius Ser. F. Galba. [Ellendt. p. 25 sq.]

Cic. Brut. c. 21 : Sed inter *A. Albinum, Q. Metellum, L. Cottam, C. Lælium et P. Africanum*, ætate paulum his antece-

dens, sine controversia *Servius Galba* eloquentia præstitit, et nimirum is princeps ex Latinis illa oratorum propria et quasi legitima opera tractavit, ut egrederetur a proposito ornandi causa, ut delectaret animos, ut permoveret, ut augeret rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur. Sed nescio quomodo hujus, quem constat eloquentia præstitisse, *exiliores orationes sunt* et redolentes magis antiquitatem quam aut Lælii aut 107
Scipionis aut etiam ipsius Catonis, itaque exaruerunt, vix jam ut appareant. — Et ibid. c. 23 et 24. (Videtur tamen Fronto orationes Galbæ legisse, sicuti ex Epist. III, 20 manifestum est.

Livii Epit. XLIX : Quum L. Scribonius tribunus pl. rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui in fidem populi Romani dediti a Ser. Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. Q. Fulvius Nobilior respondit pro Galba, ipse quoque Galba cum se damnari videret, complexus duos filios prætextatos et Sulpicii Galli filium, cujus tutor erat, ita miserabiliter locutus est, ut rogatio antiquaretur. *x - stant tres orationes ejus ; duæ adversus Libonem tribunum pl. rogationemque ejus habitæ de Lusitanis, una contra L. Corn. Cethegum, in qua Lusitanos, propter se castra habentes, cæsos fatetur, quod compertum habuerit, equo atque homine suo ritu immolatis, per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse.*

M. Cato] anno 604. Hujus causæ facta est mentio in Cic. De orat. I, 53, Quintil. II, 15, 8, Corn. Nep. Cat. c. 3, Sueton. Galb. c. 3, et imprimis in Cicer. Brut. c. 23. Conf. Catonis oratio in Serv. Galbam, p. 58 sq.

[Adscribimus locum Frontonis modo cit., p. 85 ed. Rom. : « Galbam certe ad Centumcellas (villam olim Trajani) produces... Cato quid dicat de Galba absoluto, tu melius scis : ego memini propter filios eum absolutum ; τὸ δὲ ἀκριβὲς ipse inspice. Cato igitur dissuadet neve suos neve alienos quis liberos ad misericordiam conciliandam producat, neve uxores, neve adfines, vel ullas omnino feminas. »]

Causam egit Galba deferente Lælio *pro publicanis* a. U. 615. V. supra p. 98. — Cic. Brut. c. 22 : « Tres Sulpicii oratores fuerunt celeberrimi, hic Servius Sulpicius Galba, P. Sulpicius Rufus, Servius Sulpicius Rufus, » de quibus infra dicetur.

XVI. M. Æmilius Lepidus Porcina. [Ellendt. p. 26 sq.]

Cic. Brut. c. 25 : M. Æmilius Lepidus, qui est Porcina dictus, iisdem temporibus fere, quibus Galba, sed paulo minor natu et summus orator est habitus et fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sane bonus. Hoc in oratore Latino primum mihi videtur et levitas (sic leg. ex conjectura Orellii nostri pro *lenitas*) apparuisse illa Græcorum et verborum comprehensio et jam artifex, ut ita dicam, stilus. Hunc studiose duo adolescentes ingeniosissimi et prope æquales C. Carbo et Ti. Gracchus audire soliti sunt. — Consul fuit a. U. 616.

108 Priscian. IX, 7, p. 456 : Æmilius Porcina in oratione, *uti lex Æmilia abrogetur : Tempore astiturum atque petiturum me esse.*

lex Æmilia] Incertum est, an lex Æmilia, ut censura annua et semestris esset, quæ quinquennalis fuerat, sit intelligenda, quæ a. U. 320 lata erat, an legum Æmiliarum una, quæ a M. Æmilio Scauro consule a. U. 639 originem ducunt (v. Plin. H. N. VIII, 57). Nec negari potest, ætatem Æmilii Porcinæ ad hunc usque annum procedere potuisse. [*Esse* codd.; edd. vett. *abesse.*]

XVII. L. Scribonius Libo.

Cic. Brut. c. 24 : Atque etiam ipsum Libonem non infantem video fuisse, ut *ex orationibus ejus* intelligi potest.

Libonem] L. Scribonius Libo, qui tribunus pl. a. 604 rogationem in Ser. Galbam promulgaverat. Vid. Livii Epit. XLIX.

XVIII et XIX. L. et Sp. Mummii.

Cic. Brut. c. 25, 94 : Fuerunt in numero oratorum mediocrum L. et Sp. Mummii, fratres, quorum exstant amborum orationes : simplex quidem Lucius et antiquus, Spurius autem nihilo ille quidem ornatior, sed tamen adstrictior : fuit enim doctus ex disciplina Stoicorum.

Priscian. X, 9, p. 514 : Dixerunt *sallio* et *sallo ;* inde *salliturus* et *salsurus*. Mummius : *Istæc sum multo sale salsurus.*

Mummius] ex poeta hoc an ex oratore sumptum, ignoro. L. Mummius is est, qui Achaicus dicitur Corintho deleta, consul a. U. 607.

XX. Sp. Albinus.

Cic. Brut. c. 25, 94 : Multæ sunt Sp. Albini *orationes*.

Plin. H. N. XVIII, 6 : Nequeo mihi temperare, quo minus unum exemplum antiquitatis afferam, ex quo intelligi possit, apud populum etiam de culturis agendi morem fuisse, qualiterque defendi soliti sint illi viri. C. Furius Cresinus, e servitute liberatus, cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet quam ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem a *Sp. Albino curuli die dicta,* metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum 109
attulit, et adduxit familiam validam atque, ut ait Piso, bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: *Veneficia mea, Quirites, hæc sunt, nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes meas vigiliasque et sudores.* Omnium sententiis absolutus itaque est.

a Sp. Albino curuli] Sp. Postumius Albinus, ædilis curulis a. U. 635, consul a. 643. [Meminit Albini Lucilius satirographus in fragmento celebri apud Lactantium, Institt. VI, 5 : quod Anthologiæ suæ inseruit doctissimus editor, et p. 14 hæc annotavit : « Hic Albinus idem est quem inter Oratores meos retuli p. 108. Sed in eo ibi erravi, quod Sp. Albinum ædilem curulem a. 635, consulem a. 643 esse dixi. Is enim, de quo nunc sermo est, longe major natu fuit, ita ut ædilitatem a. 596, consulatum a. 605 caperet. Errasse me in constituendo annorum numero cum aliis viris doctis (et ipso Westermanno), ex ipso loco Ciceronis cit. patet, cum ceteri quoque, qui cum Sp. Albino juncti memorantur, circa illud ævum florerent, non eo, quo prius putaram. Eo vero facilius error commissus est, quod Sp. Albinus, qui l. c. laudatur, idem esse cum eo, qui cap. 34 nominatur, putabatur. Sed in priore loco consul a. 605, in posteriore consul a. 643 intelligendus est. »]

XXI et XXII. L. et C. Aurelii Orestæ.

Cic. Brut. c. 25, 94 : Sunt etiam L. et C. Aureliorum Orestarum orationes, quos aliquo video in numero oratorum fuisse.

L. Aurelius Orestes consul fuit a. U. 627.

XXIII. Q. Pompeius Nepos.

Brut. c. 25, 96: Q. Pompeius non contemptus orator temporibus illis fuit, qui summos honores homo per se cognitus, sine ulla commendatione majorum est adeptus. Tum L. Cassius multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen... tum duo Cæpiones multum clientes consilio et lingua, plus auctoritate tamen et gratia sublevabant. Sed *Pompeii sunt scripta, nec nimis extenuata, quamquam veterum similis est, et plena prudentiæ.*

Sed Pompeii] sic in Orellii novissima edit. Bruti lectio est constituta [consentiente Westermanno p. 81]. Ellendt. legit contra codd. *Sed Quinti sunt scripta*, i. e. Q. Cæpionis, de cujus oratt. infra dicetur. [Cons. erat a. U. 612.]

[Fragmentum ejus quantum scimus unicum omisit Meyerus. Priscian. VIII, 4, p. 371: Q. Pompeius: *Me miserum, quem illæ feminæ despicari ausæ sunt, despicor* commune accipiebat.]

XXIV. C. Fannius, C. F.

Cic. Brut. c. 26, 99: Is, qui consul cum Domitio fuit, *unam orationem de sociis et nomine Latino contra Gracchum* reliquit, sane et bonam et nobilem. Tum Atticus: Quid ergo? *estne ita Fannii?* nam varia opinio pueris nobis erat. Alii *a C. Persio, literato homine, scriptam esse* ajebant, illo, quem significat valde
110 doctum esse Lucilius; alii multos nobiles, quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse. Tum ego: Audivi equidem ista, inquam, de majoribus natu, sed numquam sum adductus, ut crederem, eamque suspicionem propter hanc causam credo fuisse, *quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus esset, oratio autem vel optima esset illo quidem tempore orationum omnium.* Sed nec ejusmodi est, ut a pluribus confusa videatur: unus enim sonus est totius orationis et idem stilus, nec de Persio reticuisset Gracchus, cum ei Fannius de Menelao Maratheno et de ceteris objecisset, præsertim cum Fannius numquam sit habitus elinguis: nam et causas defensitavit, et tribunatus ejus arbitrio et auctoritate P. Africani gestus non obscurus fuit.

Cic. De orat. III, 47, 183: A Cretico exorsus est Fannius: *Si, Quirites, minas illius* etc.

Si, Quirites] hæc igitur ad orationem de sociis et nomine Latino contra C. Gracchum pertinent, quam a. U. 631 consul C. Fannius habuit.

illius] C. Gracchi. Rem narravit Appianus Civ. I, 23, Plut. C. Gracch. c. 12.

C. Julii Victoris Ars rhetorica pag. 51: Ut a Gaio Fannio adversus Gracchum dictum est: *Si Latinis civitatem dederitis, credo, existimatis, vos ita ut nunc constitisse, in contione habituros locum, aut ludis et festis diebus interfuturos. Nonne illos omnia occupaturos putatis?* — collegit enim, non esse recipiendos in civitatem, ex his, quæ eventura sint.

* *constitisse*] an *constituitis*, vel *constituistis*?

Charis. I, p. 116: C. Fannius cos. contra C. Gracchum: *Senatuis consulta.*

Priscian. VIII, 4, p. 368: C. Fannius: *Hæc apiscuntur:* ἐπιτυγχάνονται.

C. Fannius] incertum, ex oratione an ex Annalibus sit sumptum, quos C. Fannius, M. F., non is, de quo nunc loquimur, confecit, quique præterea C. Lælii gener fuit, id quod tamen addubitaverat olim Atticus, ut ex epistola Ciceronis ad eum XII, 5, patet. Aliter vero hunc Ciceronis locum intellexit Wetzel. ad Cic. Brut. c. 26, n. 11.

XXV. C. Papirius Carbo.
[Ellendt. p. 27-29.]

Cic. Brut. c. 27: Et Carbonis et Gracchi habemus orationes nondum satis splendidas verbis, sed acutas prudentiæque plenissimas.

SUASIO LEGIS PAPIRIÆ. 111

Cic. Læl. c. 25: Quibus blanditiis C. Papirius influebat in aures concionis, cum ferret legem de tribunis plebis reficiundis.

cum ferret] a. 622. V. supra p. 105 sq.

ORATIO PRO L. OPIMIO.

Q. Decius Mus, tribunus pl. a. U. 633, L. Opimium C. Gracchi interfectorem, superioris anni consulem, majestatis ad

populum accusavit C. Carbone cos. a. 633 defendente. Vid. Liv. Epit. LXI.

Cic. De orat. II, 25, 106: Sæpe autem res non, sit necne, sed qualis sit, quæritur: ut cum L. Opimii causam defendebat apud populum audiente me C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi nece negabat, sed id jure pro salute patriæ factum esse dicebat.

Cic. De orat. II, 39, 165: Carbo: *Si consul est, qui consulit patriæ, quid aliud fecit Opimius?*

Ib. II, 40, 169: Jam ex contrario: *Si Gracchus nefarie, præclare Opimius.*

In Oratore Ciceronis c. 63, fragmentum concionis filii Carbonis, qui tribunus plebis a. U. 662 erat, legitur.

XXVI. Ti. Gracchus. Ti. F.
[Ellendt. p. 29-31.]

Notum est, Corneliam, matrem Gracchorum multum ad eloquentiam filiorum Ti. et C. contulisse, cujus duæ ad C. Gracchum scriptæ epistolæ, quæ inter fragmenta librorum Cornelii Nepotis leguntur, exstare dicuntur, quibus in emendandis versati sunt Salmas. in Exercitatt. Plin. p. 293, et Rutgers. Var. Lectt. V, 12, p. 490 sqq.; nec fictas esse eas judicavit Fabricius ad Dion. Cass. vol. I, p. 38, et Ellendt. Hist. Elog. p. 30. Sed Spalding. vere, opinor, ad Quintil. vol. V, p. 10, rhetori eas tribuit, nec non Bernhardy Hist. litt. Rom. p. 88.

Cic. Brut. c. 27, 104: « Et Carbonis et Ti. Gracchi habemus orationes. » Atque Plinius H. N. VIII, 12, tradit, Tiberii Gaiique Gracchorum manus apud Pomponium Secundum se vidisse.

112 Ellendt. in Hist. Eloq. p. 31 neque reliquias esse orationum Ti. Gracchi neque ullius præterquam *concionis in Mancinum* nomen exstare profitetur. In Martiano enim Capella p. 415 ed. Capper. (p. 147 ed. Grot.) invenitur: « *Remotio* est, cum objectum crimen in alterum vel in aliud ab eo, qui percellitur, removetur: in alium ut *Ti. Gracchus in Mancinum,* qui auctor faciendi fœderis fuit, quod tam senatus quam populus improbarat. » An concio Ti. Gracchi in Mancinum exstiterit, in qua crimen fœderis Numantini in Mancinum removisset, nescio. Constat sane,

C. Hostilium Mancinum, consulem a. U. 616, cujus Tib. Gracchus quæstor in Hispania fuerat, et quo auctore cum Numantinis fœdus ictum erat, hostibus anno 617 deditum esse, quum et senatus et populus id fœdus improbassent, Ti. autem Gracchum favore populi judicium effugisse. Liv. Epit. LV; Cic. De offic. III, 30; Plut. in Vita c. 7; Vellei. II, 2.

Quintil. VII, 4, 13: Interdum culpa in hominem relegatur: *ut, si Gracchus, reus fœderis Numantini, cujus metu leges populares tulisse in tribunatu videtur, missum se ab imperatore suo diceret.*

reus] cum Mancinus ob fœdus Numantinum reus esset, Ti. Gracchus, quæstor ejus, simul in judicium vocatus est, isque duabus rebus invidiam populi effugit, tum quia leges populares promulgaturum se promittebat in tribunatu, tum relegando culpam in Mancinum.

Plut. Tib. Gracch. c. 9: Ἀλλ' οὐδὲν ἐπέραινον (οἱ πλούσιοι)· ὁ γὰρ Τιβέριος πρὸς καλὴν ὑπόθεσιν καὶ δικαίαν ἀγωνιζόμενος λόγῳ καὶ φαυλότερα κοσμῆσαι δυναμένῳ πράγματα, δεινὸς ἦν καὶ ἄμαχος, ὁπότε, τοῦ δήμου τῷ βήματι περικεχυμένου, καταστὰς λέγοι περὶ τῶν πενήτων, ὡς τὰ μὲν θηρία, τὰ τὴν Ἰταλίαν νεμόμενα, καὶ φωλεὸν ἔχει καὶ κοιταῖόν ἐστιν αὐτῶν ἑκάστῳ καὶ κατάδυσις, τοῖς δ' ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας μαχομένοις καὶ ἀποθνήσκουσιν ἀέρος καὶ φωτὸς, ἄλλου δ' οὐδενὸς μέτεστιν, ἀλλ' ἄοικοι καὶ ἀνίδρυτοι μετὰ τέκνων πλανῶνται καὶ γυναικῶν· οἱ δ' αὐτοκράτορες ψεύδονται, τοὺς στρατιώτας ἐν ταῖς μάχαις παρακαλοῦντες ὑπὲρ τάφων καὶ ἱερῶν ἀμύνεσθαι τοὺς πολεμίους· οὐδενὶ γάρ ἐστιν οὐ βω-
μὸς πατρῷος, οὐκ ἠρίον προγονικὸν τῶν τοσούτων Ῥωμαίων, ἀλλ' ὑπὲρ ἀλλοτρίας 112
τρυφῆς καὶ πλούτου πολεμοῦσι καὶ ἀποθνήσκουσι, κύριοι τῆς οἰκουμένης εἶναι λεγόμενοι, μίαν δὲ βῶλον ἰδίαν οὐκ ἔχοντες.

ὁ γὰρ Τιβέριος] hanc orationem habuit inter lites, quæ propter rogationem agrariam in tribunatu suo a. U. 620 coortæ sunt. [Ficta verba ipsa a Plutarcho, ut in sequenti loco ejusdem. *Westerm.* p. 71.]

[Eodem pertinent indicati ab *Eggero* loci duo Appiani, Bell. civ. I, 9: Τιβ. Σεμπρ. Γράκχος... δημαρχῶν ἐσεμνολόγησε περὶ τοῦ Ἰταλικοῦ γένους, ὡς εὐπολεμωτάτου τε καὶ συγγενοῦς, φθειρομένου δὲ κατ' ὀλίγον ἐς ἀπορίαν καὶ ὀλιγανδρίαν, καὶ οὐδὲ ἐλπίδα ἔχοντος ἐς διόρθωσιν· ἐπὶ δὲ τῷ δουλικῷ δυσχεράνας ὡς ἀστρατεύτῳ, καὶ οὔποτε ἐς δεσπότας πιστῷ, τὸ ἔναγχος ἐπήνεγκεν ἐν Σικελίᾳ δεσποτῶν πάθος ὑπὸ θεραπόντων γενόμενον, ηὐξημένων κἀκείνων ἀπὸ γεωργίας· καὶ τὸν ἐπ' αὐτοὺς Ῥωμαίων πόλεμον, οὐ ῥᾴδιον οὐδὲ βραχὺν, ἀλλ' ἔς τε μῆκος χρόνου καὶ τροπὰς κινδύνων ποικίλας ἐκτραπέντα. Ταῦτα δὲ εἰπὼν ἀνεκαίνιζε τὸν νόμον· Μηδένα τῶν πεντακοσίων πλέθρων πλέον ἔχειν, παισὶ δ' αὐτῶν ὑπὲρ τὸν παλαιὸν νόμον προσετίθει τὰ ἡμίσεα τούτων· καὶ τὴν λοιπὴν τρεῖς αἱρετοὺς ἄν-

δρας ἐναλλασσομένους κατ' ἔτος διανέμειν τοῖς πένησι. Et paulo post, c. 11 : 'Ενστάσης δὲ τῆς χειροτονίας, πολλὰ μὲν ἄλλα προεῖπεν ἐπαγωγὰ καὶ μακρά· διηρώτα δ'ἐπ' ἐκείνοις, Εἰ δίκαιον τὰ κοινὰ κοινῇ διανέμεσθαι καὶ εἰ γνησιώτερος ἀεὶ θεράποντος ὁ πολίτης καὶ χρησιμώτερος ὁ στρατιώτης ἀπολέμου, καὶ τοῖς δημοσίοις εὐνούστερος ὁ κοινωνός· οὐκ ἐς πολὺ δὲ τὴν σύγκρισιν, ὡς ἄδοξον, ἐπενεγκὼν, αὖθις ἐπῄει τὰς τῆς πατρίδος ἐλπίδας καὶ φόβους διεξιών· ὅτι πλείστης γῆς ἐκ πολέμου βίᾳ κατέχοντες, καὶ τὴν λοιπὴν τῆς οἰκουμένης χώραν ἐν ἐλπίδι ἔχοντες, κινδυνεύουσιν ἐν τῷδε περὶ ἁπάντων, ἢ κτήσασθαι καὶ τὰ λοιπὰ δι' εὐανδρίαν, ἢ καὶ τάδε δι' ἀσθένειαν καὶ φθόνον ὑπ' ἐχθρῶν ἀφαιρεθῆναι· ὧν τοῦ μὲν τὴν δόξαν καὶ εὐπορίαν, τοῦ δὲ τὸν κίνδυνον καὶ φόβον ὑπερεπαίρων, ἐκέλευε τοὺς πλουσίους, ἐνθυμουμένους ταῦτα, ἐπιδόσιμον, εἰ δέοι, ἀπὸ σφῶν αὐτῶν τήνδε τὴν γῆν εἰς τὰς μελλούσας ἐλπίδας τοῖς παιδοτροφοῦσι χαρίσασθαι καὶ μὴ ἐν ᾧ περὶ μικρῶν διαφέρονται, τῶν πλεόνων ὑπεριδεῖν· μισθὸν ἄρα τῆς πεπονημένης ἐξεργασίας αὐτάρκη φερομένοις, τὴν ἐξαίρετον ἄνευ τιμῆς κτῆσιν ἐς ἀεὶ βέβαιον ἑκάστῳ πεντακοσίων πλέθρων, καὶ παισὶν, οἷς εἰσι παῖδες, ἑκάστῳ καὶ τούτων τὰ ἡμίσεα. Τοιαῦτα πολλὰ ὁ Γράκχος εἰπὼν, τούς τε πένητας καὶ ὅσοι ἄλλοι λογισμῷ μᾶλλον ἢ πόθῳ κτήσεως ἐχρῶντο, ἐρεθίσας, ἐκέλευε τῷ γραμματεῖ τὸν νόμον ἀναγνῶναι.]

Ibid. c. 15 : Αἰσθανόμενος δὲ τῶν πολιτευμάτων τὸ περὶ τὸν 'Οκταούϊον οὐ τοῖς δυνατοῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς πολλοῖς ἐκπαθέστερον (μέγα γάρ τι καὶ καλὸν ἐδόκει τὸ τῶν δημάρχων ἀξίωμα μέχρι τῆς ἡμέρας ἐκείνης διατετηρημένον ἀνῃρῆσθαι καὶ καθυβρίσθαι) λόγον ἐν τῷ δήμῳ διεξῆλθεν, οὗ μικρὰ παραθέσθαι τῶν ἐπιχειρημάτων οὐκ ἄτοπον ἦν, ὥστε ὑπονοηθῆναι τὴν πιθανότητα καὶ πυκνότητα τοῦ ἀνδρός. Ἔφη γὰρ, ἱερὸν τὸν δήμαρχον εἶναι καὶ ἄσυλον, ὅτι τῷ δήμῳ καθωσίωται καὶ τοῦ δήμου προέστηκεν. Ἂν οὖν μεταβαλόμενος τὸν δῆμον ἀδικῇ, καὶ τὴν ἰσχὺν κολούῃ καὶ παραιρῆται τὴν ψῆφον, αὐτὸς ἑαυτὸν ἀπεστέρηκε τῆς τιμῆς, ἐφ' οἷς ἔλαβεν, οὐ ποιῶν· ἐπεὶ καὶ τὸ Καπετώλιον κατασκάπτοντα, καὶ τὸ νεώριον ἐμπιπράντα δήμαρχον ἐᾶν δεήσει. Καὶ ταῦτα μὲν ποιῶν δήμαρχός ἐστι πονηρὸς, ἐὰν δὲ καταλύῃ τὸν δῆμον, οὐδὲ δήμαρχός ἐστιν. Πῶς οὖν οὐ δεινὸν, εἰ τὸν μὲν ὕπατον ὁ δήμαρχος ἄξει, τὸν δὲ δήμαρχον οὐκ ἀφαιρήσεται τὴν ἐξουσίαν ὁ δῆμος, ὅταν αὐτῇ κατὰ τοῦ δεδωκότος χρῆται; καὶ γὰρ ὕπατον καὶ δήμαρχον ὁμοίως ὁ δῆμος αἱρεῖται. Καὶ μὴν ἥγε βασιλεία, πρὸς τῷ πᾶσαν ἀρχὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῇ συλλαβοῦσα, καὶ ταῖς μεγίσταις ἱερουργίαις καθωσίωτο πρὸς τὸ θεῖον· ἀλλὰ Ταρκύνιον ἐξέβαλεν ἡ πόλις ἀδικοῦντα, καὶ δι' ἑνὸς ἀνδρὸς ὕβριν ἡ πάτριος ἀρχὴ καὶ κτίσασα τὴν 'Ρώμην κατελύθη. Τί δ' οὕτως ἅγιον ἐν 'Ρώμῃ καὶ σεμνὸν, ὡς αἱ περιέπουσαι πάρθενοι καὶ φυλάττουσαι τὸ ἄφθιτον πῦρ; ἀλλ' εἴ τις ἂν ἁμάρτῃ αὐτῶν, ζῶσα κατορύττεται· τὸ γὰρ ἄσυλον οὐ φυλάττουσιν ἀσεβοῦσαι εἰς τοὺς θεοὺς, ὃ διὰ τοὺς θεοὺς ἔχουσιν. Οὐκουν οὐδὲ δήμαρχος ἀδικῶν δῆμον ἔχειν τὴν διὰ τὸν δῆμον ἀσυλίαν δίκαιός ἐστιν· ᾗ γὰρ ἰσχύει δυνάμει, ταύτην ἀναιρεῖ. Καὶ μὴν εἰ δικαίως ἔλαβε τὴν δημαρχίαν, τῶν πλείστων φυλῶν ψηφισαμένων, πῶς οὐχὶ κἂν ἀφαιρεθείη δικαιότερον, πασῶν

ἀποψηφισαμένων; Ἱερὸν δὲ καὶ ἄσυλον οὐδὲν οὕτως ἐστὶν ὡς τὰ τῶν θεῶν ἀναθήματα, χρῆσθαι δὲ τούτοις καὶ κινεῖν καὶ μεταφέρειν, ὡς βούλεται, τὸν δῆμον οὐδεὶς κεκώλυκεν. Ἐξῆν οὖν αὐτῷ καὶ τὴν δημαρχίαν ὡς ἀνάθημα μετενεγκεῖν εἰς ἕτερον. Ὅτι δ' οὐκ ἄσυλον, οὐδ' ἀναφαίρετον ἡ ἀρχὴ, δῆλόν ἐστι τῷ πολλάκις ἔχοντας τινὰς ἀρχὴν ἐξόμνυσθαι καὶ παραιτεῖσθαι δι' αὐτῶν. 114

Ὀκταούϊον] Postquam M. Octavio Cæcinæ collegæ intercedenti, ne lex agraria ferretur, potestatem abrogasset Tib. Gracchus tribunus pl. a. 620, eam orationem ad populum, ut excusaret atrocitatem rei, habuit.

XXVII. L. Calpurnius Piso Frugi.

Cic. Brut. c. 27, 106 : L. Piso tribunus pl. legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio coss. tulit ; ipse etiam Piso et causas egit et multarum legum aut auctor aut dissuasor fuit, isque et *orationes reliquit,* quæ jam evanuerunt, et Annales sane exiliter scriptos.

tribunus pl.] a. U. 604, idem consul fuit a. 620, censor a. 633.

multarum legum] dissuasor fuit legum Semproniarum a. 630 et 631. Exstat C. Gracchi oratio in L. Pisonem, qui semper contra legem frumentariam dixerat. Cic. Tuscul. III, 20. V. infra p. 124 sq. [De Annalibus Pisonis Kraus. Vitt. et fr. hist. p. 139 sqq.]

XXVIII. M. Fulvius Flaccus.

Cic. Brut. c. 28 108 : In aliquo numero etiam M. Fulvius Flaccus et C. Cato, mediocres oratores : etsi Flacci scripta sunt, sed ut studiosi litterarum.

Consul fuit a. U. 628.

scripta] videtur idem esse cum Fulvio Flacco, historico, qui a Varrone, Censorino, Macrobio laudatur.

XXIX. M. Junius Penus.

Cic. Brut. c. 28, 109 : M. Pennus facile agitavit in tribunatu C. Gracchum paulum ætate antecedens.

in tribunatu] a. 627.

C. Gracchum] qui contra *Penni legem de peregrinis* dixit. Vid. C. Gracchi orat. apud censores, p. 118 sq.

Equidem Junium Pennum non inter oratores retulissem, nisi Ellendt. ad Cicer. Brut. l. c. fecisset, ex Penni oratione quadam
115 particulam apud Plinium H. N. XXXIII, 2, legi ratus. Sic enim ibi legitur : « Equitum quidem etiam nomen ipsum sæpe variatum est, in his quoque, qui ad equitatum trahebantur. Celeres sub Romulo regibusque appellati sunt, deinde flexumines, postea trossuli, cum oppidum in Thuscis citra Volsinios passuum IX M. sine ullo peditum adjumento cepissent ejus vocabuli : idque duravit ultra C. Gracchum. *Junius* certe, qui ab amicitia ejus *Gracchanus* appellatus est, scriptum reliquit his verbis : *Quod ad equestrem ordinem attinet, antea trossulos vocabant, nunc equites vocant, ideoque quia non intelligunt trossulos nomen, quid valeat, multos pudet trossulos vocari.* »

Sed duo sunt, quæ me movent, ut hanc opinionem Ellendtii refellam. Primum non est vero simile, fragmentum hoc ex oratione petitum esse : stilus enim et color historico potius generi id vindicat : porro in eo dissentio, quod Junium Pennum eumdem esse cum Junio Gracchano, historico, qui apud Varronem De ling. lat. p. 213 et apud Censorinum De die natali p. 105 et 119, et Macrobium Saturn. 1, 13 nominatur, statuit, nec emendationem ejus loci Pliniani *Junius certe, qui ab* inimicitia *ejus Gracchanus appellatus est* probare possum. Ideo verba illa Junio Gracchano historico adjudicanda potius quam oratori de quo loquimur, puto. [Ita judicat etiam Krausius Vitt. et fr. hist. p. 221 sq.] — De trossulis locutus est Creuzer. Antiq. Rom. p. 124. Harduinus Junium id dixisse putat in libris *De potestatibus,* quorum septimum laudat Ulpianus in Dig. lib. De offic. quæst.

XXX. M. Cato, M. F. M. Nepos.

Is in Bruto Ciceronis non commemoratur.

Gellius XIII, 19 : Ex majore Catonis censorii filio, qui prætor designatus patre vivo mortuus est, et egregios De juris disciplina libros reliquit, nascitur M. Cato, M. filius, M. nepos. Is satis vehemens orator fuit, *multasque orationes ad avi exemplum*

scriptas reliquit, et consul cum Q. Marcio Rege fuit, inque eo consulatu in Africam profectus in ea provincia mortem obiit. 116

consul] a. U. 635.

Priscian. III, 2, p. 110: A *sæpe* adverbio... superlativum posuit Cato Nepos *de actionibus ad populum, ne lex sua abrogetur: Facile vobis in mentem veniat, Quirites, ex ære alieno in hac civitate et in aliis omnibus propter diem atque fœnus sæpissimam discordiam fuisse.*

Festus: *Magnificius* (pro magnificentius)... At nepos Catonis in ea, [quam scripsit: ..... *Ta*]*men*, ait, *cum ædilis* [*curulis esset, magnæ Ma*]*tris ludos magni*[*ficentius quam alii fecit*].

XXXI. C. Gracchus.
[Ellendt. p. 31-34.]

Cic. Brut. c. 33, 126: Eloquentia quidem nescio an habuisset C. Gracchus parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis: manus extrema non accessit operibus ejus, præclare inchoata multa, perfecta non plane. Legendus est hic orator, si quisquam alius, juventuti. Non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest. [Et plura in eod. capite.]

Dio Cassius fragm. ex lib. prioribus 90, et Plutarchus Vit. Ti. Grach. c. 2 actionem ejus describunt. Prima causa, in qua eloquentiam suam populo probavit, *pro Vettio* fuit, ut Plutarchus C. Gracch. c. 1 narrat.

1. UTI LEX PAPIRIA ACCIPIATUR.

Charis. II, p. 214: C. Gracchus, uti lex Papiria accipiatur: *Pessumi fratrem meum optumum interfecerunt. Hem videte, quam par pari sint!*

lex Papiria] Suasit legem C. Papirii Carbonis de tribunis plebis reficiendis a. U. 622.

pessumi] prestringit C. Lælium et Scipionem Africanum, qui legem dissuaserunt.

Charis. II, p. 177: C. Gracchus, uti lex Papiria accipiatur: *Qui sapientem eum faciet, qui et vobis et reipublicæ et sibi communiter prospiciat, non qui pro Sylla hominem trucidet.*

pro Sylla] corrupte.

117 Id. II, p. 181: C. Gracchus ibidem: *Ne quam injuriose nobis contumeliam imponi sinatis.*

Id. II, p. 197: C. Gracchus ibidem: *Usquequaque curavit.*

2. ORATIO DE LEGE PENNI ET PEREGRINIS.

Festus: *Respublicas* multarum civitatum pluraliter dixit C. Gracchus in ea, quam conscripsit de lege Penni et peregrinis, cum ait: *Eæ nationes cum aliis rebus, tum per avaritiam atque stultitiam respublicas suas amiserunt.*

pluraliter] ut Cic. De offic. III, 5.

de lege Penni] vulgo *de lege Pr. Ennii.* Codex Festi *de lege p. enni et peregrinis;* Edit. 1526 *de lege P. Ennii.* M. Junius Pennus tribunus pl. a. 627 legem tulit de peregrinis urbe prohibendis, quam dissuasit, antequam in provinciam abiisset, C. Gracchus quæstor. Beierus ad Cicer. De offic. III, 11, Pennum legem de peregrinis urbe prohibendis promulgasse negat et in Ciceronis loco, *Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent eosque exterminant ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper,* et in Festi loco, qui nunc propositus est, legendum esse putat *Fannius* et *de lege Fanni,* cum constet, Fannium consulem a. U. 631 contra Gracchi legem *de civitate omnibus Italicis danda* orationem habuisse, in qua omnes socios atque peregrinos ex urbe exterminandos esse suaserit, cui responderit C. Gracchus in oratione a Festo memorata. In hac re Beierum non sequor, cum in omnibus edd. Festi, quod, nescio quomodo deceptus, ille negat, vocabulum legatur, quod multo proprius ad *Penni* nomen accedit quam ad *Fanni.* Nec Orellius ei in libris De officiis obtemperavit. Vid. supra p. 115 sq. et orat. apud censores, p. sq.

tum] vulgo deest. Addidi sensu postulante.

amiserunt] *amiserant* Editt. 1526 et 1511.

3. CONTIO AD POPULUM.

Gellius XV, 12: C. Gracchus, cum ex Sardinia rediit, orationem ad populum in contione habuit. Ea verba hæc sunt: *Ver-*

satus sum, inquit, *in provincia, quomodo ex usu vostro existimabam esse, non quomodo ambitioni meæ conducere arbitrabar. Nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia facie stabant, et in convivio liberi vostri modestius erant quam apud principia.* Post deinde hæc dicit: *Ita versatus sum in provincia, ut nemo possit vere dicere, assem aut eo plus in muneribus me accepisse,* 118 *aut mea opera quemquam sumptum fecisse. Biennium fui in provincia: si ulla meretrix domum meam introivit, aut cujusquam servulus propter me sollicitatus est, omnium nationum postremissimum nequissimumque existimatote. Cum a servis eorum tam caste me habuerim, inde poteritis considerare, quomodo me putetis cum liberis vostris vixisse.* Atque ibi ex intervallo: *Itaque,* inquit, *Quirites, cum Romam profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes rettuli. Alii vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento repletas domum reportaverunt.*

ex Sardinia rediit] C. Gracchus a. U. 627 quæstor Sardiniam profectus est, et post biennium, quum successorem inimici sui mittere nollent, sua sponte decedens e provincia Romam rediit a. U. 629. Eo igitur anno orationem ad populum habuit, ut rationem redderet reditus sui inexspectati.

apud principia] *principia* locus castrorum est, ubi tendebant principes i. e. dux, legati, tribuni. *Victorius* Var. Lect. III, 6.

biennium] a. U. 627 et 628. Plut. in Vit. C. Gracch. c. 2, locum ex orat. C. Gracchi apud censores affert, in quo *triennium* in provincia se mansisse ait: quod Gellii locum non refellit, si quidem tunc annum 629, in quo provinciam reliquit, includere videtur. Vid. Pighii Annal. vol. III, p. 49 contra Lipsii Antiquas Lectt. V, 4.

postremissimum] quæ forma in Appuleio quoque reperitur.

* *inanes*] ex codice Regio scripsimus et ed. Gronovii. Meyerus *vacuas.*

4. ORATIO APUD CENSORES.

Cicero Orator. c. 70, 233: Age sume *de Gracchi apud censores* illud: *Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet!*

apud censores] C. Gracchus e Sardinia reversus relicto imperatore, cum apud censores accusaretur, hac oratione se defendit. Id in annum U. 629 cadit. Censores tum fuerunt Cn. Servilius Cæpio et L. Cassius

Longinus, creati a. 628. — Beierus autem in adnotatione ad Oratoris locum errorem commisit, quem antea ad Cic. De offic. III, 11, jam fecerat, dicens C. Gracchum e quæstura Sardiniensi reducem reum factum a M. Junio Penno tribuno pl., qui a. U. 627 inierat magistratum. Tum vero C. Gr. redux esse e Sardinia non potuit, sed potius eo tempore, quum Pennus tribunus legem promulgaverat de peregrinis, nondum in provinciam profectus erat, cum illum eam dissuasisse constet. Postea autem mox in Sardiniam abiit, e qua biennium post rediit. Error ergo
119 Beieri in eo est, quod Gracchum e Sardinia reducem putat anno 627, cum anno demum 629 id eveniret. Atque in falsam opinionem inciderat, loco motus Bruti c. 28, 109: *M. Pennus facile agitavit in tribunatu C. Gracchum: fuit enim M. Lepido et L. Oreste consulibus* (627) *quæstor Gracchus, tribunus Pennus.* Sed hunc locum aliter intelligendum puto. M. Pennus in tribunatu suo Gracchum irritavit, lege de peregrinis promulgata, quæ consiliis illius prorsus contraria erat. Pighius autem explicat, M. Pennum eloquentia sua facile Gracchum vexasse et perculisse, vol. III, p. 35.

Charis. I, p. 61: C. Gracchus apud censores: *Cum galera visi sunt,* dixit.

Plut. c. Gracch. c. 2: Οὐ μὴν ἀλλὰ κατηγορίας αὐτῷ γενομένης ἐπὶ τῶν τιμητῶν, αἰτησάμενος λόγον, οὕτω μετέστησε τὰς γνώμας τῶν ἀκουσάντων, ὥστ' ἀπελθεῖν ἠθικῆσθαι τὰ μέγιστα δόξας. Ἐστρατεῦσθαι μὲν γὰρ ἔφη δώδεκα ἔτη, τῶν ἄλλῶν δέκα στρατευομένων ἐν ἀνάγκαις· ταμιεύων δὲ τῷ στρατηγῷ παραμεμενηπέναι τριετίαν, τοῦ νόμου μετ' ἐνιαυτὸν ἐπανελθεῖν διδόντος· μόνος δὲ τῶν στρατευσαμένων πλῆρες τὸ βαλλάντιον εἰσενηνοχὼς κενὸν ἐξενηνοχέναι, τοὺς δ' ἄλλους ἐκπιόντας, ὃν εἰσήνεγκαν οἶνον, ἀργυρίου καὶ χρυσοῦ μεστοὺς δεῦρο τοὺς ἀμφορεῖς ἥτειν κομίζοντας. [Vel falso duas in unum orationes Plutarchus conflasse, vel ex una duas finxisse recentiores videntur. *Egger.*]

5 et 6. ORATIONES IN P. POPILLIUM LÆNATEM.

Gellius XI, 13: Legebatur oratio C. Gracchi in P. Popilium. In ejus orationis initio collocata verba sunt accuratius modulatiusque, quam veterum oratorum consuetudo fert. Ea verba, sicuti dixi composita, sunt hæc: *Quæ vos cupide per hosce annos appetistis atque voluistis, ea si temere repudiaritis, abesse non potest, quin aut olim cupide appetisse aut nunc temere repudiasse dicamini.*

in P. Popilium] C. Gracchus in tribunatu suo a. U. 630 legem dedit, uti,

si quis magistratus de capite civis Romani injussu populi judicasset, de ejus capite populi esset animadversio, eo consilio, ut P. Popillium Lænatem, qui a. U. 621 consul amicos Ti. Gracchi acriter persecutus erat, accusare et damnare posset. Plut. Vit. C. Gracchi c 4. Ceterum totum caput A. Gellii rhetoricam virtutem illorum verborum multis exponit.

Festus: *Occisitantur,* sæpe occiduntur. Sic C. Gracchus pro rostris in P. Popillium: *Homines liberi nunc in oppido occisitantur.*

Festus: *Malo cruce* masculino genere cum dixit Gracchus in *oratione, quæ est in P. Popillium, posteriore;* repræsentavit an- 120
tiquam consuetudinem... *Item cum idem in populum et matronas ait, eo exemplo instituto dignus fuit, qui malo cruce periret.*

idem] Popilius. Scaligerum sum secutus. [Codex habet POMPILIUM *et m.*: « Exprobrat adversario duo Gracchus: et quod in populum debacchatus sit, quem qui offendunt majestatis postulantur; et in matronas, qui sexus omnium consensu multis privilegiorum præsidiis munitur; propterea vocat malum exemplum: est enim et contra leges et contra bonos mores. » *Scal.*]

Gellius I, 7: C. Gracchus in oratione, cujus titulus est, *De P. Popilio circum conciliabula: Credo ego, inimicos meos hoc dicturum.*

De P. Popilio] correxit Ellendt. Vulgo *de Q. Popilio.*

dicturum] non *dicturos.* Valerius Antias: *Aruspices dixerunt, omnia ex sententia processurum,* et alia exempla apud Gell. l. c.

Festus in *Potestur: Poteratur* C. Gracchus in ea, qua usus est, *cum circum conciliabula iret.*

usus est] excidit *in P. Popilium.* Cod. *vocis est.*

Diomedes I, p. 371: Gracchus præterea similiter *Cohortatione circum conciliabula: Antecellunt.*

Gracchus] in eadem oratione, de qua supra sermo est. [Distinguendum esse ut fecimus docet totus locus Diomedis. Meyerus verba *Coh. c. c.* ad fragmentum retulerat.

Adde, p. 126, locum ex Isidoro.

7. ORATIO IN Q. ÆLIUM TUBERONEM.

Cic. Brut. c. 31 : « Q. Ælius Tubero, L. Pauli nepos (qui in libris De orat. II, 84 minus emendate in editt. *P. Tubero* appellatur) fuit constans civis et fortis et in primis Graccho molestus, quod indicat *Gracchi in eum oratio.* Sunt etiam in Gracchum Tuberonis. » Hanc orationem Gracchus tribunus pl. in Tuberonem, qui tum prætor fuit, a. U. 630, si Pighio in hac re fides est, dixit.

Priscian. III, 1, p. 108 : C. Gracchus contra Quintum Æmilium Tuberonem : *Utrum inimicorum meorum factio an magis sollicitudo te impulit, ut in me industriior sis quam in te ?*

Æmilium] « legendum *Ælium.* » *Ellendt.*

* *Sollicitudo*] ita Krehl. e codd. suorum majore numero. Edd. vett. *solitudo* PATRIÆ. Dresd. cod. *solitudo patria*, quod adjectivum antiquus cod. Reg. Bibl. IX sæc. inter lineas habet ; alius X sæc. non agnoscit. Alii quinque Krehlii codd. *solitudo te.*

8. ORATIO, QUA LEGEM AUFEIAM DISSUASIT.

Gellius XI, 10 : C. Gracchus in oratione, qua legem Aufeiam dissuasit : *Nam vos, Quirites, si velitis sapientia atque virtute uti, et, si quæritis, neminem nostrum invenietis sine pretio huc*
121 *prodire. Omnes nos, qui verba facimus, aliquid petimus, neque ullius rei causa quisquam ad vos prodit, nisi ut aliquid auferat. Ego ipse, qui apud vos verba facio, uti vectigalia vostra augeatis, quo facilius vostra commoda et rempublicam administrare possitis, non gratis prodeo : verum peto a vobis non pecuniam, sed bonam existimationem atque honorem. Qui prodeunt dissuasuri, ne hanc legem accipiatis, petunt non honorem a vobis, verum a Nicomede pecuniam. Qui suadent, ut accipiatis, ii quoque petunt non a vobis bonam existimationem, verum a Mithridate rei familiari suæ pretium et præmium. Qui autem ex eodem loco atque ordine tacent, ii vel acerrimi sunt : nam ab omnibus pretium accipiunt et omnis fallunt. Vos, cum putatis eos ab his rebus remotos esse, impartitis bonam existimationem. Legationes autem a regibus, cum putant eos sua causa reticere, sumptus atque pecu-*

nias maxumas præbent: item uti in terra Græcia, quo in tempore Græcus tragœdus gloriæ sibi ducebat, talentum magnum ob unam fabulam datum esse, homo eloquentissimus civitatis suæ, Demades, ei respondisse dicitur: Mirum tibi videtur, si tu loquendo talentum quæsisti? Ego ut tacerem, decem talenta a rege accepi! Item nunc isti pretia maxuma ob tacendum accipiunt.

legem Aufeiam] sic edd. vetustæ Gellii, confirmante Pighio ad a. U. 630, quo anno Aufeius tribunus pl. legem dedisse dicitur. Gronovius autem ad Gellium et Bach. in Jurisprud. Rom. p. 157 receperunt ex conjectura *legem Saufeiam*. Agitur de lege quadam, quæ Nicomedi obfutura, Mithridati vero profutura erat et ad vectigalia Romanorum spectabat. Nec probaverim emendationem *legem Aufidiam*, quam nuper alicubi legisse me memini; ea enim lex diu post mortem C. Gracchi lata est.

* *ordine tacent*] codd. omnes *placent*. Unde Jac. Gronov. *pertacent*, valde probabiliter.

9. ORATIO DE LEGIBUS A SE PROMULGATIS.

Hæc oratio in altero tribunatu C. Gracchi a. U. 631 dicta est, rationemque legum ejus continuit.

Scholiast. Ambrosianus Ciceronis ad Orat. pro Sylla c. 9
(p. 365 ed. Orell.): Hic, quantum mea opinio est, imitatus est 122
C. Gracchum. Sic ille de legibus promulgatis: *Si vellem apud vos verba facere et a vobis postulare, cum genere summo ortus essem, et cum fratrem propter vos amisissem, nec quisquam de P. Africani et Tiberi Gracchi familia nisi ego et puer restaremus, ut pateremini hoc tempore me quiescere, ne a stirpe genus nostrum interiret, et uti aliqua propago generis nostri reliqua esset: haud scio an lubentibus a vobis impetrassem.*

ego et puer] Vide Maium ad h. l.

haud scio an] *scio* Maius supplevit. Frankius Verisimil. spec. pag. 24 defendit codicis lectionem *haud an* comparato græco οὐκ ἄν, non allato tamen altero hujus usus exemplo, ut Orellius dicit ad Cicer. Tuscul. p. 399; ac miror sane, quemquam in latinum sermonem græcum ἄν transferre voluisse. Ceterum *haud scio an* sic dictum est, ut *non credo fore*, sicut multi auctores præter Ciceronem id usurparunt. Cato tamen in oratione pro Rhodiensibus id pro *non negaverim* dixit. Cum vero in

omnibus prope auctoribus præter Ciceronem hæc locutio modo negative modo affirmative dicta inveniatur, id ipsum docet non in ipsa locutione affirmandi negandique vim esse positam, sed ex tota sententia id effici, ut vario modo intelligenda sit. Atque nos quoque idem *ich weiss nicht* *ob* pronuntiatione et sono sic distinguere solemus, ut nunc eo affirmemus aliquid, nunc negemus.

Gellius IX, 14 : C. Gracchus de legibus promulgatis : *Ea luxurii causa aiunt institui.* Et ibidem infra ita scriptum est : *Non est ea luxuries, quæ necessario parentur vitæ caussa.*

ea luxuries, quæ] Cum nonnulli in constructione verborum hærerent, mutabatur *Non esse ea luxurii, quæ n. parentur*, idque in pluribus editt. legitur. Mutatio hæc major est quam ut vera esse possit, et ipsis Gellii verbis refutatur, quæ postulant, in uno loco Gracchi exemplum genitivi vocabuli *luxuries*, in altero nominativum ejusdem citari. Ideo, si aliqua mutatione opus est, emendare malo : *non est ea luxuries, si quæ n. parentur*. *Si* enim facile excidit post litteram *s*. Verum vulgata quoque lectio excusari potest. Hæreremus enim multo minus, si ordo sententiarum mutata foret : *Quæ n. parentur v. c., ea non est l.*

Gellius X, 3 : C. Gracchus de legibus promulgatis : *Nuper Teanum Sidicinum consul venit; uxor ejus dixit, se in balneis virilibus lavari velle. Quæstori Sidicino a M. Mario datum est*
123 *negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur. Uxor renuntiat viro, parum cito sibi balneas traditas esse et parum lautas fuisse. Idcirco palus destitutus est in foro, eoque adductus suæ civitatis nobilissimus homo, M. Marius. Vestimenta detracta sunt, virgis cæsus est. Caleni ubi id audierunt, edixerunt, ne quis in balneis lavisse vellet, cum magistratus Romanus ibi esset. Ferentini ob eandem causam prætor noster quæstores arripi jussit : alter se de muro dejecit, alter prensus et virgis cæsus est...* Item Gracchus alio in loco ita dicit : *Quanta libido quantaque intemperantia sit hominum adolescentium, unum exemplum vobis ostendam. His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato. Is in lectica ferebatur. Ei obviam bubulcus de plebe Venusina advenit, et per jocum, cum ignoraret qui ferretur, rogavit, num mortuum ferrent. Ubi id audivit, lecticam jussit deponi, struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit.*

Teanum Sidicinum] Campaniæ oppidum; v. Mannerti *Italia* vol. I, p. 772.

uxor ejus dixit se in] *uxorem dixit in balneis* Edit. 1493.

* *exigerentur*] cod. Reg. *exirent*, eadem manu correctione illatum, sine dubio ex antiquiori codice.

destitutus] i. e. defixus : vid. Scaliger ad Festum v. *Stipatores*, p. 527. Lips. Epistol. Quæst. IV, 10, p. 558.

virgis cæsus] servilis pœna : v. Gronov. — *Cales*, civitas propinqua Teano Sidicino.

ex Asia] Lips. Elector. I, 19, p. 702, conjicit *in Asiam*, probante Ellendt. Emendatione libenter caremus. Adolescens Romanus, qui in Asia aliquot annos moratus, nec tamen ibi munere publico functus erat, tum reipublicæ causa pro legato Romam missus, Venusiæ bubulcum virgis cæsit.

adductus] *advectus* ed. 1493.

num mortuum] lectica enim efferebantur mortui honestiores : v. Lipsium loco modo cit.

struppis] *stuppis* ead. Ed. Struppi sunt vincula, funes. V. not. Gronov.

deligata] *ligata* ead. Ed.

Festus : *Ostentum*:... quin participialiter quoque dici solitum sit, non dubium. Facit etiam C. Gracchus de legibus a se promulgatis, quom ait : *Quod unum nobis in ostentum, ipsis in usum asportatur*.

in ostentum] ad ostentandum. Scaliger conjecit : *quod unum nobis inostentum, ipsis inusum asportatur*. Vulgatum sic intelligo : Id nos aspicere tantum possumus, illi autem eo uti. Codex *adportatur*.

[« Quæ leguntur apud Auctorem ad Herenn. IV, 37, de Drusi legibus dici videntur, ut ad orationem de legibus a Graccho promulgatis spectare dicas. » *Ellendt*.]

10. ORATIO DE LEGE MINUCIA. 124

M. Minucius Rufus tribunus pl. a. 632 legem promulgavit, qua Gracchi leges abrogabantur.

Festus : *Osi sunt* ab *odio* declinasse antiquos testis est C. Gracchus in ea, quæ est de lege Minucia, quom ait : *Mirum, si quid his injuriæ fit ; semper eos osi sunt*.

fit] codex *sit*. Vossius : *Mirum, si quid iis injuriæ fit ? semper eos osi sunt!* Pighius Annal. vol. III, p. 70 dicit : « De senatu atque optimatibus loqui videtur, quos odisse atque oppressisse semper pauperes cives ubique clamitabant. »

11. ORATIO IN L. METELLUM.

« Diadematum intellige, diversum a Dalmatico. v. Ruhnk. ad Vellei. II, 11. » *Ellendt.* Is prætor fuit a. U. 632.

Diomed. I, p. 291 : C. Gracchus in L. Metellum : *Usque adeo pertæsum vos mihi esse.*

12. ORATIO IN L. PISONEM.

Cicer. Or. pro Fonteio c. 13 : *Exstat oratio* hominis, ut mea opinio fert, nostrorum hominum longe ingeniosissimi, atque eloquentissimi C. Gracchi : qua in oratione permulta in L. Pisonem turpia ac flagitiosa dicuntur. At in quem virum ? qui tanta virtute atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur. Quem cum in concionem Gracchus vocari juberet, et viator quæreret, quem Pisonem ? quod erant plures : « Cogis me, inquit, dicere inimicum meum Frugi. »

L. Pisonem] L. Calpurnius Piso Frugi, Annalium scriptor, qui etiam orationes reliquerat, ut supra monuimus. Cum Pisonem contra legem frumentariam C. Gracchi dixisse constet (Cic. Tuscul. III, 20.), oratio, de qua loquimur, a. U. 631 dicta videtur.

Schol. Vatican. in Cicer. Or. pro Flacco c. 2, 16 (p. 233 ed. Orell.) : Quod ad Pisonem attineat, plurimi quidem ex hac familia cognomentum frugalitatis habuerunt : sed enim primus hoc meruit L. Piso, qui legem de pecuniis repetundis tulit, et fuit C. Graccho inimicus capitalis, in quem ipsius *C. Gracchi exstat oratio maledictorum magis plena quam criminum.*

125 13. ORATIO ADVERSUS FURIUM.

Intellige L. Furium Philum, qui prætor fuit a. 632. [« Qui quæstioni præfuit a. 632. *Ellendt.*]

Diomed. I, p. 395. Gracchus adversus Furium : *Quibus ego primus quomodo auxiliem ?*

14. ORATIO IN ROGATIONE CN. MARCII CENSORINI.

[Qualis ea fuerit, ignoratur, nec de tempore constat. Prætor cum fuerit a. U. 632, quo Gracchus occisus est, aliquot annis ante tribunum plebis fuisse consentaneum erit. Ex verbis a Charisio allatis de tribunis militum a populo creandis egisse suspicamur. *Ellendt.*]

Charisius II, p. 186: C. Gracchus in rogatione Cn. Mar. Censorini : *Si vobis probati essent homines adulescentes, tamen necessario vobis tr. mil. veteres faciundi essent.*

Cn Marcii Censorini] Legendum videtur *L. Marcii Censorini,* qui a U. 632 prætor fuerat. — Memoratur porro in Fastis *C. Marcius Censorinus* proquæstor a. U. 630, ita ut incertum sit, uter sit intelligendus, an tertius quis, de quo nihil amplius constet. [Voc. *veteres*, quod sententia exigit, ap. Meyerum exciderat.]

15. ORATIO IN MÆVIUM.

Isidor. Origg. XIX, 32, 4 : Gracchus in Mævium : *Considerate, Quirites, sinistram ejus! en cujus auctoritatem sequimini, qui propter mulierum cupiditatem ut mulier est ornatus.*

in Mævium] Ellendt. correxit *Mænium,* intelligens T. Mænium, quicum Minucio tribunus pl. fuit a 632, quemque pro subscriptore legis Minuciæ habet. [*Mœnium* Arevalus et edit. antiquissima sine l. et a. Unus codicum Pariss. *medium.* Ante *cujus* addidimus *en*, e codd., neglectum a Meyero post Arevalum.]

16. ORATIO PRO SE.

Dubium est, utrum ea sit eadem, quæ apud censores est dicta, an apud Opimium a. U. 629, conjurationis Fregellanæ cum erat reus C. Gracchus, ac in primo vel altero tribunatu. [Posterius vult Ellendt., quem conf. et p. 32. Idem : « Aliquid ex *oratione pro se* servatum videtur apud Auctorem ad Herenn. IV, 29.»]

Priscian. X, 4, p. 488 : *Nanciscor* a *nancio* est, quod in usu

fuit vetustissimis. Gracchus pro se : *Si nanciam populi desiderium, comprobabo reipublicæ commoda.*

* *comprobabo*] Meyerus *comprobo.* De qua lect. Krehlius vol. II, p. 534 : « Falsissime sic edidi. Egregia est lectio trium codd. *comprobabo,* quæ et in edit. Putschiana reperitur. « Et in optimo Regio 7497, IX sæc.

17. ORATIO IN PLAUTIUM.

Valerius Max. IX, 5, ext. 4 : Insolentiæ vero inter Carthaginiensem et Campanum senatum quasi æmulatio fuit. Ille enim separato a plebe balneo lavabatur, hic diverso foro utebatur.
126 Quem morem Capuæ aliquamdiu retentum *C. quoque Gracchi oratione in Plautium scripta* patet.

in Plautium] Ellendt. M. Plautium Hypsæum intelligit, qui a. U. 628 consul fuit. « Quo tamen anno habita esse nequit, quod eo tempore in Sardinia quæstor Gracchus ab urbe aberat.»

Priscian. VIII, 4, p. 372 : C. Gracchus : *Ærarium dilargitur populo Romano.*

C. Gracchus] in orationem adversus Tuberonem inserit Ellendt. Melius fortasse dissuasioni legis Aufejæ tribuitur. [Codd., ut videtur, omnes *Romano populo;* nonnulli *delargitur.*]

Servius ad Virg. Georg. II, 288 : Gracchus : *Abunde fossa scrobis est,* quod exemplum in Terentiano est.

* *scrobis*] ut feminini generis citat, ex alio quidem grammatico, ut ipse Gracchi orationes non amplius habuisse videatur. *Fossa* est participium.

Id. ad Æn. VII, 715 : *Nursia,* Piceni civitas.... Gracchi ubique in contionibus suis *Nursinos sceleratos* appellaverunt.

Isidorus Origg. II, 21, 4 : Apud Gracchum : *Pueritia tua adolescentiæ tuæ inhonestamentum fuit, adolescentia senectuti dedecoramentum, senectus reipublicæ flagitium!*

apud Gracchum] ex orat. in Popilium, ut Ellendt. suspicatur.

* *senectuti*] scripsimus cum Arevalo, codd. Guelferb. et Parisinis. Vulgo *senectutis.*

[« Non multo ante ultimam necessitatem, negantibus pacem inimicis, eam orationem habitam a Graccho crediderim, ex qua

Cic. De orat. III, 56, et Quintil. XI, 3, 115 (hic vero contractius) locum affectus plenissimum exhibent, quem Cicero quoque Pro Murena c. 41 imitando expressit. (Conf. supra p. 122.) Ad Quintil. v. Spalding. » *Ellendt.*]

Cic. De orat. III, 56, 214 : Quid fuit in Graccho, quod me puero tantopere ferretur? *Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat! An domum? matremne ut miseram lamentantem videam et abjectam?* Quæ sic ab illo acta esse constabat oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent.

Quintil. XI, 3, 115 : Gracchanum illud : *Quo me miser conferam? in Capitolium ad fratris sanguinem? an domum?*

Eadem leguntur in Julii Victoris Arte rhet. p. 115.

Quo me miser] Gracchus imitatus est [?] Ennii locum e Medea, qui a Cic. De orat. c. 58, 217, laudatur :

Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternamne, anne ad Peliæ filias?

Gellius XX, 6 : Gracchus *misereri vestrum* dixit.

Charisius I, p. 79 : Gracchus : *Suos parentes amat,* cum dicit 127
in significatione matris.

suos parentes] i. e. pro matre Gracchus dicit *parentes,* ut alius auctor *tuus parens sum,* h. e. tua mater. Conf. Garaton. ad Cicer. Philipp. XI, 20.

Charis. I, p. 83 : Gracchus dixit *patresfamiliæ,* et non *familiarum.*

Pompeii Commentar. in librum Donati p. 532 : Q. Cicero dixit : *Includuntur in carcerem condemnati*, recte : significat enim eos de eo loco, in quibus res sedebat, ad carcerem duci includendo. Ideo rursum, ubi jam ibi fuit inclusus, *Gratius* recte ait : *inclusus in carcere.*

Gratius] Lindemann. emendat in Indice auctorum *Gracchus.*

Cic. De legg. III, 9 : C. Gracchus *runis et emissitiis,* quas ipse se projecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem reipublicæ statum permutavit?

runis] *runa,* hasta longiorem habens aciem.

De exordiis orationum Gracchi vidi Servium loco supra p. 16 inter testimonia de Catone posito.

Plut. Tib. Gracch. c. 8 : Ὁ δ' ἀδελφὸς αὐτοῦ, Γάϊος, ἔν τινι βιβλίῳ γέγραφεν, εἰς Νομαντίαν πορευόμενον διὰ τῆς Τυῤῥηνίας τὸν Τιβέριον, καὶ τὴν ἐρημίαν τῆς χώρας ὁρῶντα καὶ τοὺς γεωργοῦντας ἢ νέμοντας οἰκέτας ἐπεισάκτους καὶ βαρβάρους, τότε πρῶτον ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι τὴν μυρίων κακῶν ἄρξασαν αὐτοῖς πολιτείαν.

Plut. C. Gracch. c. 3 : Παραλαβὼν δὲ τὴν ἀρχὴν, εὐθὺς ἦν ἁπάντων πρῶτος, ἰσχύων τε τῷ λέγειν ὡς ἄλλος οὐδεὶς καὶ τοῦ πάθους αὐτῷ παῤῥησίαν πολλὴν διδόντος ἀνακλαιομένῳ τὸν ἀδελφόν. Ἐνταῦθα γὰρ ἐξ ἁπάσης προφάσεως περιῆγε τὸν δῆμον, ἀναμιμνήσκων τῶν γεγονότων καὶ παρατιθεὶς τὰ τῶν προγόνων, ὡς ἐκεῖνοι μὲν καὶ Φαλίσκοις ἐπολέμησαν ὑπὲρ Γενυκίου τινὸς δημάρχου, λοιδορηθέντος, καὶ Γαΐου Βουττουρίου θάνατον κατέγνωσαν, ὅτι δημάρχῳ πορευομένῳ δι' ἀγορᾶς οὐχ ὑπεξέστη μόνος. « Ὑμῶν δ' ὁρώντων, ἔφη, Τιβέριον ξύλοις συνέκοπτον οὗτοι, καὶ διὰ μέσης τῆς πόλεως ἐσύρετο νεκρὸς ἐκ Καπετωλίου, ῥιφησόμενος εἰς τὸν ποταμόν· οἱ δ' ἁλισκόμενοι τῶν φίλων ἀπέθνησκον ἄκριτοι. Καίτοι πάτριόν ἐστιν ἡμῖν
128 εἴ τις ἔχων δίκην θανατικὴν μὴ ὑπακούει, τούτου πρὸς τὰς θύρας ἕωθεν ἐλθόντα σαλπιγκτὴν, ἀνακαλεῖσθαι τῇ σάλπιγγι, καὶ μὴ πρότερον ἐπιφέρειν ψῆφον αὐτῷ τοὺς δικαστάς. Οὕτως εὐλαβεῖς καὶ πεφυλαγμένοι περὶ τὰς κρίσεις ἦσαν. »

τὴν ἀρχὴν] tribunatum. [Ex oratione in C. Popilium, p. 119, desumpta hæc videntur. *Egger*.]

Exstabant autem non solum C. Gracchi *orationes*, sed etiam *epistolarum liber* usque ad Ciceronis tempora, quarum una in Ciceronis libris De divinatione II, 29 (I, 18) allata est. Attamen probabile est, epistolas non editas fuisse a C. Graccho, sed a Fannio Annalibus suis insertas, in quibus totam Gracchorum historiam narravit. [Conf. Kraus. Vitt. et fr. hist. p. 172 sq.]

XXXII. M. Æmilius Scaurus.
[Ellendt. p. 35-37.]

Is consul fuit a. U. 638.

Cicer. Brut. c. 29, 112 : Scauri et *orationes* sunt et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta, sane utiles, quos nemo legit.

1. ACTIONES CONTRA Q. CÆPIONEM.

Charis. I, p. 120 : M. Æmilius Scaurus contra Q. Cæpionem actione *secunda : Nefarius vulturius, patriæ parricida.*

contra Quintum Cæpionem] eam causam dixit anno Urbis 662.

Cicero Orat. p. Scauro p. 131 ed. Beier. (p. 21 ed. Orell.): *Scaurus pater reus est factus a Q. Servilio Cæpione lege Servilia.* Ubi Asconius: « Q. Servilius, inquit, Cæpio Scaurum ob legationis Asiaticæ invidiam et adversus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum lege, quam tulit Servilius Glaucia. Scaurus tanta fuit continentia animi et magnitudine, ut Cæpionem contra reum detulerit et breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret, M. quoque Drusum, tribunum plebis, cohortatus sit, ut judicia commutaret. » — Ibid. p. 132: *Ab eodem Q. Cæpione etiam lege Varia custos ille reipublicæ proditionis est in crimen vocatus: vexatus a Q. Vario tribuno plebis est non multo ante.*

ob legationis Asiaticæ] Antequam erupisset bellum Mithridaticum, intercessit populo Romano simultas cum Mithridate, erantque variæ in Asiam ad regna Cappadociæ et Bithyniæ legationes missæ, quarum aliquam obire potuit Scaurus. V. Wesseling. Observatt. p. 36 — 40.

ab eodem Q. Cæpione] anno 662 [sic Ellendt.] vel 663 non multo post accusationem Scauri per Varium frustra susceptam. In eodem autem anno Q. Cæpio in bello adversus socios cæditur.

2. M. SCAURUS DE PECUNIIS REPETUNDIS CONTRA M. BRUTUM. 129

Charis. I, p. 103: M. Scaurus de pecuniis repetundis contra M. Brutum: *Præfecti fabrum.*

Idem habet Diomed. I, p. 398.

M. Brutum] Bis ergo accusatus est Scaurus repetundarum, a Q. Cæpione et M. Bruto. De Q. Cæpione mox dicemus, qui duplici actione tum lege Servilia, tum lege Varia Scauro diem dixit. M. Brutus is est, qui propter multas accusationes Accusator cognominatus est (Cic. De offic. II, 14), et cujus orationes infra memorabimus.— *Fabrum*, pro fabrorum.

Charis. II, p. 187: M. Scaurus de pecuniis repetundis: *M. Brutum ita officiose atque observanter tractavere.*

Cicero Pro Fonteio c. 13: M. Æmilium Scaurum, summum nostræ civitatis virum, scimus accusatum a M. Bruto.

3. ORATIO PRO SE CONTRA Q. VARIUM, TRIB. PL.

Valer. Max. III, 7, 8: Scaurus cum pro rostris accusaretur, quod ab rege Mithridate ob rempublicam prodendam pecuniam accepisset, causam suam ita egit: *Est enim iniquum, Quirites, cum inter alios vixerim, apud alios me rationem vitæ reddere. Sed tamen audebo vos, quorum major pars honoribus et actis meis interesse non potuit, interrogare: Varius Sucronensis Æmilium Scaurum regia mercede corruptum, imperium populi Romani prodidisse ait. Æmilius Scaurus huic se affinem esse culpæ negat. Utri creditis?*

oratio pro se] causam dixit a. 662, temporibus belli socialis, quo anno Q. Varius Hybrida erat tribunus plebis. [Annum 663 statuit Ellendt.]

* *apud alios me rationem*] codex optimus nondum ab aliis inspectus *apud* ILLOS MEÆ *rat. vitæ.*

* *Varius Sucronensis*] plurimi codd. *Varius Severus Veronensis*. Vide notam Torrenii.

130 Quintil. V, 12, 9: His quidam probationes adjiciunt, quas παθητικὰς vocant, ductas ex affectibus. Inde enim illa nobilis Scauri defensio: *Q. Varius Sucronensis ait, Æmilium Scaurum rempublicam populi Romani prodidisse; Æmilius Scaurus negat.*

Aurel. Victor. De vir. illustr. c. 72, 4: Scaurus senex cum a Vario trib. pl. argueretur, quasi socios et Latium ad arma coegisset, ad populum ait: *Varius Sucronensis Æmilium Scaurum ait socios ad arma coegisse, Scaurus negat: utri potius credendum putatis?*

Asconius in Orat. Cic. pro Scauro pag. 133 ed. Beier. (p. 22 Orell.): « Italico bello exorto cum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius trib. pl. legem tulit ut quæreretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum Romanum arma sumpsissent. Tum Q. Cæpio, vetus inimicus Scauri, sperans invenisse se occasionem opprimendi ejus, egit, ut Q. Varius trib. pl. belli concitati crimine adesse apud se Scaurum juberet anno LXXII. Ille per viatorem arcessitus, cum jam ex morbo male solveretur, dissuadentibus amicis, ne se in illa valetudine et ætate invidiæ populi objiceret, innixus nobilissimis

juvenibus, processit in forum; deinde accepto respondendi loco dixit: *Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait concitasse; M. Scaurus princeps senatus negat; testis nemo est. Utri vos, Quirites, convenit credere?* Qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipso etiam tribuno dimitteretur.»

Præterea Scaurus in judicium publicum vocatus est a *Cn. Domitio Ahenobarbo* (Cic. Or. pro Scauro p. 130 ed. Beier., p. 21 ed. Orell.; Dion. Cass. Exc. Peiresc. 100, p. 42; et Ellendt. p. 36) a. U. 649 et *a Rutilio* (v. infra p. 132).

Frontinus Strategemat. IV, 3, 13: Universi quoque exercitus notabilis sæpe fuit continentia, sicuti ejus, qui sub M. Scauro meruit. Namque memoriæ tradidit Scaurus, *pomiferam arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die abeunte exercitu intactis fructibus relictam.*

M. Scaurus] Pighius Annal. vol. III, p. 103, hoc exemplum Frontinum ex libris M. Scauri De vita sua ad L. Fufidium scriptis hausisse existimat. [Quos libros memorat Diomedes I, p. 371, 373, 381. Eorum locorum primum a Meyero per errorem inter orationum fragmenta positum delevimus.]

XXXIII. Q. Servilius Cæpio.

Consul a. U. 647.

Cic. Brut. c. 25, 97: Tum duo Cæpiones multum clientes consilio et lingua, plus auctoritate tamen et gratia sublevabant. Ib. c. 35, 135: Flamen Albinus etiam in numero est habitus disertorum. Q. etiam Cæpio, vir acer et fortis, cui fortuna belli crimini, invidia populi calamitati fuit.

duo Cæpiones] Cn. et Q. Cæpiones, ut ex Cicer. Orat. pro Fonteio c. 7 patet. [At v. paulo post.]

Cicero Pro Scauro pag. 132 Beier.: *A. Q. Cæpione etiam lege* 131
Varia custos ille reipublicæ proditionis est in crimen vocatus; ubi Asconius: *Italico bello exorto* etc. quæ modo attulimus in præcedente oratore.

lege Varia] Hæc actio anno 662 vel 663 dicta est, quo tempore Q. Varius Hybrida trib. pl. legem tulerat.

Charis. II, p. 147: Q. Cæpio in M. Æmilium Scaurum lege Varia: *Cum ab isto viderem*, inquit, *cotidio hostes consiliis adjuvari.*

hostes consiliis] Charis p. 177 idem fragmentum [per errorem vel suum vel librarii] sic præbet: *Cum ab isto v. cotidio consilio hosteis adjuvari.*

Charis. II, p. 198: Cæpio in M. Æmilium Scaurum lege Varia: *Quia Albius vir bonus est et vehementer idoneus.*

Albius] C. Albius Carrinas quæstor fuit a. U. 658.

[« Alius est hic Q. Servilius Cæpio ab illo Quinto fratre in loco Ciceronis cit., a. U. 658 in exilium acto. V. Wetzel. ad Cic. Brut. c. 62, 223. Quæstor urbanus acriter restitit legi frumentariæ Saturnini: Auct. ad. Herenn. I, 12, 21. Oratorne fuerit, an non, nunc effici non potest, cum Cicero certe Brut. c. 46, 169, et 56, 206 testetur, ab *Ælio Stilone* ipsius scriptas fuisse orationes. » *Westerm.* p. 98.]

XXXIV. M. Brutus.

Cic. Brut. c. 34, 130: M. Brutus fuit accusator vehemens et molestus, ut facile cerneres, naturale quoddam stirpis bonum degeneravisse vitio depravatæ voluntatis.

ORATIO IN M. ÆMILIUM SCAURUM.

Cicer. Pro Fonteio c. 13: M. Æmilium Scaurum, summum nostræ civitatis virum, scimus accusatum a M. Bruto. *Exstant orationes, ex quibus intelligi potest, multa in illum ipsum Scaurum esse dicta:* falso, quis negat? verumtamen ad inimico dicta et objecta.

ORATIO IN CN. PLANCUM.

Accusavit deinde *Cn. Plancum* defendente L. Licinio Crasso. Fragmenta utriusque eorum orationum infra in L. Crasso exhibebimus, p. 154 sqq.

Huc pertinet id quod Plinius narrat, H. Nat. XXXVI, 3: *L.*

Crassum oratorem illum, qui primus peregrini marmoris columnas habuit in eodem Palatio, Hymettias tamen nec plures sex aut longiores duodenum pedum, *M. Brutus* in jurgiis ob id *Venerem Palatinam* appellaverat. 132

XXXV. P. Rutilius Sp. F. Sp. N. Rufus. [Ellendt. p. 37-40.]

Consul fuit a. U. 648.

Cicer. Brut. c. 30, 114: Sunt *P. Rutilii orationes jejunæ*, multa præclara de jure, doctus vir et Græcis literis eruditus, Panætii auditor, prope perfectus in Stoicis.

ORATIO DE MODO ÆDIFICIORUM.

Sueton. Aug. c. 89: Etiam libros totos et senatui recitavit Augustus et populo notos per edictum sæpe fecit, ut orationes *Q. Metelli de prole augenda* et *Rutilii de modo ædificiorum*.

de modo ædif.] orationem in ædilitate, opinor, habuit Rutilius, ad populum, ut videtur Ellendtio.

ORATIO PRO L. CÆRUCIO AD POPULUM.

In Diomede I, p. 372: P. Rutilius De vita sua: *Uni una ostentata est.* Item pro Lucio Cærucio ad populum ex hoc derivavit participium: *Quod ego me spero ostenturum,* non ostensurum.

ostentata est] legendum *ostentura est*. [Immo *ostenta est*, quod quivis videat, Diomedis locum legens attente.]

ACTIONES CONTRA M. ÆMILIUM SCAURUM.

Duas actiones contra M. Æmilium Scaurum habuit, unam, in qua eum ambitus accusavit, alteram, cum ipse Scaurus judicio liberatus Rutilium in jus vocasset, ejusdem criminis reum.

ambitus] Cic. Brut. c. 30, 113: *Cum una consulatum petivissent* (Scaurus et Rutilius) *non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in judicium vocavit.* V. Ellendt. p. 38 sq.

una] a. U. 647 ex Pighii constitutione consulum.

PRO SE CONTRA PUBLICANOS.

Dixit etiam *pro se contra publicanos,* ut ex Livio cognoscimus Epit. LXX: « P. Rutilius, vir summæ innocentiæ, quoniam legatus Q. Mucii proconsulis *a publicanorum injuriis Asiam defenderat,* invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus in exsilium missus est. » Conf. Cic. De orat. I, 53, 229.

pro se] causa cadit a. U. 660. V. Ellendt. p. 38 sq.

XXXVI. Q. Ælius Tubero.

Cicer. Brut. c. 31, 117 sqq.: « Q. Ælius Tubero fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in oratorum numero, sed vita severus et congruens cum ea disciplina, quam colebat; paulo etiam
133 durior. [Conf. Pro Muren. c. 36. Valer. Max. VII, 5, 1. *West.*]
Sed ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus. Itaque honoribus majorum respondere non potuit. Fuit autem constans civis et fortis et in primis Graccho molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio. *Sunt etiam in Gracchum Tuberonis.* Is fuit mediocris in dicendo, doctissimus in disputando. » Eidem Tuberoni, Africanum avunculum laudanti, scripsit Lælius laudationem funebrem, ut ex Cicerone De orat. II, 84, 341 patet.

XXXVII. C. Scribonius Curio.

Cic. Brut. c. 32, 122 sqq.: C. Curio fuit ejusdem ætatis fere, sane illustris orator, cujus de ingenio *ex orationibus ejus* existimari potest. Sunt enim *et aliæ et pro Ser. Fulvio de incesto nobilis oratio.* Nobis quidem pueris hæc omnium optima putabatur, quæ vix jam comparet in hac turba novorum voluminum. Atqui hæc *de incestu* laudata *oratio* puerilis est locis multis, de amore, de tormentis, de rumore loci sane inanes, verumtamen nondum tritis nostrorum hominum auribus nec erudita civitate tolerabiles... Scripsit etiam alia nonnulla, et multa dixit et illustria, et in numero patronorum fuit.

Cicero De Invent. I, 43, 80: Curio pro Fulvio: *Nemo potest uno adspectu neque præteriens in amorem incidere.*

Eadem verba apud Auct. ad Herenn. II, 20, 23, exstant.

Plin. H. N. VII, 41: Una familia Curionum, in qua tres continua serie oratores exstiterunt.

Scholiast. Ambros. in Cicer. Or. in Clodium et Curionem p. 86 ed. Beier. (p. 330 ed. Orell.): Tres illis temporibus Curiones illustri nomine exstiterunt atque ita in libris (i. e. in orationibus) adhuc feruntur: Curio avus, qui Servium Fulvium incesti reum defendit, et hic C. Curio pater, qui P. Clodio adfuit, et tertius ille Curio tribunitius, qui bello civili Pompeiano in Africa periit; cum esset partium C. Cæsaris, oppressus est ab equitibus Jubæ regis.

Senec. Epist. CXIV: Multi ex alieno seculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur, Gracchus illis et Crassus et *Curio* nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et ad Coruncanum redeunt.

Curio] intelligendus C. Curio avus.

XXXVIII. C. Galba, Servii filius. 134

Cic. Brut. c. 33, 127: Huic (C. Gracchi) successit ætati C. Galba, Servii illius eloquentissimi viri filius, P. Crassi eloquentis et jurisperiti gener. Laudabant hunc patres nostri, favebant etiam propter patris memoriam, sed cecidit in cursu. Nam rogatione Mamilia Jugurthinæ conjurationis invidia, quum *pro sese ipse dixisset*, oppressus est. *Exstat ejus peroratio, qui epilogus dicitur*, qui tanto in honore pueris nobis erat, ut eum etiam edisceremus.

oppressus est] a. U. 644 (ex Pighii ratione) C. Mamilius Limetanus tribunus pl. rogationem ad populum promulgavit, quæ apud Sallust. Jug. c. 40 exstat. Conf. Cic. Brut. c. 34, 128.

XXXIX. C. Flavius Fimbria.

Consul fuit a. U. 649.

Cic. Brut. c. 34, 129: C. Fimbria habitus est sane, ut ita di-

cam, truculentus, asper, maledicus, genere toto paulo fervidior atque commotior, diligentia tamen et virtute animi atque vita bonus auctor in senatu. Idem tolerabilis patronus, nec rudis in jure civili, et cum virtute tum etiam ipso orationis genere liber; cujus *orationes* pueri legebamus, *quas jam reperire vix possumus.* — Conf. De orat. II, 22, 91; De offic. III, 19, 77.

XL. T. Albucius.

Cic. Brut. c. 34, 131 : Doctus etiam Græcis T. Albucius vel potius pene Græcus. Loquor, ut opinor; sed licet ex *orationibus* judicare. Fuit autem Athenis adolescens, perfectus Epicureus evaserat, minime aptum ad dicendum genus.

135 Varro De re rust. III, 2 extr. : Nonne item L. Albutius homo. ut scitis, apprime doctus, cujus Luciliano charactere sunt libelli, dicebat, *in Albano fundum suum pastionibus semper vinci a villa? agrum enim minus dena millia reddere, villam plus vicena.*

L. Albutius] Apparet, eundem, qui supra T. Albucius nominatur, hic intelligendum. Lucius quoque appellatur in Schol. Vaticano Cicer. p. Scauro c. 18 : *Damnatus est L. Albucius a C. Julio Cæsare Strabone in causa, quam pro Sardis dixit.* Sed *Titus* nominatur a Cicerone et in Bruto c. 26 et 35, et in Divinat. in Verr. c. 19, De prov. consul. c. 7, Tuscul. V, 37, atque in Lucilii versibus, qui apud Cicer. De Finib. I, 3, leguntur. Vid. Beier. ad Cic. Orat. pro Scauro p. 202.

Accusavit Q. Mucium Scævolam augurem repetundarum. Legimus enim in Bruto Cic. c. 26, 102 : Mucius augur, quod pro se opus erat, ipse dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium. Conf. De orat. II, 70, 281.

Jul. Cæsar Strabo contra Albucium pro Sardis egit a. U. 650, ut infra dicemus.

XLI. Q. Lutatius Catulus.

[Ellendt. p. 41 sq.]

Consul fuit a. U. 651.

Cic. Brut. c. 35, 132 : Q. Catulus non antiquo illo more, sed hoc nostro (nisi quid fieri potest perfectius) eruditus. Multæ li-

teræ, summa non vitæ solum atque naturæ, sed orationis etiam comitas, incorrupta quædam latini sermonis integritas: quæ perspici cum ex *orationibus ejus* potest tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium poetam, familiarem suum: qui liber nihilo notior est quam illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri.

Commemoratur De orat. II, 11, 44: « Q. Catuli *laudatio matris Popilliæ*, cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum esse puto. »

XLII. Q. Metellus Numidicus, L. Calvi F. [Ellendt. p. 42-44.]

Consul a. U. 644.

Cic. Brut. c. 35, 135: Q. Metellus Numidicus et ejus collega 136
M. Silanus dicebant de re publica, quod esset illis viris et consulari dignitati satis.

ACCUSATIO ADVERSUS VALERIUM MESSALAM.

Gellius XV, 14: Apud Q. Metellum Numidicum in libro Accusationis in Valerium Messalam tertio: *Cum sese sciret in tantum crimen venisse, atque socios ad senatum questum flentes venisse, sese pecunias maximas exactos esse.*

sese — exactos] i. e. pecunias a se maximas exactas. V. Gell. l. c. Valerium Messalam repetundarum reum factum puto cum Ellendtio. M. Valerii Messalæ, quæstoris a. U. 645, meminit Appianus Civilium libro primo c. 40, nominatque eum inter legatos, qui bello Marsico contra socios exercitibus præfuere a. U. 663.

ORATIO AD POPULUM CONTRA C. MAMILIUM TRIB. PL.

Gellius VI, 11: Verba hæc sunt Q. Metelli Numidici adversus Cn. Manlium tribunum plebei, a quo apud populum in contione lacessitus jactatusque fuerat dictis petulantibus: *Nunc quod ad illum attinet, Quirites, quoniam se ampliorem putat esse, si se*

mihi inimicum dictitaverit, quem ego mihi neque amicum recipio neque inimicum respicio, in eum ego non sum plura dicturus. Nam eum indignissimum arbitror, cui a viris bonis bene dicatur, tum ne idoneum quidem, cui a probis maledicatur. Nam si in eo tempore hujuscemodi homunculum nomines, in quo punire non possis, majore honore quam contumelia afficias.

Cn. Manlium] vide ad proximum locum.

* *Quirites, quoniam*] sic edd. et codd., recte. Nescio unde Meyerus adsciverit suum *qui*.

indignissimum] tam nequam est, ut sit indignus, qui a probo homine vituperetur, imo indignissimus, qui a bonis laudetur.

Priscian. VIII, 4, p. 369: Metellus Numidicus in oratione, qua apud populum C. Manilio tribuno pl. respondit: *Nam ut aliis plerumque obvenienti magistratu ob metum statuæ polliceantur,* passive, ἐπαγγελθῶσιν.

C. Manilio] sic codd. omnes Prisciani. [Vulgo *Manlio*, ut et cod. Genof. XI sæc.]. Apud Gellium in vetere codice Scioppii *C. Manlium*, in Scheff. et Guelferb. *C. Manilium* legitur. Veritatem autem jam dudum reperit Pighius in Annal. ad a. U. 643, vol. III, p. 123, qui *C. Mamilium Limetanum* tribunum pl. a. 643 intelligendum putat, cujus rogatio magnas dissensiones variosque in urbe tumultus movebat. Vid. Sallust. Jug. c. 40. Id igitur nomen in Gellio et Prisciano restituendum erit,
137 orationemque a. U. 643 habuit Metellus, qui in annum sequentem deinde consul est designatus. Ellendt.: *Num hic* (Manlius), inquit, *et Cn. Manlius cum Rutilio consul a. U.* 648 *idem sit, quem sordidum et ignobilem genere diu jacuisse scimus, priusquam ad consulatum veniret* (Cic. Pro Planc. c. 5), *non satis constat. Nec Pighium Mamilium Limetanum intelligi volentem probamus. Nam si Mamilius, homo tam potens, tantopere Metello obtrectavit in ea quæstionis severitate, quam describit Sallustius Jug. c.* 40, *vix ille consul factus esset.* Sed de tribunatu Cn. Manlii, quem a. U. 630 gessit, nihil constat, unde contentionem inter eum et Metellum Numidicum tum oriri potuisse colligamus: nec causa, quam Ellendt. protulit, cur vero non sit simile, litem exercuisse Metellum cum Mamilio tribuno, magnam auctoritatem habet: Metellus enim tanta gratia et auctoritate jam dudum apud populum valuit, ut consul suffragiis decerni posset, quamvis resisteret tribunorum unus. [Pro *aliis* unus Krehlii *alias*.]

ORATIO DE TRIUMPHO SUO.

Gellius XII, 9: Q. Metellus Numidicus in oratione, quam *De triumpho suo* dixit, his verbis usus est: *Qua in re quanto universi me unum antistatis, tanto vobis quam mihi majorem injuriam atque contumeliam facit, Quirites, et quanto probi injuriam facilius accipiunt, quam alteri tradunt, tanto ille vobis quam mihi pejorem honorem habuit: nam me injuriam ferre, vos facere vult, Quirites, ut hic conquestio, istic vituperatio relinquatur.*

De triumpho suo] hanc orationem habuit a. U. 646, in qua C. Marium consulem ejus anni, qui invidia et obtrectatione Metelli effecit, ut ipse ei in bello Jugurthino successor daretur, quam maxime criminatur. Vide Vellei. II, 11.

honorem pejorem] i. e. majore vos affecit injuria et contumelia quam me.

ORATIO AD POPULUM DE DUCENDIS UXORIBUS.

Gellius I, 6: In oratione Metelli Numidici, quam in censura dixit ad populum de ducendis uxoribus, cum eum ad matrimonia capessenda hortaretur, ita scriptum est: *Si sine uxore possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuæ potius quam brevi voluptati consulendum... Dii immortales plurimum possunt; sed non plus velle debent nobis quam parentes. At parentes, si pergunt liberi errare, bonis exheredant. Quid ergo nos a dis immortalibus diutius* 138 *expectemus, nisi malis rationibus finem faciamus? His demum deos propitios esse æquum est, qui sibi adversarii non sunt. Di immortales virtutem approbare, non adhibere debent.*

in censura] a. U. 651 similem orationem Q. Metellus Macedonicus, Numidici patruus, itidem in censura habuit, de qua supra monuimus, p. 95.

Si sine uxore etc.] De sententia disputat Creuzer. Antiquitt. Rom. §. 56.

non plus velle] dii nos non magis amare possunt quam liberos parentes amant; nec plura nobis beneficia conferre, quam a parentibus liberis tribui solent.

quid... diutius] i. e. quid amplius? Codex Regius hanc lect. habet, vulgo

legitur *quid... divinitus*. [Idem paulo post *facimus*, pro *faciamus*. De hoc usu voc. *ratio* v. Gronov. ad h. l.]

adhibere] nolentibus tribuere, largiri. [Add. Sueton. Aug. c. 89. *Egger*.]

XLIII. C. Memmius.

[Ellendt. p. 44 sq.]

Occisus est a. 653 consulatum petens.

Cic. Brut. c. 36, 136: Tum etiam C. et L. Memmii fuerunt oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi. Itaque in judicium capitis multos vocaverunt, pro reis non sæpe dixerunt.— Caius quæstor fuit a. 637, tribunus pl. a. 642.

Sallust. Jug. c. 27: C. Memmius, tribunus plebis designatus, vir acer et infestus potentiæ nobilitatis. — C. 30: Sed quoniam ea tempestate Memmii facundia clara pollensque fuit, decere existimavi, unam ex tam multis *orationem* perscribere.

unam] quam ibi legimus a Sallustio concinnatam cap. 31.

Fragmenta quidem nonnulla C. Memmii apud auctores memorantur, sed plerumque alius orator intelligitur, qui postea vixit et Luculli atque Jul. Cæsaris inimicus erat, de quo infra dicemus, p. 177. Unum tantum vel duo restant, de quibus verisimile est, ex hujus C. Memmii orationibus esse excerpta.

ORATIO PRO SE.

Sueton. Vit. Terent. c. 3: Q. Memmius in oratione pro se ait: *P. Africanus, qui a Terentio personam mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit.*

Q. Memmius] legendum fortasse *C. Memmius*, sicuti Ellendt. jam ante me suasit.

139 Ejusdem esse videtur hoc fragmentum Priscian. VIII, 4, p. 372: C. Memmius: *Quam stulte conficta, quam aperte sunt ementita!* ἐψευσμένα.

MEMMIUS IN BESTIAM.

Cic. De orat. II, 70: Quum Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeii, locupletis hominis, bona

sine testamento possederat, sederetque advocatus reo Bestiæ, cum funus quoddam duceretur, accusator C. Memmius, *Vide,* inquit, *Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor.*

in Bestiam] C. Memmii actionibus ad populum commotus senatus bellum contra Jugurtham gerendum censet a. U. 641. Tum initio anni sequentis L. Calpurnius Piso Bestia, adsumpto M. Æmilio Scauro, principe senatus, legato, in Africam profectus, mox pecunia corruptus Jugurtham in simulatam deditionem accipit et pace facta Romam redit. Cum deinde anno 643 rogatione C. Mamilii Limetani, tribuni pl., ii rei fierent, qui in legationibus aut imperiis a Jugurtha pecunias acceperant, Bestia a Memmio in judicium vocatus est. Conf. Sallust. Jug. c. 40.

XLIV. M. Antonius.
[Ellendt. p. 46-49.]

M. Antonius natus a. U. 610, jussu Marii Cinnæque interfectus est a. U. 666. (Vellei. II, 22.)

Cic. Brut. c. 36, 138 : Ego sic existimo, Antonium Crassumque fuisse oratores maximos, et in his primum cum Græcorum gloria latine dicendi copiam æquatam. C. 44, 163 : Vellem aliquid Antonio præter illum *de ratione dicendi* sane exilem *libellum* libuisset scribere.

Cic. Or. pro Cluent. c. 50: Hominem ingeniosum, M. Antonium, aiunt solitum esse dicere, *idcirco se nullam unquam orationem scripsisse, ut, si quid aliquando, quod non opus esset, ab se esset dictum, posset se negare dixisse.*

Macrob. Sat. V, 1 : Sunt stili dicendi duo, dispari moralitate diversi : unus est maturus et gravis, qualis Crasso assignatur... alter huic contrarius, ardens et erectus et infensus, quali est usus *Antonius.*

Diomedes II, p. 468 : Si in penultimo fuerit tribrachys vel dactylus, vel pyrrhichius et successerit vel tribrachys vel pyrrhichius vel molossus vel anapæstus, erit structura, quæ vel 140
delumbis vel fluxa vel mollis dicitur; qua usus dicitur *Antonius major.*

Quamquam autem ipse nullam orationem scriptam reliquerit, a Cicerone tamen non raro loci ex ejus orationibus afferuntur. Librarii enim eas aut integras aut ex parte memoriæ tradiderant.

1. ORATIO PRO SE DE INCESTO.

Memoratur causa ea a Valer. Max. III, 7, 9, eaque ad annum 640 pertinet, quo anno L. Cassius, scopulus reorum, fuit prætor urbanus. [Conf. præterea Val. Max. VI, 8, 1; Liv. Epit. LXIII; Ascon. ad Cic. Milon. c. 12, p. 46; Oros. V, 15. *Westerm.*]

2. ORATIO IN CN. PAPIRIUM CARBONEM.

Accusavit Antonius anno 642 (conf. Pighius Annal. vol. II, p. 118) Cn. Papirium Carbonem, qui consul a. 640 a Cimbris devictus est. Filius ejus, C. Carbo, a Licinio Crasso in judicium vocatus est.

Appulei. De magia p. 316 ed. Oudend.: Ceterum cur Æmilianus commoveretur, etsi vere me magum comperisset, qui non modo nullo facto, sed ne tantulo quidem dicto meo læsus est, ut videretur se merito ultum ire? Neque autem gloriæ causa me accusat, ut *M. Antonius Cn. Carbonem, C. Julius T. Albucium, P. Sulpicius C. Norbanum, L. Fufius M'. Aquillium, C. Curio Q. Metellum.* Quippe homines eruditissimi, juvenes laudis gratia primum hoc rudimentum forensis operæ subibant, ut aliquo insigni judicio civibus suis noscerentur.

C. Julius T. Albucium] correxi, cum Beiero ad Cic. De offic. II, 14, vulgatum *C. Mucius A. Albucium;* aliter Ellendt. in Hist. Eloquent. intelligere videtur, Albucium a Q. Mucio honoris causa accusatum esse. Constat vero, Q. Mucium in jus vocatum esse ab Albucio.

L. Fufius] correxi vulgatum *C. Furius* ex Bruto Ciceronis c. 49 et 62.

Huc pertinet locus Ciceronis in libris De offic. II, 14: Sed cum sint plura causarum genera, quæ eloquentiam desiderant, multique in nostra republica adolescentes et apud judices et apud senatum dicendo laudem assecuti sint: maxima est admiratio in
141 judiciis, quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione et defensione constat: quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persæpe est. Dixi paulo ante de Crasso. Idem fecit adolescens M. Antonius.

adolescens] cum Carbonem accusaret, triginta duos annos natus erat.

3. ORATIO IN SEX. TITIUM TRIBUNUM PLEBIS.

Antonius consul a. U. 654 contra eum egit.

Cic. De orat. II, 11, 48 (ubi Antonius ipse loquens inducitur): Et testimonium sæpe dicendum est, ac nonnunquam etiam accuratius, ut mihi necesse fuit *in Sex. Titium,* seditiosum civem et turbulentum; explicavi in eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno plebis pro republica restitissem, quæque ab eo contra rempublicam facta arbitrarer, exposui. Diu retentus sum, multa audivi, multa respondi.

[Conf. Cic. Pro Rabir. perd. c. 9. De S. Titio v. Cic. Brut. c. 62, 225; Valer. Max. VIII, 1, damn. 3. *Westerm.*]

4. ORATIO PRO M'. AQUILLIO.

M'. Aquillius, qui consul fuit a. U. 652, et bello in Sicilia contra fugitivos anno 654 confecto ovans urbem ingressus est, cum a L. Fufio a. 655 repetundarum accusaretur, crimine liberatus est patrocinio M. Antonii. Nihilominus L. Fufius ex hac accusatione diligentiæ fructum cepit, ut Cicero in Brut. c. 62, De offic. II, 14, dicit. Nec culpa vacuus erat Aquillius, « quem patres nostri ut in Cicer. Or. pro Flacco c. 39 legitur, multis avaritiæ criminibus testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, judicio liberaverunt. »

Cic. De orat. II, 28, 124: Quod enim ornamentum, quæ vis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitavit excitare reum consularem, et ejus diloricare tunicam, et judicibus cicatrices adversas senis imperatoris ostendere? [Conf. Quintil. II, 15, 7.]

Ibid. c. 47, 194: Nolite existimare me ipsum, qui non heroum veteres casus fictosque luctus vellem imitari atque adumbrare dicendo, neque actor essem alienæ personæ, sed auctor meæ, cum mihi M'. Aquillius in civitate retinendus esset, quæ in illa causa 142
peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. Quem enim ego consulem fuisse, imperatorem ornatum a senatu ovantem in Capitolium ascendisse meminissem, hunc cum afflictum, debilitatum, mœrentem, in summum discrimen adductum viderem, non prius sum conatus misericordiam aliis commovere, quam misericordia

sum ipse captus. Sensi equidem, tum magno opere commoveri judices, cum excitavi mœstum ac sordidatum senem et cum ista feci, quæ tu, Crasse, laudas, non arte, de qua quid loquar nescio, sed motu magno animi ac dolore, ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem. Cum C. Marius mœrorem orationis meæ præsens ac sedens multum lacrimis suis adjuvaret, cumque ego, illum crebro appellans, collegam ei suum commendarem atque ipsum advocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem: non fuit hæc sine meis lacrimis, non sine dolore magno miseratio omniumque deorum et hominum et civium et sociorum imploratio.

Verrin. lib. V, c. 1: Venit mihi in mentem, in judicio M'. Aquilii quantum auctoritatis, quantum momenti oratio M. Antonii habuisse existimata sit: qui, ut erat in dicendo non solum sapiens, sed etiam fortis, causa prope perorata, ipse arripuit M'. Aquilium constituitque in conspectu omnium tunicamque ejus a pectore abscidit, ut cicatrices populus Romanus judicesque aspicerent adverso corpore exceptas: simul et de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit, eoque adduxit eos, qui erant judicaturi, vehementer ut vererentur, ne, quem virum fortuna ex hostium telis eripuisset, cum sibi ipse non pepercisset, hic non ad populi Romani laudem, sed ad judicum crudelitatem videretur esse servatus.

Livius Epit. LXX: Cum M'. Aquillius de pecuniis repetundis causam diceret, ipse judices rogare noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore ejus discidit, ut honestas cicatrices ostenderet: quibus conspectis indubitanter absolutus est. Cicero ejus rei solus auctor.

[Cic. Pro Flacco c. 39; Brut. c. 62, 222. *West.*]

143 Ellendt. in ipso consulatu Antonii (a. 654) actam esse causam M'. Aquillii statuit. [Qui alibi: « Si suspiciones sequi licet, in libro ad Herennium IV, 38 et 39 duo loca ex Aquilliana oratione vel excepta vel imitando expressa habemus. Priore loco quæ de reo dicuntur, in Aquillium satis bene quadrant, quem munificum erga nonnullas Siculorum civitates Cicero dixit Agrar. II, 30. »]

5. ORATIO PRO SE DE AMBITU CONTRA M. DURONIUM.

M. Antonius censor de ambitu a M. Duronio postulatus est anno 656.

Cic De oratt. II, 68, 274 : Genus hoc levius et, ut dixi, mimicum, sed habet nonnunquam aliquid etiam apud nos loci, ut vel non stultus quasi stulte cum sale dicat aliquid, ut tibi, Antoni, Mancia, cum audisset te censorem a M. Duronio de ambitu postulatum, *Aliquando*, inquit, *tibi tuum negotium agere licebit.*

In hac causa testimonium dixit C. Cœlius Caldus.

Cic. De orat. II, 64, 257 : Nam in Cœlio sane etiam ad causam utile fuit tuum illud, Antoni, cum ille a se pecuniam profectam diceret testis, et haberet filium delicatiorem, abeunte jam illo

Sentin' senem esse tactum triginta minis?

6. ORATIO PRO C. NORBANO.

C. Norbanus tribunus plebis a. U. 658 seditiosus Q. Servilium Cæpionem auri Tolosani crimine et quia temeritate ejus Romanus exercitus a Cimbris deletus erat, apud populum reum fecit eoque perduxit rem, ut invito senatu reus Smyrnam in exilium cederet. Cum autem in ea causa magna esset orta seditio, P. Sulpicius Rufus lege Appuleia de majestate Norbanum postulavit a. U. 659, C. Cælio, L. Domitio Coss.

Cic. De orat. II, 25, 107 : Jam quid vocetur, quæritur, cum, quo verbo quid appellandum sit, contenditur : ut mihi ipsi cum hoc Sulpicio fuit in Norbani causa summa contentio. Pleraque enim de iis, quæ ab isto objiciebantur, cum confiterer, tamen ab illo majestatem minutam negabam; ex quo verbo lege Appuleia tota illa causa pendebat.... In quibus hoc præcipit ratio atque doctrina, ut vis ejus rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam neque supersit. Quod quidem in illa causa neque Sulpicius fecit, neque ego facere conatus sum. Nam quantum uterque nostrum potuit, omni copia dicendi dilatavit, quid esset majestatem minuere.

Ibid. II, 39, 164 : Si res tota quæritur, definitione universa vis explicanda est sic : *Si majestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi Romani tradidit, non qui eum, qui id fecisset, populi Romani potestati tradidit.*

qui exercitum] respicit Antonius Cæpionem, cujus culpa exercitus Romanus a Cimbris deletus fuerat a. U. 648, quique postea ob eam rem a Norbano tribuno pl. in jus vocatus est. Antonius Norbanum majestatem populi illa accusatione, etsi seditio tum erat orta, multo minus minuisse dicit quam Cæpionem , cujus culpa Romani cladem accepissent.

Ibid. II, 40, 167 : Ex genere argumenta ducuntur : *Si magistratus in populi Romani potestate esse debent, quid Norbanum accusas, cujus tribunatus voluntati paruit civitatis ?*

Ibid. II, 48, 199 : Omnium seditionum genera, vitia, pericula collegi, eamque orationem ex omni reipublicæ nostræ temporum varietate repetivi conclusique ita, ut dicerem, etsi omnes molestæ semper seditiones fuissent, justas tamen fuisse nonnullas et prope necessarias. Tum illa, quæ Crassus modo commemorabat, egi : neque reges ex hac civitate exigi neque tribunos plebis creari neque plebisscitis toties consularem potestatem minui neque provocationem, patronam illam civitatis ac vindicem libertatis, populo Romano dari sine nobilium dissensione potuisse; ac si illæ seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si qui motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine atque in fraude capitali esse ponendum. Quod si unquam populo Romano concessum esset, ut jure concitatus videretur, id quod docebam sæpe esse concessum, nullam illa causam justiorem fuisse. Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Cæpionis fugam, in deplorandum interitum exercitus, sic et eorum dolorem, qui lugebant suos, oratione refricabam et animos equitum Romanorum, apud quos tum judices causa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, a quo erant ipsi propter judicia ab-
145 alienati, renovabam. Quod ubi sensi me in possessione judicii ac defensionis meæ constitisse, quod et populi benevolentiam mihi conciliaram, cujus jus etiam cum seditionis conjunctione defenderam, ut judicum animos totos vel calamitate civitatis ve luctu ac desiderio propinquorum vel odio proprio in Cæpionem

ad causam nostram converteram : tunc admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi, lenitatis et mansuetudinis cœpi : me pro meo sodali, qui mihi in liberum loco more majorum esse deberet, et pro mea omni fama prope fortunisque decernere : nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quam si is, qui sæpe alienissimis a me, sed meis tamen civibus, saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem. Petebam a judicibus, ut illud ætati meæ, ut honoribus, ut rebus gestis, si justo, si pio dolore me esse affectum viderent, concederent; præsertim si in aliis causis intellexissent, omnia me semper pro amicorum periculis, nihil unquam pro me ipso deprecatum. [Adde c. 21, 89; 47, 194; Val. Max. VIII, 5, 2; Ascon. ad Verr. II, 11; Sigon. De judiciis II, 29, p. 1777 vol. II Thesauri Græviani. Ceterum hujus defensionis fortasse particulam ap. Auct. ad Herenn. IV, 46, reperimus. *Ellendt.*]

7. ORATIO PRO SE LEGE VARIA.

Acta causa est a. U. 662.

Cic. Tuscul. II, 24, 57 : Genu me Hercule M. Antonium vidi, cum contente pro se ipse lege Varia diceret, terram tangere

8. ORATIO PRO M. MARIO GRATIDIANO.

Cic. De offic. III, 16, 67 : M. Marius Gratidianus propinquus noster C. Sergio Oratæ vendiderat ædes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Hæ serviebant : sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium est. Oratam 146
Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Jus Crassus urgebat : quod vitii venditor non dixisset sciens, id oportere præstari; æquitatem Antonius : quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas ædes vendidisset, nihil fuisse necesse dici, nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo jure esset, teneret.

Memorari videntur præterea a Cicerone De orat. II, 28, 125, *Antonii defensiones Cn. Manlii* et *Q. Marcii Regis.* Attamen

in nulla causa forensi eos defendisse videtur Antonius, sed ex ipso loco, in quo eorum est sermo, patet, in Norbani causa Manlii simul et Regis (a. 635 consulis), qui itidem culpa Cæpionis a Cimbris devicti erant, fortunam eum deplorasse. [Adde *orationem in fratres Cossos apud centumviros :* v. infra in Scrib. Curione p. 166.]

XLV. L. Licinius Crassus.
[Ellendt. p. 49-54.]

Natus a. U. 613, mortuus a. U. 662.

Cic. Brut. c. 38 : Equidem quamquam Antonio tantum tribuo, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. Erat summa gravitas, erat cum gravitate junctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos, latine loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia, in disserendo mira explicatio : cum de jure civili, cum de æquo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia.

Ibid. c. 44, 162 : In omnibus orationibus Crassi inest quidam sine ullo fuco veritatis color. Quin etiam comprehensio et ambitus ille verborum erat apud illum contractus et brevis et in membra quædam, quæ κῶλα Græci vocant, dispertiebat orationem lubentius. — Vellem plura Crasso libuisset scribere ! — Fuit in hoc etiam popularis dictio excellens, Antonii genus dicendi multo aptius judiciis quam concionibus.

Cic. Orator c. 38 : Uterer exemplis domesticis (i. e. ex meis orationibus), nisi ea legisses ; uterer alienis vel Latinis, si ulla reperirem, vel Græcis, si deceret. *Sed Crassi perpauca sunt, nec ea judiciorum. Nihil Antonii, nihil Cottæ* (C. Aurelii Cottæ), *nihil Sulpicii* (P. Sulpicii Rufi).

nec ea judiciorum] Jam ex fragmentis colligi potest, Ciceronis observationem esse veram : ea enim prope omnia ex orationibus senatoriis aut ex concionibus sumpta sunt, pauca ex actionibus judiciariis.

1. ORATIO IN C. CARBONEM.

Cic. Brut. c. 43, 159 : Accusavit C. Carbonem, eloquentissimum hominem, admodum adolescens : summam ingenii non laudem modo, sed etiam admirationem est consecutus.

Verrin. III, 1 : Itaque hoc, judices, ex homine clarissimo 147
atque eloquentissimo, L. Crasso, sæpe auditum est, cum se nullius rei tam pœnitere diceret, quam quod C. Carbonem unquam in judicium vocavisset.

Cic. De oratt. III, 20, 74 : Omnium maturrime ad publicas causas accessi, annosque natus *unum et viginti* nobilissimum hominem et eloquentissimum in judicium vocavi.

unum et viginti] Aliter in Dial. de oratoribus legimus c. 34 : *Nonodecimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo Cæsar Dolabellam insecutus est.* In his verbis duo menda inesse, probabile est. Cum constet, C. Carbonem a L. Crasso majestatis accusatum esse, postquam a. U. 633 ipse Carbo consul L. Opimium majestatis reum defendisset, fieri non potest, nonodecimo ætatis anno illum id fecisse. Crassus enim, natus a. U. 613, C. Lælio et Q. Cæpione Coss., ut ex Bruto c. 43 patet, annum egit nonumdecimum a. U. 632. Tum autem Opimius nondum in judicium vocatus est. Anno autem sequenti id accidit. Quare in Ciceronis verbis acquiescamus, qui dicit, uno et vigesimo anno a Crasso Carbonem factum esse reum, id est anno 634, præsertim cum Q. Maximum, prætorem a. U. 635, quæstioni de majestate in causa Crassi præfuisse compertum sit libro primo De oratore c. 26, 121. Nec aliter rem se habere Pighius statuit Annal. vol. III, p. 80 sq., Beier. ad Cic. De offic. II, 13, Weichert. De Calvo p. 109. Alterum mendum in loco Dialogi Wesseling. detexit in Observatt. p. 222.

Cic. De oratt. II, 40, 170 : Olim hic Crassus adolescens : *Non si Opimium defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt. Simulasse te, et aliud quid quæsisse perspicuum est, quod Ti. Gracchi mortem sæpe in contionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in tribunatu tulisti, quod semper a bonis dissedisti.*

eam legem] legem Papiriam quam Lælius et Africanus dissuaserunt, ut supra commemoravimus. Orationum quoque C. Carbonis mentio supra est facta. [Conf. præterea de hac causa Cic. De legg. III, 16 et 19; Epp. ad fam. IX, 21 ; Val. Max. VI, 5, 6. Si verisimilitudinem sequi licet, hujus actionis particulam vel imitationem habemus apud Auct. ad Herenn. IV, 13. Pro parente, Scipionem, vel præsidium patriæ, vel simile quid laudis dictum arbitreris. Ex eadem aliquid fortasse servatum c. 14 : *Quem senatus* sqq. ; item c. 39 init., quod magnum habet ἐνάργειαν, sed artis nondum satis cultæ vestigia præ se fert; item c. 45 med. *Ellendt.*]

2. ORATIO PRO LICINIA VIRGINE.

Cic. Brut. c. 43, 160 : Defendit postea Liciniam virginem, quum annos septem et viginti natus esset. In ea ipsa causa fuit eloquentissimus, *orationisque ejus scriptas quasdam partes reliquit.*

148 Acta est causa a. U. 640, L. Cassio prætore. [De judicio ipso et Cassio quæsitore nimia severitate uso v. Liv. Epit. LXIII; Ascon. in Cic. Or. pro Milon. c. 12 (p. 46 ed. Orell.); Valer. Max. III, 7, 9; Oros. V, 15; Porphyr. ad Horat. Serm. I, 6, 30. Notemus Plutarchi errorem, qui quamvis damnatarum nomina, Æmiliam, Marciam, Liciniam, habeat, tamen rem ad Punica tempora refert Quæst. Rom. p. 360. Ceterum reliquias hujus defensionis satis insignes agnoscimus in Auct. ad Herenn. IV, 16 et 35 : altero loco de incesto per ratiocinationem quæritur; altero ad L. Cassium quæsitorem videtur sermo dirigi. *Ellendt.*]

3. ORATIO DE COLONIA NARBONENSI.

Cic. Brut. c. 43, 160 : Voluit adolescens in colonia Narbonensi causæ popularis aliquid attingere, eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere. *Exstat in eam legem senior, ut ita dicam, quam ætas illa ferebat, oratio.*

Hæc causa a. U. 635 dicta, cum Crassus duo et viginti annos erat natus. —Vellei. I, 15, 5 : Narbo Martius in Gallia Porcio Marcioque Coss. deducta colonia est. Senatus Crasso, gratiam populi tum captanti, frustra obstitit.

Cic. De offic. II, 18 : Atque hæc benignitas etiam reipubl. est utilis, redimi e servitute captos, locupletari tenuiores : quod quidem vulgo solitum fieri ab ordine nostro *in oratione Crassi* scriptum copiose videmus.

locupletari tenuiores] coloniis deducendis, sicuti Crassus voluit.

Memoratur deinde oratio de colonia Narbonensi Cic. De orat. II, 55, 223, Or. pro Cluent. c. 51, Quintil. VI, 3, 44.

4. SUASIO LEGIS SERVILIÆ.

Servilia lex de judiciis ab equitibus in senatum transferundis, quam rogaverat Q. Servilius Cæpio consul a. 647 Crasso suasore, non perlata videtur : in posteriore enim causa Crassi pro Cn. Planco contra M. Brutum judicium apud equites versatur, ut ex Ciceronis Or. pro Cluent. c. 51 scimus, qui dicit, M. Brutum animos illorum judicum in Crassum tanquam adversarium judiciorum equestris ordinis incendere voluisse.

Cic. Brut. c. 43, 161 : Scævolam collegam Crassi (in tribunatu) credo fuisse. Omnibus quidem aliis, inquam, in magistratibus, sed tribunus anno post fuit, eoque in rostris sedente suasit Serviliam legem Crassus. Nam censuram sine Scævola gessit. Eum enim magistratum nemo unquam Scævolarum petivit. Sed hæc Crassi quum edita oratio est, quam te sæpe legisse certo scio, quatuor et triginta tum habebat annos totidemque annis 149
mihi ætate præstabat. Iis enim consulibus eam legem suasit, quibus nati sumus, quum ipse esset Q. Cæpione consule natus et C. Lælio, triennio, ipso minor quam Antonius.

Cic. De orat. I, 52, 225 : Plato novam quandam finxit in libris civitatem ; usque eo illa, quæ dicenda de justitia putabat, a vitæ consuetudine et a civitatum moribus abhorrebant. Quod si ea probarentur in populis atque in civitatibus, quis tibi, Crasse, concessisset, clarissimo viro et principi civitatis, ut illa diceres in maxima concione tuorum civium, quæ dixisti : *Eripite nos ex miseriis, eripite ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri ; nolite sinere nos cuiquam servire nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus.*

eripite] invehitur in judicia ordinis equestris.

possumus et debemus] hæc refert in ὁμοιοτελεύτου exemplis Auctor ad Herenn. III, 3. Cic. Paradox. IV, 3 : *Eripite nos ex servitute. Nolite sinere nos cuiquam servire nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus.*

Priscian. VIII, 14, p. 411 : L. Crassus in legis Serviliæ suasione : *Neque me minus vostri quam mei miserebitur.*

Cic. Orat. c. 65, 219 : Et quia non numero solum numerosa oratio, sed et compositione fit et genere concinnitatis, composi-

tione potest intelligi, cum ita structa verba sunt, ut numerus non quæsitus, sed ipse secutus esse videatur, ut apud Crassum : *Nam ubi lubido dominatur, innocentiæ leve præsidium est.*

apud Crassum] id fragmentum ex suasione legis Serviliæ petitum videtur. Cohæret enim cum illo : *Eripite nos ex miseriis, eripite ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri : nolite sinere nos cuiquam servire nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus. Nam ubi lubido dominatur, innocentiæ leve præsidium est.* — Crassus hic equitibus Romanis crudelitatem et libidinem in causis dijudicandis objicit. Idem exemplum apud Quintil. IX, 4, 109, legimus.

[Fortasse in Memmium, legis dissuasorem, dicta sunt hac occasione quæ leguntur ap. Cic. De orat. II, 59 et 66. *Ellendt.* V. mox p. 151.]

Cic. Brut. c. 44, 164 : Mihi quidem a pueritia quasi magistra fuit illa in legem Cæpionis oratio (i. e. illa legis Serviliæ Suasio) :
150 in qua et auctoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur, et invidia concitatur in judicum et in accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. Multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt : plura etiam dicta quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis nec explicatis intelligi potest (i. e. non tota oratio exstat, sed plura capita ejus verb tantum notata, non oratorie explicata sunt).

[Quæ apud Auctor. ad Herenn. IV, 22, exstant verba haud multa, ex hac suasione petita dixerim : *Demus operam Quirites,* sqq. Præterea commemoratur hæc suasio a Cic. De Invent. I, 49, 92; Brut. c. 86, 296 ; De orat. II, 55, 223. Perlatam legem non dixerim, nec a Servilio Glaucia paucis annis post abrogatam, ad quam sententiam inclinat Ernest. in Indice legum Ciceroniano. Nam patronum senatus jam ob latam legem dici Cæpionem potuisse credo. *Ellendt.*]

5. ORATIO PRO Q. CÆPIONE.

Cic. Brut. c. 44, 162 : Sed est etiam L. Crassi in consulatu pro Q. Cæpione defensio juncta, non brevis ut laudatio ; ut oratio autem, brevis.

pro Q. Cæpione] C. Junius Norbanus tribunus pl. anno U. 658, quo L. Crassus consul erat, Q. Servilium Cæpionem, auctorem legis Serviliæ, majestatis reum fecit. Defendit eum frustra Crassus brevi oratione, quæ tamen major erat, quam laudationes esse solent vel testificationes, sed brevior oratione perpetua.

defensio juncta] Defensio eodem sensu dicitur in Oratore Cic. c. 38: *Duriorum Accusatio* (i. e. orationes Verrinæ) *suppeditabit exempla, mitiorum Defensiones meæ.* Ac fortasse in Cic. Brut. c. 73, 256 legendum est: *Malim mihi L. Crassi unam pro M'. Curio defensionem quam castellanos triumphos dúo*, pro *dictionem*. Vid. Addenda. [Ubi hæc : «Testem hujus emendationis luculentum proferam, Frontonem, qui orationem Marci Antonini emendans ei hæc scripsit (V, 3) : *Miserere : unum verbum de oratione ablega, et quæso, ne unquam eo utaris*, dictionem *pro* oratione. *Vale.*»] *Juncta* significat *simul edita* cum altera Cæpioniana, de qua modo diximus. [Codd. et edd. *defensione.* Ellendt. ad h. l. *Q. Cæpionis* legendum proponit, vel hoc nomen ejiciendum. Neutram rationem probat tenax vulgatæ Westerm. p. 116.]

6. ORATIO CENSORIA CONTRA CN. DOMITIUM.

Cic. Brut. c. 44, 164: Postrema censoria oratio, qua anno octavo et quadragesimo usus est.... Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam *non est oratio, sed quasi capita rerum et orationis commentarium paullo plenius.* Nulla est enim altercatio clamoribus unquam habita majoribus.

Ibid. De orat. II, 56, 227: Faceta et urbana innumerabilia ex una concione meministis. Nec enim contentio major unquam fuit, nec apud populum gravior *oratio* quam *hujus contra collegam in censura* nuper, neque lepore et festivitate conditior.

Plin. Hist. Nat. XVII, 1: Nobilissimarum gentium ambo Crassus atque Domitius censuram post consulatum simul gesserunt 151
anno U. 661 frequentem jurgiis propter dissimilitudinem morum. — In eodem loco jurgium inter eos in censura ortum narratur. [Add. XXXV, 3; Plut. Præc. politt. p. 167; Ælian. V. H. VIII, 4; Macrob. Sat. II, 10. *Ellendt.*]

Crassus et Cn. Domitius Ahenobarbus censores fuerunt a. U. 661. Domitius ipse laude eloquentiæ floruit, Cicerone teste in Bruto c. 45.

Cic. De orat. II, 11, 45: Crassus in illius orationis suæ, quam contra collegam censor habuit, principio dixit: *Quæ natura aut*

fortuna darentur hominibus, in iis rebus se vinci posse æquo animo pati; quæ ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se vinci pati non posse.

Sueton. Nero c. 2: In Cn. Domitium dixit Licinius Crassus orator, *Non esse mirandum, quod æneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum esset.*

æneam barbam] Cn. Domitio cognomen erat *Ahenobarbus.*

Cic. De orat. II, 59, 242: Idem Crassus: *Per tuam nobilitatem, per vestram familiam, per tuas statuas!*

Crassus] in oratione contra Domitium, ut Turnebus suspicatus est.

7. CONCIO IN MEMMIUM.

Ellendt. dissuasorem legis Serviliæ appellat Memmium. De C. Memmio, acerbissimo nobilitatis adversario, supra diximus.

Cic. De orat. II, 66, 267: Crassus in concione: *Ita sibi ipsum magnum videri Memmium, ut in forum descendens caput ad fornicem Fabii demitteret.*

Ib. II, 59, 240: Duo sunt etiam genera facetiarum, quorum alterum re tractatur, alterum dicto. Re, si quando quid tanquam aliqua fabella narratur, ut olim tu, Crasse, in Memmium *comedisse eum lacertum Largii,* cum esset cum eo Tarracinæ de amicula rixatus. Salsa ac tamen a te ipso ficta tota narratio. Addidisti clausulam, tota Tarracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse literas LLLMM. Cum quæreres, id quid esset, senem tibi quemdam oppidanum dixisse: *Lacerat lacertum Largi mordax Memmius!*

152
8. ORATIO IN L. MARCIUM PHILIPPUM.

Oratio in senatu habita adversus Philippum consulem a. U. 662. L. Philippum commemorat Cicero in Bruto c. 45, 166: «Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus latine et diligenter loquentibus numeratus est, qui tamen summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia, L. Philippum in consulatus petitione superavit.»

Cic. De orat. III, 1 : Deploravit illo die casum atque orbitatem senatus, cujus ordinis a consule, qui quasi parens bonus aut tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis : neque vero esse mirandum, si, cum suis consiliis rempublicam profligasset, consilium senatus a republica repudiaret. Hic cum homini et vehementi et diserto et in primis forti ad resistendum Philippo quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille et graviter exarsit pignoribusque ablatis Crassum instituit coercere. Quo quidem ipso in loco multa a Crasso divinitus dicta efferebantur, cum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset. *An tu, cum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris, eamque in conspectu populi Romani concideris, me his pignoribus existimas posse terreri? Non tibi illa sunt cædenda, si L. Crassum vis coercere : hæc tibi est excidenda lingua ; qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit!* Permulta tum vehementissima contentione animi, ingenii, virium ab eo dicta esse constabat, sententiamque eam, quam senatus frequens secutus est ornatissimis et gravissimis verbis : *Ut populo Romano satisfieret, nunquam senatus neque consilium reipublicæ neque fidem defuisse,* ab eo dictam, et eumdem (id quod in auctoritatibus præscriptis exstat) scribendo affuisse.

Quintil. VIII, 3, 89 : Illud Crassi : *Ego te consulem putem, cum tu me non putes senatorem ?* — Valer. Max. VI, 2, 2, idem narrat : *Non es tu,* inquit, *mihi*, *Philippe, consul*, *quia ne ego quidem tibi senator sum.*

[Non satis liquet, unde desumptus sit integer senarius in Cic. Oratore c. 66. Quæ mox ibidem sequuntur, ex concione contra popularem factionem petita credas, nisi sunt ex oratione in Philippum. *Ellendt.*]

9. ORATIO IN M. COPONIUM DE HEREDITATE CURII VEL PRO M'. CURIO. 153

Dixit pro M. Coponio Q. Scævola. Acta est causa a. U. 661, T. Manilio prætore.

Cic. Brut. c. 39, 145 : In interpretando, in definiendo, in explicanda æquitate nihil erat Crasso copiosius, idque quum sæpe alias, tum apud centumviros in M'. Curii causa cognitum est.

Ita enim multa tum contra scriptum pro æquo et bono dixit, ut hominem acutissimum, Q. Scævolam, et in jure, in quo illa causa vertebatur, paratissimum, obrueret argumentorum exemplorumque copia, atque ita tum ab his patronis æqualibus, etiam consularibus, causa illa dicta est, cum uterque ex contraria parte jus civile defenderet, ut eloquentium jurisperitissimus Crassus, jurisperitorum eloquentissimus Scævola putaretur.

Ibid. c. 52: Nec res ulla plus apud animos hominum quam ordo et ornatus orationis valet. Quare quis ex populo, cum Q. Scævolam pro M. Coponio dicentem audiret, quidquam politius aut elegantius aut omnino melius aut exspectaret aut posse fieri putaret? Cum is hoc probare vellet, M'. Curium, cum ita heres institutus esset, si pupillus ante mortuus esset, quam in suam tutelam venisset, pupillo non nato heredem esse non posse; quid ille non dixit de testamentorum jure, de antiquis formulis? quid, quemadmodum scribi oportuisset, si etiam filio non nato heres institueretur? quam captiosum esse populo, quod scriptum esset, negligi et opinione quæri voluntates et interpretatione disertorum scripta simplicium hominum pervertere? quam ille multa de auctoritate patris sui, qui semper jus illud esse defenderat? quam omnino multa de conservando jure civili? At vero ut contra Crassus ab adolescente delicato, qui in litore ambulans scalmum reperisset ob eamque rem ædificare navem concupivisset, exorsus est, similiter Scævolam ex uno scalmo captionis centumvirale judicium hereditatis effecisse, hoc in illo initio consecutus multis ejusdem generis sententiis delectavit animosque omnium, qui aderant, in hilaritatem a severitate traduxit.
154 Deinde hoc voluisse eum, qui testamentum fecisset, hoc sensisse, quoquo modo filius non esset, qui in suam tutelam veniret, sive non natus sive ante mortuus, Curius heres ut esset: ita scribere plerosque et id valere et valuisse semper. Deinde æquum bonum testamentorum sententias voluntatesque tutatus est; quanta esset in verbis captio cum in ceteris rebus tum in testamentis, si negligerentur voluntates; quantam sibi potentiam Scævola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea nisi de illius sententia. Hæc cum graviter tum ab exemplis copiose, tum varie, tum etiam ridicule et facete explicans eam admirationem assensionemque commovit, dixisse ut contra nemo videretur.

Ibid. c. 73 : Malim mihi L. Crassi unam pro M'. Curio dictionem quam castellanos triumphos duo.

Cic. De orat. II, 6, 24 : Illud, quod ego in causa Curiana Scævolæ dixi, non dixi secus ac sentiebam. *Nam si,* inquam, *Scævola, nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus. Quid igitur? quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages? Mihi enim liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit.*

Orationis capita porro recenset Cic. in Or. pro Cæcina c. 18; Topic. c. 10, De orat. I, 39, 180; 57, 242; II, 32, 140, 141, De invent. II, 42, 122; Quintil. VII, 6, 9.

10. ORATIO PRO CN. PLANCO CONTRA M. BRUTUM.

Cic. De orat. II, 54, 220 : Quid in omni oratione ab arte adjuvari potuit Crassus vel apud centumviros contra Scævolam, vel contra accusatorem Brutum, cum pro Cn. Planco diceret?... Nam hæc perpetua contra Scævolam Curiana defensio tota redundavit hilaritate quadam et joco, dicta illa brevia non habuit. — C. 55, 223 : In Bruto, quem oderat et quem dignum contumelia judicabat, utroque genere pugnavit. Quam multa de balneis, quas nuper ille vendiderat, quam multa de amisso patrimonio dixit? Atque illa brevia : cum ille diceret, se sine causa sudare, *Minime mirum,* inquit, *modo enim existi de balneis.* Innumera- 155
bilia hujuscemodi fuerunt, sed non minus jucunda illa perpetua. Cum enim Brutus duos lectores excitasset, et alteri de colonia Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia, et cum contraria inter sese de republica capita contulisset : noster hic facetissime tres patris Bruti de jure civili libellos tribus legendos dedit. Ex libro primo : *Forte evenit, ut in Privernati essemus. Brute, testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse.* Deinde ex libro secundo : *In Albano eramus ego et Marcus filius. Sapiens videlicet homo cum primis nostræ civitatis norat hunc gurgitem; metuebat, ne, cum is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur.* Tum ex libro tertio, in quo finem scribendi fecit : *In Tiburti forte assedimus ego et Marcus filius. Ubi sunt ii fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis*

consignatos reliquit? Quod nisi puberem te, inquit, *jam haberet, quartum librum composuisset, et se etiam in balneis locutum cum filio scriptum reliquisset.* Quis est igitur, qui non fateatur, hoc lepore atque his facetiis non minus refutatum esse Brutum quam illis tragœdiis, quas egit idem, cum casu in eadem causa funere efferretur anus Junia, cum conjectis oculis, gestu omni imminenti, summa gravitate et celeritate verborum: *Brute, quid sedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit? quid te facere, cui rei, cui gloriæ, cui virtuti studere? Patrimonione augendo? at id non est nobilitatis. Sed fac esse, nihil superest; libidines totum dissipaverunt. An juri civili? est paternum. Sed dicet, te, cum ædes venderes, ne in rutis quidem et cæsis solium tibi paternum recepisse. An rei militari? qui nunquam castra videris! an eloquentiæ? quæ nulla est in te; et quidquid est vocis ac linguæ, omne in istum turpissimum calumniæ quæstum contulisti. Tu lucem*
156 *aspicere audes? tu hos intueri? tu in foro, tu in urbe, tu in civium esse conspectu? tu illam mortuam, tu imagines ipsas non perhorrescis? quibus non modo imitandis, sed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquisti!* — Conf. Cic. Or. pro Cluent. c. 51, 140; Quintil. VI, 3, 44.

contraria... capita] Cur in oratione de colonia Narbonensi et lege Servilia contraria inter se posita fuerint, ex Cic. Or. p. Cluent. c. 51 disci potest: « In dissuasione rogationis ejus, quæ contra coloniam Narbonensem ferebatur (a senatu), quantum potest, de auctoritate senatus detrahit: in suasione legis Serviliæ (qua in senatum ab equestri ordine judicia transferebantur) summis ornat senatum laudibus. » In altera ergo oratione contra senatum egit, in altera pro senatu.

11. ORATIO PRO PISONE.

Cic. De orat. II, 70, 285: Hoc vero Crassi nihil facetius. Cum læsisset testis Silus Pisonem, quod se in eum audisse dixisset: *Potest fieri,* inquit, *Sile, ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit.* Annuit Silus. *Potest etiam, ut tu non recte intellexeris,* Id quoque toto capite annuit, ut se Crasso daret. *Potest etiam*

fieri, inquit, *ut omnino*, *quod te audisse dicis, nunquam audieris!*

Pisonem] hanc causam privatam fuisse putat Ellendt. Henrichsen, qui nuper eruditos commentarios in libros De oratore edidit, de Pisone ad cap. 66, § 265, libri secundi ablegat lectorem, ubi Lucium Calpurnium Pisonem Cæsoninum Cos. a. U. 641 intelligendum conjicit.

12. ORATIO PRO C. ACULEONE.

Acta est causa apud M. Perpernam judicem, qui a. U. 656 prætor erat.

Cic. De oratt. II, 65, 262 : Invertuntur verba, ut Crassus apud M. Perpernam judicem pro Aculeone cum diceret, (aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Ælius Lamia deformis, ut nostis), qui cum interpellaret odiose, *Audiamus,* inquit, *pulcellum puerum,* Crassus. Cum esset arrisum, *Non potui mihi,* inquit Lamia, *formam ipse fingere*, *ingenium potui*. Tum hic, *Audiamus,* inquit, *disertum.* Multo etiam arrisum est vehementius.

De C. Aculeone Crassus apud Cic. De orat. I, 43, 191 : Præ- 157
clarum dedit laudis testimonium et doctrinæ.

13 et 14. ORATIONES PRO C. SERGIO ORATA.

Postremo duabus in causis *C. Sergium Oratam* defendit Crassus: quarum alteram [contra M. Antonium, M. Marii patronum] Cicero narravit De offic. III, 16, alteram Valerius Max. IX, 1, 1. [Hic inter alia de Sergio Orata narrat : « Ædificiis etiam spatiosis et excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit : quo recentiore usu conchyliorum frueretur. Ubi dum se publicæ aquæ cupidius immergit, cum Considio publicano judicium nactus est. In quo L. Crassus adversus illum causam agens, *errare amicum suum Considium* dixit, *quod putaret Oratam remotum a lacu cariturum ostreis : namque ea*, *si inde petere non licuisset, in tegulis reperturum*. »]

* *in tegulis*] Et hoc luxuriæ Romanæ. Seneca apud interpretes ad h. l. : *Alunt in summis culminibus mentita nemora, et navigabilium piscina-*

narum freta. Jam Cicero in Hortensio dixerat (ap. Nonium p. 216, 13): *Solertiamque eam,* [ut] *posset vel in tegulis proseminare ostreas.*

Cic. Orat. 66 : Sed nihil tam debet esse numerosum, quam hoc quod minime apparet et valet plurimum. Ex hoc genere illud est Crassi : *Missos faciant patronos ; ipsi prodeant. Cur clandestinis consiliis nos oppugnant ? cur de perfugis nostris copias comparant contra nos ?*

Crassi] hoc ex concione contra popularem factionem aut ex oratione in Philippum petitum arbitratur Ellendt.

comparant contra nos] numerosior est Quintiliani lectio (IX, 4, 101) : *Cur de perfugis nostris copias comparat is contra nos.*

XLVI. Q. Mucius Scævola, Pont. Max.

Cic. Brut. c. 44, 163 : Scævolæ dicendi elegantiam satis ex illis *orationibus, quas reliquit,* habemus cognitam.

Argumentum orationis Scævolæ pro M. Coponio in causa Curiana Cicero recenset in Brut. c. 52. — Dixit tum L. Licinius Crassus adversus Scævolam, qui juris peritissimus fuit Romanorum veterum. Consul fuit cum eodem Crasso a. U. 658. Distinguendus a Q. Mucio Scævola augure.

XLVII. C. Titius.

Cic. Brut. c. 45, 167 : Ejusdem fere temporis cum L. Crasso et L. Philippo fuit eques Romanus, C. Titius, qui meo judicio eo pervenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine Græcis literis et sine multo usu pervenire. Hujus orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut pæne Attico stilo scriptæ esse videantur. Easdem argutias in
158 tragœdias satis ille quidem acute, sed parum tragice transtulit.

Nescio an idem sit intelligendus in Dione Cassio Fragm. ex libris prior. n. 114. Γάϊος Τίτιος ἀνὴρ ἀγοραῖος καὶ ἐκ δικαστηρίων τὸν

βίον ποιούμενος, τῇ τε παῤῥησίᾳ μετὰ ἀναισχυντίας κατακορεῖ χρώμενος. Equidem nihil affirmaverim. [Pro eodem habet Westerm. p. 124.]

Macrob. Saturn. II, 12 : Inter pisces Tiberinos præcipuum locum lupus tenuit et quidem is, qui inter duos pontes captus est. Id ostendunt cum multi alii, tum etiam *C. Titius, vir ætatis Lucilianæ, in oratione, qua legem Fanniam suasit.* Cujus verba ideo pono, quia non solum de lupo inter duos pontes capto erunt testimonio, sed etiam mores, quibus plerique tunc vivebnt, facile publicabunt. Describens enim homines prodigos, in forum ad judicandum ebrios commeantes, quæque soleant inter se sermocinari, sic ait: *Ludunt alea, studiose unguentis delibuti, scortis stipati. Ubi horæ decem sunt, jubent puerum vocari, ut comitium eat percunctatum, quid in foro gestum sit, qui suaserint, qui dissuaserint, quot tribus jusserint, quot vetuerint : inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant. Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant. Veniunt in comitium tristes, jubent dicere : quorum negotium est, dicunt : judex testes poscit : ipsus it minctum. Ubi redit, ait se omnia audivisse; tabulas poscit, literas inspicit : vix præ vino sustinet palpebras; eunti in consilium ibi hæc oratio : Quid mihi negotium est cum istis nugacibus? quam potius potamus mulsum mixtum vino græco, edimus turdum pinguem bonumque piscem, lupum Germanum, qui inter duos pontes captus fuit!*

legem [*Fanniam*] legem sumptuariam C. Fannius Cos. a. 593 promulgavit suasore C. Titio quæstore. Conf. Athenæus lib. VI, p. 274. [Alia lex intelligi debet. Nam C. Titius Herennii æqualis erat, consulis anni 660. Et fragm. Dionis supra cit. ad a. 665 pertinet. *Westerm.*]

* *unguentis delibuti*] cod. X sæc. *delibuti unguentis.*

litem suam faciant] *Facere suam litem* dicitur judex, cum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit. Sensus ergo est : ne dolo malo causam agere videantur. Vid. Gesneri Thes. v. *Lis.*

* *dicunt*] idem cod. *narrant.* Et paullo post *nugatoribus potius, quam,* pro *nugacibus, q. p.*

lupum] piscem, de quo Macrob. l. c.

[Aliud ex eadem oratione fragmentum addimus e Macrob. Sat.

II, 9 : « Ipsum vero edulium genera quam dictu turpia? Nam *Cincius in suasione legis Fanniæ* objicit sæculo suo, *quod porcum Trojanum mensis inferant* : quem illi ideo sic vocabant quasi aliis inclusis animalibus gravidum, ut ille Trojanus equus gravidus armatis fuit. » *Cincius* librarii lapsu scriptum pro *C. Titius*.]

Quomodo distinguendus sit hic Titius ab aliis ejusdem nominis, in Dissertatione de Titio Septimio poeta docuit Weichert.
153 Reliq. p. 372. Tragœdiarum Titii fragmenta supersunt nulla. Quærat forsitan aliquis, unde habuerit Macrobius Titii orationem, qui antiquis jam oratoribus adnumerandus est; atque suspicor, vetera eloquentiæ monumenta etiam tum exstitisse in Licinii Muciani opere, qui ævo Vespasiani oratorum Romanorum orationes in unum corpus redegerat.

XLVIII. T. Betucius Barrus Asculanus.

Cic. Brut. c. 46, 169 : Omnium eloquentissimus extra hanc urbem T. Betucius Barra Asculanus, cujus sunt *aliquot orationes Asculi habitæ, illa Romæ contra Cæpionem, nobilis sane, cui orationi Cæpionis ore respondit Ælius*.

Cæpionem] Q. Servilius Cæpio, quod ex cap. 56, 206, patet.

Ælius] L. Ælius Præconinus Stilo, de quo infra dicemus.

XLIX. L. Marcius Philippus. [Ellendt. p. 54-56.]

Is ab Horatio dicitur (Epist. I, 7, 46) *Strenuus et fortis causisque Philippus agendis Clarus.*

Cic. Brut. c. 47, 173 : Duobus summis, Crasso et Antonio, L. Philippus proximus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus.... Erant ea in Philippo, quæ qui sine comparatione illorum spectaret, satis magna diceret : summa libertas in oratione, multæ facetiæ : satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis : erat etiam in primis, ut temporibus illis, Græcis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus.

Cic. De offic. II, 21 : Perniciose Philippus *in tribunatu, cum legem agrariam ferret....* cum in agendo multa populariter, tum

illud male, *non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent.* Capitalis oratio et ad æquationem bonorum pertinens.

in tribunatu] a. U. 649.

Oratio Philippi *pro Cn. Pompeio* memoratur in Bruto Ciceronis c. 64, 230. [Quod *senex* hoc loco dicitur, vix urgendum : nam tum annos fortasse tres vel quatuor et quinquaginta natus erat. *Ellendt.*]

Pro Cn. Pompeio] a. U. 667 fit repetundarum reus, patre mortuo; admodum juvenis Cn. Pompeius Magnus ob prædam Asculanam, ex qua 160
nihil in ærarium retulerat pater. Dixit pro Pompeio cum L. Philippo Hortensius. Conf. Plut. c. 4.

Plut. Pompei c. 2 : Ἦν δέ τις καὶ ἀναστολὴ τῆς κόμης ἀτρέμα, καὶ τῶν περὶ τὰ ὄμματα ῥυθμῶν ὑγρότης, τοῦ προσώπου ποιοῦσα μᾶλλον λεγομένην ἢ φαινομένην ὁμοιότητα πρὸς τὰς Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως εἰκόνας. Ἧι καὶ τοὔνομα πολλῶν ἐν ἀρχῇ συνεπιφερόντων οὐκ ἔφευγεν ὁ Πομπήϊος· ὥστε καὶ χλευάζοντας αὐτὸν ἐνίους ἤδη καλεῖν Ἀλέξανδρον. Διὸ καὶ Λεύκιος Φίλιππος, ἀνὴρ ὑπατικὸς, συνηγορῶν αὐτῷ, μηδὲν ἔφη ποιεῖν παράλογον, εἰ Φίλιππος ὢν, φιλαλέξανδρος ἐστίν.

Cic. De orat. III, 1 : Crassus vehementer erat commotus ea oratione, quæ ferebatur habita esse *in concione* a Philippo, quem dixisse constabat: *videndum sibi aliud esse consilium : illo senatu se rempublicam gerere non posse !*

a Philippo] consule a. U. 662.

Dixit *adversus P. Quintium,* pro quo Cicero causam egit, a. U. 672.

Oratio *L. Philippi contra Lepidum,* habita a. 667, exstat apud Sallustium Histor. Frag. l. 1, p. 945 ed. Cort. [et ex recensione Orellii in Sallustio Bibliothecæ Novæ Panckouck. p. 262-266.] Cum vero nullum exstet apertum testimonium, scriptas orationes relictas esse a Philippo, melius fortasse fecissem, si eum in librum meum non retulissem.

L. C. Julius Cæsar Strabo.
[Ellendt. p. 57 sq.]

Cic. Brut. c. 48, 177 : Festivitate et facetiis C. Julius L. F.

et superioribus et æqualibus suis omnibus præstitit, oratorque fuit minime ille quidem vehemens, sed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior. *Sunt ejus aliquot orationes, ex quibus sicut ex ejusdem tragœdiis lenitas ejus sine nervis perspici potes t*

Cic. Tuscul. V, 19 : In C. Cæsare mihi videtur fuisse specimen humanitatis, salis, suavitatis, leporis. [Id. Brut. c. 60, 216 : Motus is erat, quem et C. Julius in perpetuum notavit, quum ex eo in utramque partem toto corpore vacillante, quæsivit, *quis loqueretur ex lintre ?*]

1. ORATIO QUA SULPICIO RESPONDIT.

Priscian. V, 8, p. 197 : Cæsar Strabo in oratione, qua Sulpicio respondit : *Deinde propinquos nostros, Messalas, domo deflagrata penore volebamus privare.*

161 Priscian. VI, 14, p. 270 : Cæsar Strabo contra Sulpicium, tribunum plebis : *Deinde propinquos nostros* etc.

contra Sulpicium] tribunum pl. a. U. 665. P. Sulpicius Rufus Julio Cæsari Straboni ædilitio, consulatum omissa prætura contra leges petenti, restitit, ex quo tanta contentio orta est, ut ad ferrum et ad arma res procederet. Asconius ad Or. pro Scauro p. 145 Beier., Cic. in Brut. c. 63. Id. Or. Philippica XI, 5 : *Alter Cæsar, Vopiscus ille, homo summo ingenio, summa potentia, qui ex ædilitate consulatum petit, solvatur legibus.* — Præter Sulpicium P. Antistius quoque, collega, contra Strabonem egit.

2. ORATIO PRO SARDIS.

Sueton. Cæsar. c. 55 : Genus eloquentiæ duntaxat adolescens adhuc Strabonis Cæsaris secutus videtur, cujus etiam ex *oratione, quæ inscribitur Pro Sardis*, ad verbum nonnulla transtulit in *Divinationem suam.*

in Divinationem suam] Oratio C. Cæsaris pro Sardis Divinatio fuit in Cn. Pompeium Strabonem de accusatore in T. Albucium constituendo, ut ex Divinat. Ciceronis in Cæcilium c. 19 intelligitur. [Conf. ibi Ascon. et Gernhard. ad Cic. Offic. II, 14. *Ell.*] Ex ea autem Jul. Cæsar in Divinationem suam de accusatione Dolabellæ, opinor, nonnulla transtulit.

Cic. De offic. II, 14 : Etiam accusatio probata persæpe est. Sed hoc quidem non est sæpe faciendum, nec unquam nisi... patrocinii causa, ut nos pro Siculis, *pro Sardis in Albucio Julius.*

in Albucio] vide Orellii adnotationem. Acta causa a. U. 650, postquam biennio prætor Sardiniæ fuisset Albucius. Conf. quod supra de T. Albucio adnotavimus, p. 134.

3. ORATIO APUD CENSORES.

Varro De re rustica I, 7 : Cæsar Vopiscus ædilicius, causam cum ageret *apud censores, campos Roseæ Italiæ dixit esse sumen, in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbam.* — Idem refert Plinius H. N. XVII, 4.

Cæsar Vopiscus] hunc eumdem esse cum Jul. Cæsare, de quo nunc dicimus, ex Mario Victorino patet De orthograph. 1, p. 2456: *Julius Cæsar, qui Vopiscus et Strabo, qui et Sesquiculus dictus est, primus de Tecmesa scripsit tragœdiam suam.* De tragœdiis ejus vide Weichert. de C. Licinio Calvo (in Reliquiis poetar.) p. 127.

ædilicius] æditis curulis fuit a. U. 663. Occisus est a Marii satellitibus a. 666.

Inserta est fragmentis C. Jul. Cæsaris Dictatoris apud Ouden- 162
dorpium *oratio Jul. Cæsaris pro Sextilio,* quæ Cæsari Straboni vindicari debet; siquidem Sextilius, qui Cæsarem manu occidit, antea in causa gravi ab eo adjutus fuerat, ut Valer. Max. V, 3, 3 narrat. Præterea Pighius *orationem Cæsaris pro rogatione Plautia,* quæ plerumque Divi Cæsaris esse dicitur, Cæsari Straboni tribuit, ut in Jul. Cæsare dicemus.

In Prisciano VIII, 4, p. 368 : *Lucius Cæsar : Certæque res augurantur,* οἰωνοσκοποῦνται, legitur, quo de auctore disceptari potest, utrum hic Julius Cæsar an Lucius Cœlius (Antipater) intelligendus sit.

* *Certæque res*] alii codd. *certe quæ res*. Duæ edd. vett. *Quæ certe res.*

LI. L. Ælius Præconinus Stilo.

Suetonius De illustr. gramm. 3 : *L. Ælius*, inquit, cognomine duplici fuit : nam et *Præconinus*, quod pater ejus præ-

conium fecerat, vocabatur, et *Stilo*, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat. Tantus optimatum fautor erat, ut Q. Metellum Numidicum in exilium comitatus sit (a. U. 653).

Cic. Brut. c. 56, 205 : *Cottæ pro se lege Varia* quæ inscribitur, eam *L. Ælius scripsit Cottæ rogatu.* Fuit is omnino vir egregius et eques Romanus cum primis honestus idemque eruditissimus et Græcis literis et Latinis, antiquitatisque nostræ et in inventis rebus et in actis scriptorumque veterum literate peritus : quem scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese, vir ingenio præstans omnique doctrina, pluribus et illustrioribus literis explicavit. Sed idem Ælius Stoicus esse voluit, orator autem nec studuit unquam nec fuit. *Scribebat* tamen, *orationes, quas alii dicerent, ut Q. Metello F., ut Q. Cæpioni, ut Q. Pompeio Rufo :* quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Ælio. His enim scribendis etiam ipse interfui, cum essem apud Ælium adolescens eumque audire studiose solerem. Cottam autem miror, summum ipsum oratorum minimeque ineptum, *Ælianas leves oratiunculas* voluisse existimari suas.

163 *Q. Metello F.*] intell. Q. Metellum Nepotem, Balearici filium, quem C. Curio accusavit, Appuleio teste in Apolog. p. 316.

ut Q. Cæpioni] supra c. 46 : *Orationi Betucii Cæpionis ore respondit Ælius, qui scriptitavit orationes multis.*

Q. Pompeio Rufo] cons. a. U. 665.

LII. C. Aurelius Cotta.
[Ellendt. p. 67-70.]

Cic. Brut. c. 49 : Iisdem fere temporibus, ætate inferiores paulo quam Julius, sed æquales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fufius, M. Drusus, P. Antistius, nec ulla ætate uberior oratorum fetus fuit. Ex his Cotta et Sulpicius cum meo judicio tum omnium facile primas tulerunt.

Ib. c. 55, 202 : Inveniebat acute Cotta, dicebat pure ac solute. — Nihil erat in ejus oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum, illudque maximum, quod, cum contentione ora-

tionis flectere animos judicum vix posset nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti quod a Sulpicio concitati.

Cic. Orator, c. 38, 132 : Uterer exemplis domesticis, nisi ea legisses; uterer alienis vel Latinis, si ulla reperirem, vel Græcis, si deceret. Sed Crassi perpauca sunt, nec ea judiciorum. Nihil Antonii, nihil Cottæ, nihil Sulpicii.

nihil Cottæ] Quum in Bruto c. 49, 55 et 56, Cotta et Sulpicius tamquam ætate æquales et in dicendo pares a Cicerone conjungantur, veri simile est, in Oratoris quoque loco eosdem intelligendos, C. Aurelium Cottam et P. Sulpicium Rufum. Patet igitur, Cottam ipsum nihil scriptum reliquisse. Ælianas vero orationes voluisse existimari suas. Unum fragmentum, quod apud Charisium exstat, corruptum videtur.

Cic. Orator, c. 30 : *Nihil ample Cotta,* nihil leniter Sulpicius, non multa graviter Hortensius.

Cic. Brut. c. 56, 205 : *Cottæ pro se lege Varia quæ inscribitur* (int. oratio), eam L. Ælius scripsit Cottæ rogatu.... Cottam miror, summum ipsum oratorem minimeque ineptum, Ælianas leves oratiunculas voluisse existimari suas.

lege Varia] Damnatus est Cotta lege Varia a. U. 662. 164

Legimus orationem C. Cottæ consulis, a. U. 678 habitam, in Sallust. Fragm. p. 999 [et ex Orellii recensione secundum Vaticanos codd. in edit. Collectionis Panckouckianæ p. 283 sq.].

Charis. II, p. 195 : C. Cotta pro Cn. Veterio libro primo : *Hic cum optimus, tu de tua sponte, hic cum religione.*

C. Cotta] suspicor legendum esse *Cato pro Veturio*, idque iterum corruptum est pro *Cato in Veturium*, sicuti in Nonio quoque alicubi *Cato pro Veturio* per errorem legitur, de qua re monuimus p. 32. Ellendt. autem in Charisii loco Messalinum Cottam, Corvini filium intelligit.

Cic. Brut. c. 92, 317 : Duo tum excellebant oratores, Cotta et Hortensius, qui me imitandi cupiditate incitarent. Videram in iisdem causis, ut *pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella consulari,* cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium.

pro Cn. Dolabella] accusante C. Julio Cæsare, a. 666, cujus orationes in Dolabellam mox commemorabimus.

pro M. Canuleio] M. Canuleius Dives, repetundarum reus, a. 676. Præterea *defendit Rutilium* (Cic. Brut. c. 306), *accusavit Arretinam mulierem* (Cic. Pro Cæcina c. 33).

[Addit Eggerus Cic. Or. pro Cornel. fragm. 8 : « Possum dicere, hominem summa prudentia C. Cottam *de suis legibus abrogandis* ipsum ad senatum retulisse. »]

LII. P. Sulpicius Rufus.
[Ellendt. p. 56 sq.]

P. Sulpicius natus a. U. 629. Cic. Brut. c. 88.

Cic. Brut c. 55, 203 : Fuit Sulpicius vel maxime omnium, quos quidem ego audiverim, grandis et ut ita dicam, tragicus orator. — C. 56, 205 : Sulpicii *orationes, quæ feruntur,* eas post mortem ejus scripsisse P. Canutius putatur, æqualis meus, homo extra nostrum ordinem meo judicio disertissimus. Ipsius Sulpicii nulla oratio est, sæpeque ex eo audivi, cum se scribere neque consuesse neque posse diceret.

Cic. Orator, c. 38, 132 : Uterer exemplis alienis Latinis (i. e. aliorum Latinorum oratorum), si ulla reperirem. Sed Crassi perpauca sunt, nihil Antonii, nihil Cottæ, nihil Sulpicii.

Cic. De offic. II, 14 : P. Sulpicii eloquentiam illustravit *accusatio, cum seditiosum et inutilem civem, C. Norbanum, in judicium vocavit,* quem defendit M. Antonius.

165 ## LIV. C. Scribonius Curio.
[Ellendt. p. 70-72.]

C. Curionem avum supra jam commemoravimus, p. 133. Curio pater, Cos. a. 676, mortuus est a. 700.

Cic. Brut. c. 58, 210 : Erant, quibus videretur illius ætatis tertius Curio, quia splendidioribus fortasse verbis utebatur, et quia latine non pessime loquebatur usu, credo, aliquo domestico, nam literarum admodum nihil sciebat. — C. 61, 230 : Ejus oratio-

nes adspiciendas tamen censeo. Sunt illæ quidem languidiores, verumtamen possunt augere et quasi alere id bonum, quod in illo mediocriter fuisse concedimus, quod habet tantam vim, ut solum sine aliis in Curione speciem oratoris alicujus effecerit.

Argumentum Orat. in P. Clodium et Curionem Ciceronis p. 86 ed. Beier. (p. 330 ed. Orell.): *Tres illis temporibus Curiones illustri nomine fuerunt, atque ita in libris adhuc feruntur.*

in libris] Nempe in eorum orationibus, quæ adhuc supererant, cum hic commentarius scriberetur. *Maius.*

Ibid. p. 88 (331 Or.): Minacissimis Clodii vocibus vehementer et acerrimo spiritu hac oratione Cicero respondit, duorum, tam ipsius quam Curionis.

quam Curionis] i. e. hac oratione Cicero respondit *orationibus* duorum etc. *Maius* In *duorum* latere videtur corruptela. *Orell.*

Quintil. VI, 3, 76: Cicero Curionem semper ab excusatione ætatis incipientem, facilius quotidie proœmium habere, dixit.

Sueton. Cæs. c. 52: Curio pater quadam Cæsarem oratione *omnium mulierum virum et omnium virorum mulierem* appellat.

Ibid. Cæs. c. 50: Pompeio a Curionibus, patre et filio, exprobratum est, *quod cujus causa post tres liberos exegisset uxorem, et quem gemens Ægisthum appellare consuesset, ejus postea filiam potentiæ cupiditate in matrimonium recepisset.*

Ibid. c. 49: Prætereo actiones Dolabellæ et Curionis patris, in quibus eum (*Cæsarem*) Dolabella. *pellicem reginæ, spondam interiorem regiæ lecticæ*, et Curio, *stabulum Nicomedis et* 166
Bithynicum fornicem dicunt.

Idem ib. c. 9: Meminerunt conjurationis Cæsaris cum M. Crasso Tanusius Geminus et C. Curio pater in orationibus. *Convenisse* Curio ait, *ut togam de humero dejiceret.* Idem Curio, sed et M. Actorius Naso, auctores sunt, *conspirasse eum etiam cum Cn. Pisone adolescente.*

Priscian. VIII, 4, p. 371: Curio pater: *Nusquam demolitur, nusquam exoneratur pecunia, demolitur* passive dixit.

Nusquam] tres codd. Krehlii *nunquam*.

Dixit præterea Curio *pro fratribus Cossis contra Antonium*

apud centumviros (Cic. De orat. II, 23, 98) et *pro Servio Nævio in causa Titiniæ*, Cottæ uxoris (Cic. Brut. c. 60, 217); *accusavit* vero *Q. Metellum Nepotem*, Balearici filium (Asconius in Orat. Cic. pro C. Cornelio c. 1).

LV. C. Papirius Carbo C. F.

Cic. Brut. c. 62, 221: In eodem numero ejusdem ætatis C. Carbo fuit, illius eloquentissimi viri filius, non satis acutus orator, sed tamen orator numeratus est. Erat in verbis gravitas et facile dicebat, et auctoritatem naturalem quamdam habebat oratio.

eloquentissimi viri] C. Papirii Carbonis, qui supra recensetur, pag. 110 sq.

Cic. Orator c. 63: Me stante C. Carbo, C. F., tribunus plebis in concione dixit his verbis: *O Marce Druse!* (*patrem appello*). *Tu dicere solebas, sacram esse rempublicam. Quicumque eam violassent, ab omnibus esse ei pœnas persolutas. Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit.*

me stante] i. e. me præsente, audiente. Cicero annos quindecim erat natus a. 662, quo Carbo concionem habuit.

O Marce Druse] C. Carbo in tribunatu suo a. U. 662 collegam habuit M. Livium Drusum, qui in magistratu occisus est: occiso vero eo concionem habuit adversarius ejus Carbo, in qua, Drusum patrem, mor-
167 tuum, appellans, id refert, quod ille dixerat a. U. 632, cum C. Gracchus per Opimium interfectus erat. Ut enim Opimium jure istum occidisse Drusus pater judicarit, sic nunc Marcum Drusum, filium, non injuria interfectum videri.

LVI. Q. Claudius Quadrigarius.

Annales quidem Quadrigarii notiores sunt quam orationes, unumque tantum earum vestigium remansit, modo Claudius ibi Quadrigarius sit intelligendus.

Nonius p. 208, 26: *Horrea* genere feminino. Claudius oratione in Quintium Gallum: *Quarum jaceni murœna ulla horrea curiaque et tabulariæ publicæ.* Ejusdem generis tabularias et horreas dixit.

jaceni] in edit. 1526 legimus: *Claudius oratione in Quintum Gallum. Quarum jacent murena ulla horrea curiaque et tabulariæ publicæ. Ejusdem generis tabularias, quo et horreas dixit.* — Mercerus emendat: « *Quorum jacent muri, nulla horrea.* Et errat Nonius, qui singulari positum censet. » — Gothofredus vero: *Quorum jacent muri, villa, horrea,* etc. Popma dicit: « Lego, *Quorum jacent muri, nec ulla horrea.* Quod postremum singulari numero et genere feminino positum, Nonius perperam censet. An autem hujus orationis auctor sit Quadrigarius, an alius Claudius, nescio. » Ego Nonii indicem orationis sic emendandum existimo: *Calidius in oratione in Quintum Gallium.* — Celeberrima fuit illa Calidii actio, summi oratoris, in qua Cicero reum defendit, ut legimus in Bruto c. 80, 277.

Æqualis fuit Quadrigarius Sisennæ ex Velleio II, 9, 5, interjecto inter ætatem Sulpicii et Hortensii, teste Cicerone Brut. c. 64. V. Schweigh. ad fragm. Appiani De rebus Gall. voll. III, p. 172.

LVII. L. Sisenna.
[Ellendt. p. 72 sq.]

Cic. Brut. c. 64, 228: Inferioris ætatis (i. e. post P. Sulpicium, Cottam et Curionem) erat proximus L. Sisenna, doctus vir, et studiis optimis deditus, bene latine loquens, narus reipublicæ, non sine facetiis, sed neque laboris multi nec satis versatus in armis. — C. 74, 260: Sisenna autem, quasi emendator sermonis usitati cum esse vellet, ne a C. Rusio quidem accusatore deterreri potuit, quominus inusitatis verbis uteretur. Quidnam istuc 168
est? inquit Brutus, aut quis est iste C. Rusius? Et ille, Fuit accusator, inquit, vetus, quo accusante C. Rutilium Sisenna defendens dixit, quædam ejus sputatilica esse crimina. Tum C. Rusius, Circumvenior, inquit, judices, nisi subvenitis. Sisenna quid dicat, nescio: metuo insidias. Sputatilica, quid est hoc? sputa quid sit, scio, tilica nescio.

C. Rusio] v. Weichertii Dissert. De Calvo p. 101.

C. Rutilium] qui in Bruto Cic. c. 40 et in Divinatione in Cæcil. c. 21 laudatur. [Nullus codex *C. Rutilium*: pæne omnes *Chirtilium*. Ellendt. in Jahnii Annal. novis Philol. 1836, p. 261 probat si scribatur *C. Hirtilium* vel simpliciter *Hirtilium*.]

Quintil. I, 5, 13: « Sisenna dixit *assentio* (pro assensione). » Idem ex Varrone Gellius II, 25 attulit.

Id. VIII, 3, 35: Cæcilius (rhetor) putat a Sisenna primum dictum esse *albenti cœlo*.

Festus: *Mediterreum* melius quam *mediterraneum* Sisenna dici putat.

Varro De Ling. lat. VIII, 74, pag. 446 ed. Speng.: Plures *patres familias* dicere non debuerunt, sed ut Sisenna scribit, *Patres familiarum*.

De anno natali L. Corn. Sisennæ erudite egit Weichert. ad Calvum in Reliquiis poetarum p. 99 sqq. Orationum nullæ superesse videntur reliquiæ, nec satis constat, eum orationes reliquisse. Incerta enim fragmenta quatuor, quæ attulimus, ex libris XVI Historiarum excerpta esse possunt. [Quibus orationes inseruerat.]

LVIII. Q. Hortensius.

Q. Hortensius natus a. U. 639, primum in foro dixit a. U. 658, novendecim annos natus. Diem obiit a. U. 703: Cic. Brut. c. 64, 229. [Confer *Sallierii* commentationem, *sur la vie de Q. Hortensius*, in *Mémoires de l'Acad. des inscr.* vol. VI, p. 500 sqq.] Eximium L. C. Luzac Specimen histor. juridicum de Q. Hortensio oratore, Ciceronis æmulo, Lugduni Batav. 1810, edidit, ex quo multa in usum meum transtuli.

Cum Cicero de Hortensii genere dicendi copiosius per quinque capita Bruti (c. 92-96) sit locutus, unum tantum locum afferre volui, in quo (quod ad propositum meum maxime pertinet) de orationibus ejus mentionem fecit: *Dicendi genus quod fuerit in utroque nostrum, orationes utriusque etiam posteris nostris*
169 *indicabunt.* Debemus sane dolere interitum orationum Hortensii, quarum nulla particula præter unam vocem apud Charisium exstat. Causam autem, cur nulla ejus oratio ad nostra usque tempora pervenerit, in Oratore c. 37, 132, indicavit Cicero: *Uterer exemplis domesticis, nisi ea legisses: uterer alienis vel Latinis, si ulla reperirem, vel Græcis, si deceret. Sed Crassi perpauca sunt, nec ea judiciorum: nihil Antonii, nihil Cottæ, nihil Sulpicii: dicebat melius quam scripsit Hortensius.* Cicero igitur ipse, quamvis eloquentiam Hortensii summis laudibus efferret, numquam tamen ex ejus orationibus exempla attulit, cum ab audientibus tantum, non a legentibus æque probarentur.

[Quintil. IV, 5 fin.: Non immerito multum ex diligentia partiendi tulit laudis Q. Hortensius; cujus tamen divisionem, in digitos diductam, nonnumquam Cicero leviter eludit. — Id. X, 6, 4: Cicero... Hortensium... tradidit, quæ cogitaverat, ad verbum in agendo retulisse. Egger.]

Sidonius Epist. IV, 3: Rex Theodoricus sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Aristoteles, ut Æschines blanditur, ut Demosthenes irascitur, *vernat ut Hortensius,* æstuat ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, simulat ut Crassus, dissimulat ut Cæsar, suadet ut Cato, dissuadet ut Appius, persuadet ut Tullius!

Orationum ab eo habitarum mentio fit in his locis:

1. Cic. Brut. c. 64, 229: Hortensius L. Crasso Q. Scævola Coss. primum in foro dixit et apud hos ipsos quidem consules et cum eorum, qui affuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnes intelligentia anteibant, judicio discessit probatus. Undeviginti annos natus erat eo tempore.

Cic. De orat. III, 61, 229, ubi Crassus dicit: Me consule (Hortensius) *in senatu causam defendit Africæ.*

Ex his duobus locis patet, primam causam a Hortensio a. U. 658 actam esse eamque fuisse Africæ. Tum enim undeviginti annos natus erat.

2. Ibid.: Magis etiam excellebat, cum pro *Bithyniæ rege dixit.*

Bithyniæ rege] Nicomede. Ea causa paulo ante belli socialis initium circa annum 662 dicta.

3. Cic. Brut. c. 64, 230: Hortensius non cum suis æqualibus solum, sed et mea cum ætate et cum tua, Brute, et cum aliquanto superiore conjungitur; si quidem et Crasso vivo dicere solebat et magis jam etiam vigebat Antonio et cum Philippo jam sene *pro* 170
Cn. Pompeii bonis dicente in illa causa, adolescens cum esset, princeps fuit.

Cn. Pompeii] a. U. 667 Cn. Pompeius reus factus erat, quod in victoria patris Asculana libros et plagas venatorias munere accepisset. Pighii Annal. vol. III, p. 239.

4. In causa *P. Quinctii contra Ciceronem* dixit a. U. 672. V. Ciceronis orationem pro eo c. 1 et alibi.

5. *Cn. Corn. Dolabellam L. F.*, prætorem Ciliciæ, Hortensius M. Scauro accusante *defendit* a. U. 675. Conf. Luzac. (ex Asconio in Cic. Scaurianam p. 26, Divin. § 24, p. 110 ed. Orell., ubi v. notam Manutii) aut Pighius vol. III, p. 280.

6. *Cn. Corn. Dolabella Cn. F.*, repetundarum accusatus a Jul. Cæsare a. 676 a Hortensio *defenditur*, id quod ex Bruto c. 92, 317, cognoscimus: « Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius: quorum alter remissus et lenis et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam, alter ornatus, acer, et non talis, qualem tu eum, Brute, jam deflorescentem cognovisti, sed verborum et actionis genere commotior. Itaque cum Hortensio magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior et ætate conjunctior. Etenim videram in iisdem causis, ut pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella consulari, cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium. »

7. *Defenderunt* Hortensius et Cotta *M. Canuleium,* qui Dives appellatur, repetundarum reum a. 676. Conf. Cic. loco modo cit.: Pighius vol. III, p. 287.

8. *Terentius Varro,* pecuniarum repetundarum a. 678 accusatus, ab Hortensio ædile *defensus* et absolutus est. Pseudo-Asconius in Divinat. p. 26 edit. Lugd. Bat. 1644 (p. 109 ed. Orell. ubi conf. nott.). V. Pigh. vol. III, p. 299.

9. *C. Verrem defendit* Hortensius contra Ciceronem a. 683. Ejus orationem pro Verre commemorat Quintilianus X, 1, 23: « Illud vero utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumpserimus, et quotiens continget, utrimque habitas le-
171 gere actiones... Quin etiam, si minus pares videbuntur, aliquæ tamen ad cognoscendam litium quæstionem recte inquirentur, ut contra Ciceronis orationes Tuberonis in Ligarium et *Hortensii pro Verre*.

10. *C. Rabirium,* perduellionis reum, cum Cicerone consule a. 690, *defendit* Hortensius. V. Cic. Orat. pro Rab. c. 6.

Charisius p. 100: Hortensii oratio pro C. Rabirio: *Cicatricum mearum,* non *cicatricium.*

11. *L. Murenam* cum Cicerone eodem anno *defendit.*

12. *L. Sullam* una cum Cicerone a. 691 *defendit.* Cic. Orat. pro Sulla c. 4 et 7.

13. *Defenderat* ante causam Sullanam aliquando *L. Vargunteium,* senatorem, de ambitu reum. Cic. Or. pro Sulla c. 2.

14. *L. Valerium Flaccum* una cum Cicerone *defendit* a. 694. Cicero de hac oratione ad Atticum scripsit Epist. II, 25 : « At hercle alter tuus familiaris, Hortalus, quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, cum de Flacci prætura et de illo tempore Allobrogum diceret. » Add. Or. pro Flacco c. 17 et 23.

15. Alium *Valerium Flaccum* eodem anno *defendit.* V. Cic. Epist. ad Att. II, 3.

16. *P. Sestium* cum Cicerone *defendit* a. 697. V. Ciceronis orationem c. 2 et 6.

17. *M. Æmil. Scaurum* cum Cicerone defendit a. 698. V. Asconii Argum. Scaurianæ Cic. p. 20 ed. Orell.

18. Cic. Brut. 96, 328 : Tum Brutus, Ego vero, inquit, Hortensium magnum oratorem semper putavi maximeque probavi *pro Messalla dicentem*, quum tu afuisti. Sic ferunt, inquam, idque declarat totidem, quot dixit, ut ajunt, *scripta* verbis *oratio*.

pro Messala] a. U. 702 M. Valerius Messala, sororis Hortensii filius, qui consul fuerat a. U. 700 et sæpius, ambitus accusatus Hortensio defendente prætor omnium exspectationem absolutus est. Cœlius ad Ciceronem in Epist. ad fam. VIII, 2.

Valerius Max. V, 9, 2 : Q. Hortensii, qui suis temporibus ornamentum Romanæ eloquentiæ fuit, admirabilis in filio patientia exstitit. Cum enim eo usque impietatem ejus suspectam et nequitiam invisam haberet, ut Messallam, sororis suæ filium, heredem habiturus, ambitus reum defendens judicibus diceret, *Si illum damnassent, nihil sibi præter osculum nepotum, in quibus acquiesceret, superfuturum.* Hac scilicet sententia, *quam etiam editæ orationi inseruit,* filium potius in tormentis animi quam in voluptatibus reponens, tamen ne naturæ ordinem confunderet, non 172
nepotes, sed filium heredem reliquit.

19. Cic. Brut. c. 94, 324 : Hortensius quarto et sexagesimo anno perpaucis ante mortem diebus una tecum, Brute, socerum tuum *defendit Appium.* — C. 64, 230 : Hortensius *pro Appio Claudio dixit* paulo ante mortem.

pro Appio Claudio] Appius Claudius Pulcher proconsul, Cicerone successore accepto, e Cilicia a. 702 in urbem reversus, cum triumphum petere vellet, a P. Dolabella (qui postea Ciceronis erat gener) majestatis atque ambitus postulatur. Causam a. U. 703 Hortensius egit perpaucis ante mortem diebus. Cœlius ad Cic. in Epist. ad fam. VIII, 13 et 6.

Addendum est novum Hortensii fragmentum ex Quintiliano VIII, 3, 35 : « *Cervicem* videtur Hortensius primus dixisse: nam veteres pluraliter appellant. Audendum itaque. » Similiter Varro De lingua Lat. 10, 78, p. 588 ed. Speng. : « Adjectum est, non repugnante consuetudine communi ; quod quædam verba contra usum veterem inclinata patietur, ut passa Hortensium dicere pro *hæ cervices, cervix.* » Et ibidem 8, 14, p. 402 : « Ab eo quod alii dicunt, *cervices,* id Ortensius in poematis *cervix.* » (Hunc locum sic legendum esse [temere] monuit Schneider. Grammat. Lat. vol. II, part. 1, p. 407 : *quod al. d. cervices, Hortensius* [sic aliquot codd.] ET *in poematis c.*) Accedit præterea etiam Servii testimonium (ad Virgil. Æn. XI, 496) : « Quidam sane *cervicibus* plurali numero secundum veteres dictum volunt, et Hortensium primum singulari numero *cervicem,* unde Ciceronem III Verrina (c. 19) *cerviculam illum jactaturum* tradunt dixisse. » [Hortensius poemata quoque scripsit : v. Weichert. Reliq. poet. p. 127 et 176. Sed aliud fragmentum, non relatum ab Meyero, quidni ex oratione sit? Priscian. VIII, 4, p. 369 : « Q. Hortensius : *Abusis jam omnibus locis*, καταχρησθέντων. » *Locis* scil. oratoriis.]

[20. Cic. Pro lege Manil. c. 17, 52 : « Nam tu idem, Q. Hortensi, multa... et in senatu *contra* virum fortem *A. Gabinium* graviter ornateque *dixisti,* quum is de uno imperatore contra prædones constituendo legem promulgasset (a. U. 686); et ex hoc ipso loco in rostris permulta item contra legem eam verba fecisti. » Duas igitur orationes contra A. Gabinium habuit, in senatu alteram, alteram ad populum.]

[21. *T. Annium Milonem* una cum Cicerone defendit, anno 701. Ascon. Argum. in Ciceronis Milonianam p. 35 ed. Orell.]

[22. *Marciæ causam* addit Eggerus ex Quintiliani verbis, X, 513 : « Veniat in judicium... Cato Marciam honestene tradiderit Hortensio? »]

LIX. Quinta Hortensia Q. Filia.

Quintil. Inst. I, 1, 6 : Quintæ Hortensiæ, Quinti filiæ, *oratio apud triumviros habita* legitur non tantum in sexus honorem.

Valer. Max. VIII, 3, 3 : Hortensia, Q. Hortensii filia, cum ordo matronarum gravi tributo a triumviris esset oneratus, nec quisquam virorum patrocinium eis accommodare gauderet, causam feminarum apud triumviros et constanter et feliciter egit. Repræsentata enim patris facundia, impetravit, ut major pars imperatæ pecuniæ his remitteretur. Revixit tunc muliebri stirpe Q. Hortensius verbisque filiæ adspiravit.

Dixit orationem Hortensia a. 711, quo Octavianus Lepidus Antoniusque triumviratum constituerant, exstatque apud Appianum in Civil. IV, 32-33 :

Οἱ τρεῖς ἄρχοντες προὔγραφον χιλίας καὶ τετρακοσίας γυναῖκας, αἳ μάλιστα
πλούτῳ διέφερον· καὶ αὐτὰς ἔδει τὰ ὄντα τιμωμένας, ἐσφέρειν ἐς τὰς τοῦ πολέμου
χρείας, ὅσην ἑκάστην οἱ τρεῖς δοκιμάσειαν, ἐπέκειτό τε ταῖς ἀποκρυψαμέναις τι τῶν
ὄντων ἢ τιμησαμέναις κακῶς ἐπιτίμια καὶ τοῖς ταῦτα μηνύουσιν ἐλευθέροις τε καὶ
δούλοις μήνυτρα. Αἱ δὲ γυναῖκες ἔκριναν, τῶν προσηκουσῶν τοῖς ἄρχουσι γυναι-
κῶν δεηθῆναι. Τῆς μὲν δὴ Καίσαρος ἀδελφῆς οὐκ ἀπετύγχανον, οὐδὲ τῆς μητρὸς
᾿Αντωνίου· Φουλβίας δὲ, τῆς γυναικὸς ᾿Αντωνίου, τῶν θυρῶν ἀπωθούμεναι, χαλε-
πῶς τὴν ὕβριν ἤνεγκαν, καὶ ἐς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τὸ βῆμα τῶν ἀρχόντων ὠσάμεναι, 173
διϊσταμένου τοῦ τε δήμου καὶ τῶν δορυφόρων, ἔλεγον, Ὁρτησίας ἐς τοῦτο προκεχει-
ρισμένης· « Ὃ μὲν ἥρμοζε δεομέναις ὑμῶν γυναιξὶ τοιαῖσδε, ἐπὶ τὰς γυναῖκας ὑμῶν
κατεφύγομεν· ὃ δὲ οὐχ ἥρμοζεν ὑπὸ Φουλβίας παθοῦσαι, ἐς τὴν ἀγορὰν συνεώσμεθα
ὑπ᾿ αὐτῆς. Ὑμεῖς δ᾿ ἡμᾶς ἀφείλεσθε μὲν ἤδη γονέας τε καὶ παῖδας καὶ ἄνδρας
καὶ ἀδελφούς· ἐπικαλοῦντες, ὅτι πρὸς αὐτῶν ἠδίκησθε. Εἰ δὲ καὶ τὰ χρήματα προσ-
αφέλοισθε, περιστήσετε εἰς ἀπρέπειαν ἀναξίαν γένους, καὶ τρόπων καὶ φύσεως
γυναικείας. Εἰ μὲν δή τι καὶ πρὸς ἡμῶν, οἷον ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν, ἠδικῆσθαί φατε,
προγράψατε καὶ ἡμᾶς ὡς ἐκείνους· εἰ δὲ οὐδένα ὑμῶν αἱ γυναῖκες οὔτε πολέμιον
ἐψηφισάμεθα, οὔτε καθείλομεν οἰκίαν ἢ στρατὸν διεφθείραμεν, ἢ ἐπηγάγομεν ἕτερον,
ἢ ἀρχῆς ἢ τιμῆς τυχεῖν ἐκωλύσαμεν· τί κοινωνοῦμεν τῶν κολάσεων, αἱ τῶν ἀδικη-
μάτων οὐ μετασχοῦσαι; Τί δὲ ἐσφέρομεν, αἱ μήτε ἀρχῆς, μήτε τιμῆς, μήτε στρα-
τηγίας, μήτε τῆς πολιτείας ὅλως, τῆς ὑμῖν ἐς τοσοῦτον ἤδη κακοῦ περιμαχήτου, με-
τέχουσαι; Ὅτι φατὲ πόλεμον εἶναι; Καὶ πότε οὐ γεγόνασι πόλεμοι; καὶ πότε γυ-
ναες συνήνεγκαν; ἃς ἡ μὲν φύσις ἀπολύει παρὰ ἅπασιν ἀνθρώποις. Αἱ δὲ μητέρες
ἡμῶν ὑπὲρ τὴν φύσιν ἐσήνεγκάν ποτε ἅπαξ, ὅτε ἐκινδυνεύετε περὶ τῇ ἀρχῇ πάσῃ

καὶ περὶ αὐτῇ τῇ πόλει, Καρχηδονίων ἐνοχλούντων· καὶ τότε δὲ ἐσήνεγκαν ἑκοῦσαι· καὶ οὐκ ἀπὸ γῆς ἢ χωρίων ἢ προικὸς ἢ οἰκιῶν, ὧν χωρὶς ἀβίωτόν ἐστιν ἐλευθέραις, ἀλλ᾽ ἀπὸ μόνων τῶν οἴκοι κόσμων οὐδὲ τούτων τιμωμένων, οὐδὲ ὑπὸ μηνυταῖς ἢ κατηγόροις, οὐδὲ πρὸς ἀνάγκην ἢ βίαν, ἀλλ᾽ ὅσον ἐβούλοντο αὐταί. Τίς οὖν καὶ νῦν ἐστὶν ὑμῖν περὶ τῆς ἀρχῆς ἢ περὶ τῆς πατρίδος φόβος; Ἴτω τοίνυν ἢ Κελτῶν πόλεμος ἢ Παρθυαίων, καὶ οὐ χείρους ἐς σωτηρίαν ἐσόμεθα τῶν μητέρων. Ἐς δὲ ἐμφυλίους πολέμους μήτε ἐσενέγκαιμέν ποτε, μήτε συμπράξαιμεν ὑμῖν κατ᾽ ἀλλήλων. Οὐδὲ γὰρ ἐπὶ Καίσαρος ἢ Πομπηΐου συνεφέρομεν, οὐδὲ Μάριος ἡμᾶς, οὐδὲ Κίννας ἠνάγκασεν, οὐδὲ Σύλλας ὁ τυραννήσας τῆς πατρίδος· ὑμεῖς δὲ φατὲ καὶ καθίστασθαι τὴν πολιτείαν. »

174 LX. Servius Sulpicius Rufus. [Ellendt. p. 73-76.]

Consul fuit a. U. 702. Philippicarum Ciceronis nona laudatio est pulcherrima hujus viri.

Cic. Brut. c. 41, 151, et 42 : De Servio dicam quod sentio. Non enim facile quem dixerim plus studii quam illum et ad discendum et adomnes bonarum artium disciplinas adhibuisse... Nam et in iisdem exercitationibus ineunte ætate fuimus, et postea una Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset et doctior, et, inde ut rediit, videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus. Atque haud scio an par principibus esse potuisset; sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium non ejusdem modo ætatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in jure civili esse princeps.... Adjunxit etiam et literarum scientiam et loquendi elegantiam, quæ ex scriptis ejus, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest. »

Supersunt adhuc fragmenta librorum Sulpicii de jure civili apud A. Gellium aliosque auctores : reliquit enim prope centum et octoginta libros, ut Pomponius De orig. jur. Digest. I, 2, 43, scribit.

Quintil. X, 1, 116 : Servius Sulpicius insignem non immerito famam *tribus orationibus* meruit.

tribus orationibus] duæ tantum causæ Servii notæ adhuc sunt, de quibus orationes exstitisse videntur, una pro Aufidia, altera contra L. Murenam.

ORATIO PRO AUFIDIA.

Quintil. IV, 2, 106 : Prosopopœia Servius Sulpicius utitur pro Aufidia : *Somnone te languidum an gravi lethargo putem oppressum ?*

Id. VI, 1, 20 : Sed sæpius id est accusatoris, avertere judicem a miseratione, qua reus sit usurus, atque ad fortiter judicandum concitare. Cujus loci est etiam occupare, quæ dicturum facturumve adversarium putes. Nam et cautiores ad custodiam suæ religionis judices facit et gratiam responsuris aufert, cum ea, quæ prædicta sunt ab accusatore, jam, si pro reo petentur, non sint nova : ut *Servius Sulpicius contra Aufidiam,* ne signatorum, ne ipsius discrimen objiciatur sibi, præmonet.

Id. X, 1, 22 : Illud vero utilissimum, nosse eas causas, quarum 175
orationes in manus sumpserimus, et quoties continget, utrinque habitas legere actiones, ut Demosthenis atque Æschinis inter se contrarias et Servii Sulpicii atque Messalæ, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter.

Festus : *Mancipatus*... [ait Serv.] Sulpicius in ea oratio[ne, quam scripsit et habuit] *pro Aufidia.*

pro Aufidia] cum in Quintil. VI, 1, 20 legamus, accusatorem fuisse in causa Aufidiana Servium Sulpicium, in alio vero loco, X, 1, 22, Messalam contra eum dixisse, index orationis illius fuisse videtur *Oratio Serv. Sulpicii pro Aufidia contra Messalam*, in qua Messala detraxisse aliquid Aufidiæ accusatur, vel, qua accusatione Aufidiam contra Messalam vindicare studuit Sulpicius. Ideo in Quintil. priore loco corrupta verba puto et excidisse aliquid : sic enim legendum est : *Servius Sulpicius pro Aufidia contra Messalam, ne signatorum, ne ipsius discrimen objiciatur sibi, præmonet.* [Huic conjecturæ, et illis quas protulerunt Ellendt. p. 75 et Frotscherus in ed. libri X, p. 27 (*contra Messalam*) Westerm. p. 210 opponit totius loci Quintilianei sententiam, de accusatione, non de defensione loquentis ; Spaldingii judicium merito præferens, errorem scribendi esse existimantis *Servius Sulpicius contra Aufidiam*, pro *Messalla contra Auf.* Nimis denique audacem esse Rob Schneiderum in refingendo hoc loco, Quæst. de Ser. Sulp. R. ICto Rom. Spec. I (Lips. 1834), p. 62.]

Serv. Sulpicius *L. Murenam ambitus accusavit,* Cicerone defendente a. U. 690.

Quintil. X, 7, 30: Feruntur aliorum quoque *commentarii*, et inventi forte, ut eos dicturus quisque composuerat, et in libros digesti: ut causarum, quæ sunt actæ a *Servio Sulpicio,* cujus tres orationes exstant; sed hi de quibus loquor, commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis videantur esse compositi. [De quib. v. Schneider. l. c. p. 64 sq.]

Festus: *Orba*... Servius [Sulpicius ait: *quæ liberos quasi oc*] *ulos orba est*..... *tris est ante*...

Servius Sulpicius] fragmentum videtur ex libris de jure civili.

LXI. C. Licinius Macer.

Cic. Brut. c. 67, 238: C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus. Hujus si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, majus nomen in patronis fuisset. Non erat abundans, non inops tamen; non valde nitens, non plane horrida oratio;
176 vox, gestus et omnis actio sine lepore, at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem majoremque cognoverim, sed eam ut citius veteratoriam quam oratoriam diceres.

Idem Annalium scriptor fuit. Cicero De legg. 1, 2: Quid Macrum numerem? cujus loquacitas habet aliquid argutiarum; nec id tamen ex illa erudita Græcorum copia, sed ex librariolis Latinis; in orationibus autem multas ineptias, elatio summam impudentiam. [V. Krausium Vitt. et fr. hist. p. 234 sqq.; Weichert. in Reliquiis poetar. p. 92-105.]

Restant duo tantum fragmenta ex Macri *orationibus*.

Priscian. X, 7, p. 502: *Verro, verri,* quod et usus comprobat... Licinius Macer *Pro Tuscis: Quos oportuit amissa restituere, hisce etiam reliquias averrerunt.*

hisce] Tuscis, qui in judicio aderant.

Diomed. I, p. 366: *Negligo, neglexi,* sed *Æmilius* Macer: *Omnium vestrum negligerit auctoritatem.*

Æmilius Macer] legendum fortasse *Licinius Macer*. Nunc video præoc-

cupasse jam conjecturam meam Weichertum De Calvo p. 92. [Sed fragmentum est ex XVI libro *Annalium* Macri: v. Priscian. X, 6, p. 496. *Westerm.* p. 229. Ap. Diomedem æque ac Prisc. recte legitur *neglegerit.*]

Oratio C. Macri, tribuni pl. a. U. 679 inter fragmenta Hist. Sallustii III, p. 967, invenitur. [In Sallustio Collect. Panckouck. p. 292-295.] Weichert l. l. p. 103, C. Macrum, historicum et oratorem, neminem alium esse arbitratur, quam virum illum prætorium, quem Cicero, prætor a. U. 687, repetundarum postulaverit, auctore Plutarcho Cicer. c. 9; atque judicium, quod Cicero tum de Macro, tum de filio ejus, C. Licinio Calvo, in Bruto suo tulerit, cupiditatem quandam et animum subiratum prodere, quia accusatio illa Ciceronis, cum prospero careret eventu, et causa fuisset et fons simultatis multarumque inimicitiarum, quas ab eo inde tempore cum filio, clarissimo oratore excercebat.

LXII. Cn. Dolabella.

Sueton. Cæs. c. 49: Prætereo Dolabellæ et Curionis actiones, in quibus eum Dolabella *pellicem reginæ, spondam interiorem regiæ lecticæ* dicit.

Cn. Dolabella] Cn. Dolabellam, consulem a. 672 intelligo, quem Cæsar adolescentulus repetundarum postulavit a. 676, ut paullo post videbimus. Liberatus est judicio patrocinio Hortensii et Cottæ. Filius ejus P. Corn. Dolabella, Cos. a. 709, gener fuit Ciceronis.

LXIII. C. Memmius L. F. 177

Lucius Memmius, pater, in Bruto memoratur c. 36. C. Memmius, de quo supra dictum est, avunculus fuit.

Cic. Brut. c. 70, 217: C. Memmius L. F., perfectus literis, sed Græcis, fastidiosus sane Latinarum, argutus orator verbisque dulcis, sed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem, tantum sibi de facultate detraxit, quantum imminuit industriæ.

Servius ad Virg. Æn. I, 161: C. Memmius *de triumpho Luculliano IIII: Inque luxuriosissimis Asiæ oppidis consedisse.*

Lucculliano] sic scripsi pro *Lucilliano* quod vulgo legitur; Burmannus proposuit *Luculli*. Conf. Ernesti ad Tacit. Ann. xi, 32. [Ita scriptum in Fuldensi cod.: *Luciliaca IIII* i. e. *lucili asatici*, pro *Luculli Asiatici*, sive potius, *Asiatico* (triumpho).]

Serv. ad Æn. IV, 261: Gaius Memmius *de triumpho Luculli: Syriaci calceoli, gemmarum stellati coloribus.*

de triumpho Luculli] C. Memmius L. F., tribunus plebis a. U. 687, ædilis plebis a. 690, Lucullorum inimicus, triennium L. Luculli, viri proconsularis, impediverat triumphum, qui illo anno tandem (690) a populo permittebatur. Plut. Lucull. c. 37. Cicero ad Atticum (I, 18) scribit: *M. Luculli uxorem* Memmius *suis sacris initiavit. Menelaus ægre id passus, divortium fecit. Quamquam ille pastor Idæus Menelaum solum contempserat, hic noster Paris tam Menelaum quam Agamemnonem liberum non putavit.*

[Alius locus ipsa Memmii verba referens, fieri potest ut ad hunc Memmium pertineat: Priscian VIII, 4, p. 372: C. Memmius: *Quam stulte conficta, quam aperte sunt ementita*, ἐψευσμένα.]

Sueton. Cæs. c. 73: Simultates contra nullas tam graves excepit umquam, ut non occasione oblata libens deponeret. C. Memmii, cujus *asperrimis orationibus* non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit.

Ibid. c. 23: Cæsar functus consulatu, C. Memmio, L. Domiti prætoribus de superioris anni actis referentibus, cognitionem senatui detulit; nec illo suscipiente, triduoque per irritas altercationes absumpto in provinciam abiit.

prætoribus] a. U. 695. Orationes igitur Memmii adversus Cæsarem eo anno sunt habitæ.

Ibid. c. 49: C. Memmius etiam *ad cyathum et vinum Nicomedi stetisse* objecit *cum reliquis exoletis, pleno convivio, accubantibus nonnullis urbicis negotiatoribus*, quorum refert nomina.

objecit] In orationibus, quas in Cæsarem scripsit.

178 Velius Longus De orthogr. p. 2244: Hoc *lutum* atque *macellum* singulariter exire memento, licet Memmius *ista macella* dicat, et Cæsar, *luta*.

LXIV. C. Julius Cæsar.
[Ellendt. p. 90.]

Cic. Brut. c. 71, 250: Cæsar lectis utitur verbis et frequentibus, et splendore vocis et dignitate motus fit speciosum et illustre, quod dicitur; omniaque sic suppetunt, ut ei nullam deesse virtutem oratoris putem. — C. 74, 258: Solum et quasi fundamentum oratoris in Cæsare vides, locutionem emendatam et latinam. — C. 75, 261: Splendidam quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo. Orationes quidem ejus mihi vehementer probantur, complures autem legi.

Dial. de oratt. c. 21: Concedamus sane C. Cæsari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit, quam divinum ejus ingenium postulabat: tam hercule, quam Brutum philosophiæ suæ relinquamus. Nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores ejus fatentur.

Quintil. X, 1, 114: C. Cæsar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cujus proprie studiosus fuit, elegantia.

Emporius Rhetor p. 310 ed. Capper.: Ab institutione (Cæsaris), quam plurimam in facundia et dicendi studio fuisse probet, itemque culpabitur, quod adeo non adeptus sit formam oratoriæ facultatis, ut eum Græcæ orationis expertem fuisse manifestum sit.

Fronto Epist. ad Verum Imp. p. 181 ed. Rom.: Cæsari quidem facultatem dicendi video imperatoriam fuisse.

1-3. ORATIONES IN CN. CORN. DOLABELLAM.

Asconius in Cic. Scaurianam p. 210 ed. Beier. (p. 26 ed. Orell.): Ne forte erretis et eumdem hunc *Cn. Dolabellam* putetis esse, *in quem C. Cæsaris orationes legitis,* scire vos oportet, duos eodem

179 tempore fuisse et prænomine et nomine et cognomine Dolabellas. Horum igitur alterum Cæsar accusavit nec damnavit, alterum M. Scaurus accusavit et damnavit.

Gellius IV, 16: Cæsar in Dolabellam actionis III: *Ibi isti, quorum in ædibus fanisque posita, et honori erant et ornatu...*

actionis III] i. e. actionis tertio libro. Cod. Regius habet *actionis in libuisti* [immo *libusti*] *quorum*. Gronovius emendat [presse sequens optimi Regii ductus]: *Actionis III lib. I: Isti, quorum*. Legendum fortasse: *Actionis III lib. II: Ista, deorum in ædibus fanisque posita, et honori erant et ornatu*. Ante *ista* supplendum *simulacra*. *Ornatu* pro *ornatui*; v. Gell. l. c.

Auctor. Dial. de oratt. c. 34: Uno et vicesimo ætatis anno Cæsar Dolabellam insecutus est.

uno et vigesimo] In numero mendum est, ut observat Wesseling. in Observatt. p. 222. Osann. ad h. l., Cæsarem annum 23 vel 24 agentem accusasse Dolabellam ratus, pro *uno* correxit *III°* vel *IIII°*. Nihil mutandum censeo, cum errores ejus generis non solum in veteribus scriptoribus, sed in accuratissimis quoque nostrorum temporum interdum reperiantur. Nec cum errorem commisit auctor, qualem illum commisisse dicit Osannus. Aberravit enim uno tantum anno: Cæsar a. U. 654 natus Cn. Corn. Dolabellam postulavit repetundarum a. 676: tum igitur annum vigesimum secundum agebat. Conf. Pighius Annal. vol. III, p. 286. Quintil. XII, 6, 1: *Calvus, Cæsar, Pollio multum ante quæstoriam omnes ætatem gravissima judicia susceperunt.*

Suet. Cæs. c. 4: Composita seditione civili Corn. Dolabellam, consularem et triumphalem virum, repetundarum postulavit absolutoque Rhodum secedere statuit.

absoluto] extorqueri sibi causam optimam C. Cottæ patrocinio, Cæsar dixit: Valer. Max. VIII, 9, 3. Hortensius quoque inter patronos Dolabellæ erat: Cic. Brut. c. 92. Conf. Vellei. II, 43.

Suet. Cæs. c. 55: Eloquentia militarique arte aut æquavit præstantissimorum gloriam aut excessit. Post accusationem Dolabellæ haud dubie principibus patronis annumeratus est.

Emporius Rhetor p. 311 ed. Capper.: Tum facta omnia (Cæsaris) quæcumque poterunt, in partem utramque ducentur. Dicetur enim accusatione Dolabellæ famam magnæ eloquentiæ consecutus, negabitur eamdem meruisse, cum is, quem accusabat, evaserit.

Baumgarten-Crusius suspicatur, *Divinationem* Cæsaris, quæ a Suetonio in illo loco, quem p. 182 citabo, affertur, procœmium fuisse causæ in Dolabellam.

4. ORATIO PRO GRÆCIS.

A. U. 677 causam Græcorum agit Cæsar apud Lucullum prætorem accusatque Antonium. Asconius ad Cic. Orat. in toga candida (p. 522 ed. Orelli): « Deinde Græci, qui spoliati erant, eduxerunt Antonium in jus ad M. Lucullum prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat. Egit pro Græcis etiam tum adolescentulus, de quo paulo ante mentionem fecimus. » Mutila sunt hæc verba. Scripserat (ut vidit Manutius): *Egit pro Græcis C. Cæsar, etiam tum adolescentulus*. Res est ex Asconio manifesta. Plutarchus (Cæs. c. 4) hanc et superiorem accusationem postponit Cæsaris Rhodiaco itineri. Minus haud dubie recte. Hoc anno Antonium esse accusatum inde apparet, quod is Asconio teste sexennio post a censoribus Gellio et Lentulo senatu sit motus. Illi vero censuram administrarunt anno 683. — Hæc Wesseling. in Observatt. p. 223. Pighius quoque Annal. vol. III, p. 292, idem observavit: « Deest in Asconii loco *C. Cæsaris* nomen. »

etiam tum adolescentulus] intelligendus est J. Cæsar, de quo modo Asconius locutus erat, nec inserendum puto hoc nomen, quod Asconius a studiosis illorum temporum facile intelligi posse putabat. Cæsar tum annos 23 natus erat.

5. ORATIO PRO BITHYNIS.

Gellius V, 13: C. Cæsar pontifex maximus in oratione, quam pro Bithynis dixit, hoc principio usus est: *Vel pro hospitio regis Nicomedis vel pro horum necessitate, quorum res agitur, defugere hoc munus, M. Vinici, non potui. Nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin a proximis retineatur, neque clientes sine summa infamia deseri possunt, quibus etiam præ propinquis nostris opem ferre instituimus.*

M. Vinici] Pighius ad a. U. 697, p. 380, dicit, C. Memmium L. F. repetundarum ex Bithynia reum, a J. Cæsare absente per literas accusatum fuisse, ex quo verisimile sit, in Gellio *Memmi* corrigendum. [Nihil opus

esse correctione videtur: potuit accusare Cæsar Memmium pro Bithy-
nis, prætore vel quæstionis præside, vel contrastante patrono aliquo
181 Vinicio. *Egger.*] Cæsarem autem et Memmium multas simultates inter
se exercuisse, supra vidimus in C. Memmio oratore. Præturam Bithy-
niam et Pontum sortitus erat C. Memmius L. F. a. U. 695. [Codd. hic
turbant; Regius antiquus *M. Vince*; alii *M. Unite, M. Vincere*; ed. vet.
Mumi Vinici. Gellii interpretes fere in *M. Vinici* consentiunt.]

etiam a proquinquis] locus corruptus, ut contextus docet. Gellius enim hoc loco Cæsaris probare studet, a majoribus apud Romanos fuisse institutum, primum clienti, tum cognato opem ferendam esse. Gronovius emendat *quibus ante propinquos nostros op. f. inst.*; ego malo *quibus etiam præ propinquis nostris.* [Optime; et hoc posuimus.]

Rufinian. p. 201 ed. Ruhnk.: Cæsar pro Bithynis: *Quid ergo? Syngraphæ non sunt, sed res aliena est.*

Suetonius quoque Cæs. c. 49 mentionem facit causæ Cæsaris, in qua Nysam vel Musam, filiam Nicomedis, in senatu defendit, nec a verisimilitudine prorsus abhorret, apud Gellium et Suetonium eamdem significari causam. Nunc, postquam jam diu hoc scripsissem, Baumgarten-Crusium in eadem sententia stare video.

6. CONCIO PRO ROGATIONE PLOTIA.

Suet. Cæs. c. 5: L. Cinnæ, uxoris fratri, et qui cum eo civili discordia Lepidum secuti, post necem consulis ad Sertorium confugerant, reditum in civitatem rogatione Plotia confecit, habuitque et ipse super ea re concionem.

rogatione Plotia] Baumgarten-Crusius adnotavit: *Egit Plautius s. Plotius tr. pl. hac rogatione de reducendo L. Cinna exule, nec confundendæ ejusdem leges de vi et judiciaria.* Recte hanc rogationem ab aliis Plotii tribuni pl. distingui jubet, nec in eodem tribunatu lex de Cinna restituendo et ceteræ Plotii leges latæ esse possunt. Nam eo anno, cum Plotius tribunus pl. erat, anno Urbis 664, Cæsar non plus decem annos habuit: ex quo sequitur, tum eum illam rogationem suadere non potuisse. Quod fortasse causa fuit, cur Pighius Ann. vol. III, p. 228 fragmentum hujus orationis, quod in Gellio legitur, non C. Jul. Cæsari Dictatori, sed C. Jul. Cæsari Straboni L. F. vindicet. Alius tribunus pl. A. Plotius Silvanus a. U. 697 in Fastis memoratur. Res ergo prorsus incerta est.

Gellius XIII, 3: In oratione C. Cæsaris, *qua Plautiam roga-*

tionem suasit, verba hæc sunt : *Equidem mihi videor pro nostra necessitate non labore, non opera, non industria defuisse.*

Idem fragmentum apud Nonium exstat p. 354, 10, s. v. *Necessitas*, i. e. necessitudo, jus affinitatis, ut ibi Gellius.

7-9. ORATIONES IN C. MEMMIUM ET L. DOMITIUM. 182

Scholiasta Ambrosianus ad Cicer. Orat. pro Sextio c. 18, 2, (p. 297 ed. Orell.) : De actis loquitur (Cicero), quæ habuit in consulatu C. Cæsar inauspicato, ut videbatur : qua de re adversus eum egerant in senatu *C. Memmius* et *L. Domitius* prætores et *ipsius Cæsaris orationes contra hos exstant*, quibus et sua acta defendit et illos insectatur.

Sueton. Cæs. c. 23 : Functus consulatu Cæsar C. Memmio Lucioque Domitio prætoribus de superioris anni actis referentibus cognitionem senatui detulit, nec illo suscipiente triduoque per irritas altercationes absumpto in provinciam abiit.

Scholiasta Ambros. ad Cic. Or. in Vatinium c. 6, 3 (p. 317) : Commiserat senatui causam suam C. Cæsar, id est, ut de lege agraria patres judicarent. Ibi enim habitæ sunt *tres illæ orationes contra Domitium et Memmium.*

Causa in annum U. c. 695 incidit. C. Memmius orator et inimicus Cæsaris supra laudatus est.

Suet. Cæs. c. 55 : Genus eloquentiæ duntaxat adolescens adhuc Strabonis Cæsaris secutus videtur, cujus etiam ex oratione, quæ inscribitur *Pro Sardis*, ad verbum nonnulla transtulit *in Divinationem* (10) *suam. Orationes aliquas reliquit, inter quas temere quædam feruntur. Pro Q. Metello* (11) non immerito Augustus existimat magis ab actuariis exceptam male subsequentibus verba dicentis quam ab ipso editam. Nam in quibusdam exemplaribus invenio, ne inscriptam quidem *Pro Metello* sed *quam scripsit Metello,* cum ex persona Cæsaris sermo sit, Metellum seque adversus communium obtrectatorum criminationes purgantis. *Apud milites* quoque *in Hispania* idem Augustus orationem esse vix ipsius putat, quæ tamen duplex (12 et 13) fertur, una quasi

priore habita prœlio, altera posteriore, quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit subita hostium incursione.

Strabonis Cæsaris] C. Jul. Cæsar Strabo, de quo supra dictum est, p. 160 sq. Levi errore ipsi Julio Dictatori Divo vindicavit hanc orationem nuper Krausius in libro De fontibus Suetonii p. 9.

183 *in Divinationem*] quam habuit ante ipsam in Dolabellam actionem. Hunc autem pluribus orationibus a Cæsare petitum esse, docent Asconius et Gellius. Male inter fragmenta Cæsaris liber ejus *De Divinatione* refertur. *Baumgarten-Crusius.*

quam scripsit Metello] i. e. quam in judicio habendam Metello scripsit: sed Cæsar ipse in ea pro Metello loquitur.

14. CONCIO AD MILITES.

Suet. Cæs. c. 66: Convocatis ad contionem militibus, *Scitote,* inquit, *paucissimis his diebus regem* (Jubam) *affuturum cum decem legionibus, equitum triginta, levis armaturæ centum millibus, elephantis trecentis. Perinde desinant quidam quærere ultra aut opinari, mihique, qui compertum habeo, credant, aut quidem vetustissima nave impositos quocumque vento in quascumque terras jubebo avehi.*

Diomed. I, p. 395: *Frustro* ait C. Cæsar *apud milites* de commodis eorum: *Non frustrabo vos, milites.*

apud milites] Ellendtius id fragmentum ex ficta Cæsaris oratione *apud milites* sumptum putat.

Suet. Cæs. c. 6: Quæstor *Juliam amitam uxoremque Corneliam* defunctas *laudavit* (15 et 16) e more pro rostris. Sed in amitæ quidem Laudatione de ejus ac patris sui utraque origine sic refert: *Amitæ meæ Juliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus conjunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater, a Venere Julii, cujus gentis familia est nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et cærimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.*

Quæstor] Vellei. II, 43, 4: *Prætura quæsturaque mirabili virtute atque*

industria obita in Hispania, cum esset quæstor sub Vetere Antistio. — Sed annum quæsturæ nemo adhuc indicavit. Julius Celsus vel potius Petrarcha in Vita Cæsaris cap. 11 dicit : *His exactis Romam rediit, primusque illi honos fuit tribunatus militum, in quo quidem imminutam a Sylla tribunitiam potestatem restituere summo studio nisus est. Inde quæstor ulteriorem sortitus Hispaniam.* — Restituit autem tribunitiam potestatem a. U. 683.

a Venere] Respicit hunc locum Velleius II, 41.

Auct. Dial. de oratt. c. 21 : In orationibus minorem esse Cæsa- 184
rem fama sua etiam admiratores ejus fatentur, nec fere quisquam aut *Cæsaris pro Decio Samnite* (17) aut *Bruti pro Deiotaro rege* ceterosque ejusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur.

Inter fragmenta orationum Cæsaris, quæ Oudendorpius collegit, errore Oratio quædam *pro Sextilio* adscripta est : C. enim Cæsar, qui pro Sextilio dixerat, non C. Jul. Cæsar, de quo hic agitur, est, sed C. Julius Cæsar Strabo, cujus mors in Cicer. libro De orat. III, 3, 10, narratur. Vide supra p. 162.

Oratio Cæsaris De conjuratis apud Sallustium Catil. c. 51 legitur. [Conf. Cic. Epp. ad Att. XII, 22. *Egger.*— Alius orationis mentionem addit Idem, ap. Cic. Epp. ad div. IV, 4, ad Servium Sulpicium : « De Marcelli, collegæ tui, salute paulo ante quam tu cognovimus : etiam mehercule, quemadmodum ea res ageretur vidimus. Nam sic fere existimes : post has miserias, id est postquam armis disceptari cœptum est de jure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam et ipse Cæsar, accusata acerbitate Marcelli (sic enim appellabat) laudataque honorificentissime et æquitate tua et prudentia, repente præter spem dixit : *Se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum.* »]

Velius Longus De orthogr. p. 2244 : *Lutum* atque *macellum* singulariter exire memento, licet *Memmius ista macella* dicat et *Cæsar luta.*

Epist. M. Aurel. Cæsaris ad Frontonem (I, 9, p. 21 ed. Rom.) : Materiam cruentam misisti mihi, necdum legi Cœlianum excerptum, quod misisti, nec legam prius quam sensus ipse venatus fuero. *Sed me Cæsaris oratio uncis unguibus attinet.* Nunc denique sentio, quantum operis sit, ternos vel quinos versus in die ornare et aliquid diu scribere.

LXV. M. Favonius.

Cum locus ex oratione Favorini, veteris oratoris, de cœnarum atque luxuriæ opprobratione, qua usus est, quum legem Liciniam de sumptu minuendo suasit, apud Gellium memoretur, omnes inquisiverunt sedulo editores, quis ille sit Favorinus: nemini tamen contigit afferre aliquid de hoc scriptore lucis. Nam in lege Licinia de sumptu minuendo, quæ a Macrobio et Gellio laudatur, Favorini nulla fit mentio. Obiter autem occasione oblata moneo, annum, quo ea lex sit lata, vario modo a viris doctis constitui. Gronovius enim ad Gell. II, 24, anno 666 eam assignat [non 666 dicit, ut typographi ipsius posuerunt, sed 656, cum addat consulatum C. Licinii Crassi et Cn. Cornelii Lentuli], Bachius in Hist. Jurispr. p. 165 ad annum 657 [656?] eam refert, Pighius ad annum 647, Freinshemius denique (vide Supplementa Liviana in l. LXIV, c. 52) ad annum 642. Nuper Fr.
185 Wüllnerus in Commentat. de Lævio poeta (*Allgem. Schulzeitung* 1830, *Decemb.* n. 155) statuit, P. Licinium Crassum in prætura, quam anno 650 gessit (ut ex Pighii Annalibus vol. III, p. 156 apparet) legem sumptuariam tulisse. Legem Liciniam ideo a Crasso prætore latam esse dicit, quia Macrobius Sat. II, 13, plerasque leges sumptuarias a prætoribus aut tribunis plebis promulgatas tradiderit: nullam tamen reliquam esse, quam a prætore promulgatam esse dicamus, præter Liciniam; cum deinde Lucilius in carminibus suis Liciniam legem significaret, isque secundum Hieronymi testimonium (Chronic. Euseb. ad Ol. CLXIX, 2) anno U. 651 Neapoli diem obiisset, necessario statuendum esse, ante illud tempus legem Liciniam sancitam fuisse. Sed ad propositum nostrum revertamur. Favorini illis temporibus nusquam mentio facta est, atque adeo nomen a progenie Romana abhorret. Pithœus *Fannii* nomen *Favorino* prætulit, præsertim cum Fannius ipse antea, ut constat, legem sumptuariam dedisset: verum neque apud scriptores memoratur, Fannium Liciniam quoque legem sumptuariam suasisse, nec annorum spatium permittit, Fannium, qui in consulatu suo anno U. 592 legem dederat, fuisse legis Liciniæ suasorem, quæ anno circiter 650, post Fanniam septem et quinquaginta annos, lata

est. Gronovius in *Favorini* nomine *P. Augurini* latere judicat: is P. Minucius Augurinus non minus ignotus est quam Favorinus ipse. Postremo in Salmasiano exemplari aliquis apposuit *an Favonii?* «Nomen profecto bene notum, sed de quo nullus firmaverit, et tamen propterea notabile, quia Mich. Virdungus ad Agricolam Taciti ita prorsus citat», ut Gronovius ait. Atque in ea conjectura acquiesco, mutato *Favorini* nomine in *Favonium*, quamquam leve tantum hujus opinionis argumentum me afferre posse fateor. M. Licinius Crassus et Cn. Pompeius Magnus Coss. anno U. 698 inter alias leges sumptuariam quoque promulgabant, quam tamen ultro postea abjecere, cum a Q. Hortensio impugnaretur. Eam rogationem, quæ Licinia lex appellari poterat, suasisse M. Favonium, tribunum plebis ejusdem anni, ex Gellio cum aliqua probabilitatis specie conjicere possumus. Is est idem 186
Favonius, de quo Cicero Epist. ad Atticum II, 1 scripsit: *Favonius meam tribum tulit honestius, Lucceii perdidit. Accusavit Nasicam inhoneste, ac modeste tamen dixit, ita ut Rhodi videretur* molis *potius quam* Moloni *operam dedisse.* Argumentum autem, in quo nitimur, suppeditat Dio Cassius XXXIX, 37: Ὅ τε Πομπήϊος καὶ ὁ Κράσσος ὕπατοι ἐπεχείρησαν τὰ ἀναλώματα τὴν δίαιταν ἐπὶ μακρότατον προσηγμένα συστεῖλαι, καίπερ ἐς πᾶν αὐτοὶ καὶ τρυφῆς καὶ ἁβρότητος προκεχωρηκότες· ἐκωλύθησαν δὲ ὑπ' αὐτοῦ τούτου, τοῦ διανομοθετῆσαι. Ὁ γὰρ Ὁρτήσιος φιλανάλωτος ἐν τοῖς μάλιστα ὢν, ἔπεισεν αὐτούς, τό τε μέγεθος τῆς πόλεως διεξιών, καὶ ἐπί τε τῇ οἴκοι πολυτελείᾳ καὶ ἐπὶ τῇ ἐς τοὺς ἄλλους μεγαλοφροσύνῃ ἐπαινῶν, καταβαλεῖν τὴν γνώμην, ἅτε καὶ συναγωνιστῇ τῶν λόγων τῷ βίῳ σφῶν χρώμενος· τήν τε γὰρ ἐναντίωσιν αἰδεσθέντες, καὶ προσέτι καὶ κατοκνήσαντες, φθόνῳ τινὶ τοὺς ἄλλους, ὧν αὐτοὶ ἐποιοῦντο, δοκεῖν ἀπείργειν, ἑκόντες ἀφῆκαν τὴν ἐσήγησιν. Conf. Pighius Ann. vol. III, p. 386.

Nunc Gellii locum orationis expromere licet.

Gellius XV, 8: Quum legeremus orationem veterem Favorini, non indiserti viri, quam orationem totam, ut meminisse possemus, odio hercule istiusmodi sumptus atque victus perdidicimus. Verba hæc, quæ apposuimus, Favorini sunt: *Præfecti popinæ atque luxuriæ negant cœnam lautam esse, nisi, cum libentissime edis, tum auferatur et alia esca melior atque amplior succenturietur. Is nunc flos cœnæ habetur inter istos, quibus sumptus et fastidium pro facetiis procedit: qui negant ullam avem præter ficedulam totam comesse oportere, ceterarum avium atque alti-*

lium, nisi tantum apponatur, ut a cluniculis inferiori parte saturi fiant, convivium putant inopia sordere: superiorem partem avium atque altilium qui edunt, eos palatum non habere. Si pro portione luxuria pergit crescere, quid relinquitur, nisi uti delibari sibi cœnas jubeant, ne edendo defetigentur, quando stratus auro, ar-
187 *gento, purpura amplior aliquot hominibus quam diis immortalibus adornatur?*

* *nisi, cum*] Reg. alter a sec. m. *nisi* SI, *cum*, sine dubio e collatione antiquioris ms.

fastidium] Scaliger ad Festum s. v. *cupes* p. 106: *Fastidium* vulgus Gallorum dicit *friandize* et fastidiosus *friand*, italice *giotto* a glutiendo.

pro facetiis procedit] pro lautitia habetur.

**palatum non habere*] negatio in nullo codice habetur. Gronov. *p. haud habere*, negatione sequenti vocabulo ob similitudinem absorpta.

* *defetigentur*] ita cod. Reg. et duo alii ap. Gronov. Vulgo *defat.*

quando] siquidem, ἐπειδή. De re ipsa v. not. Gronovii.

LXVI. L. Lucceius.

L. Lucceius in petendo consulatu repulsam tulit anno U. 694, ut ex Suetonii Jul. Cæsare c. 19 et Cic. Epist. ad Atticum I, 17 cognoscimus. Cicero ab eo consulatum suum scribi frustra petivit. Vid. Cic. Epist. ad fam. V, 10.

Asconius in Orat. Cic. contra C. Antonium in toga candida p. 93 ed. Orell.: Dicit (Cicero) Catilinam adulterium commisisse cum ea, quæ ei postea socrus fuit, et ex eo stupro duxisse uxorem, cum filia ejus esset. Hæc Lucceius quoque Catilinæ objicit *in orationibus, quas in eum scripsit.*

Huc pertinet alius Asconii locus, qui paulo superius legitur: Hujus criminis periculum, quod objicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit. Post effecta enim comitia consularia et Catilinæ repulsam fecit eum reum inter sicarios *L. Lucceius* paratus eruditusque, qui postea consulatum quoque petiit.

fecit eum reum] a. U. 689.

L. Lucceius] Editio princeps *Lucrecius*, alii *Lucullus*. Optime ex superiore loco correctum est a Crevierio *L. Lucceius*.

LXVII. C. Antonius.

C. Antonius Ciceronis fuit collega in consulatu a. 690.

Asconius ad Cic. Orat. in toga candida contra C. Antonium et L. Catilinam p. 95 ed. Orelli: Huic orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt; quod solum poterant, invecti in novitatem ejus. *Feruntur quoque orationes nomine illorum editæ, non ab ipsis scriptæ, sed ab Ciceronis obtrectatoribus,* quas nescio an satius sit ignorare.

orationi Ciceronis] quam a. 690 habuit adversus competitores illos consulatus.

Est igitur probabile, locum ex oratione Antonii contra Cice- 188
ronem sumptum, qui a Quintiliano IX, 3, 94, laudatur, partem esse fictæ illius Antonii orationis. Qua de re erudite, at malignius in Quintilianum disputavit Madvigius De Asconio p. 75.

Locus Quintiliani hic est: Προσαπόδοσιν dicit, quæ ut maxime servetur sane in pluribus propositis, quia aut singulis statim ratio subjiciatur, ut est apud C. Antonium: *Sed neque accusatorem eum metuo, qui sum innocens; neque competitorem vereor, qui sum Antonius; neque consulem spero, qui est Cicero.*

LXVIII. L. Sergius Catilina.

Ferebatur sub ejus nomine oratio adversus Ciceronem dicta, cujus argumentum in superiore oratore tractavimus. [Recentiori ævo fictæ sunt duæ *responsivæ invectivæ in Ciceronem*, quæ in Sallustii ed. Ascenciana Lugd. 1519, 4, exstare dicuntur. Alteram Const. Felicius Durantius suæ de conjuratione Catilinaria narrationi inseruit, p. 93-97 in Sallustio Cortiano; e cod. sæc. XV edidit Schœttgen. Analectt. ex omni meliorum litt. genere (Lips. 1725) vol. II, p. 441-52. Conf. F. A. Wolf. ad Cic. Orat. pro Marcello p. XXX. *Westerm.*]

LXIX et LXX. Metelli, Celer et Nepos.

Cic. Brut. c. 70, 217: Duo Metelli Celer et Nepos, nihil in causis versati, nec sine ingenio nec indocti, hoc erant populare dicendi genus assecuti.

Cic. ad Atticum scribit (Epist. VI, 3, 10): *Orationem Q. Celeris* mihi velim mittas *contra M. Servilium*.

Q. Celeris] qui consul fuit a. 693.

M. Servilium] M. Servilius Geminus tribunus pl. a. 693 de repetundis accusatus. Conf. Cic. Epist. ad fam. VIII, 8. Commemorat eum Cicero cum irrisione in Brut. c. 77, 269.

Cicero (Epist. ad Fam. V, 4) Q. Cæcilio Metello Nepoti consuli (a. 696) scribit: Nunc mihi Quintus frater meus *mitissimam tuam orationem, quam in seuatu habuisses*, perscripsit.

Orationes Q. Metelli Celeris et Q. Metelli Nepotis libro Muciani, quem mox in *Cn. Pompeio* commemorabimus, insertæ fuerunt.

LXXI. Appius Claudius Pulcher A. F.

Consul fuit a. U. 669.

Cic. Brut. c. 77, 269: Appius Claudius, socer tuus, Brute, collega et familiaris meus: hic jam et satis studiosus et valde
189 cum doctus, tum etiam exercitatus orator, et cum auguralis, tum omnis publici juris antiquitatisque nostræ bene peritus fuit.

Cic. Ep. ad fam. III, 11, 4: Augurales libros ad commune utriusque nostrum otium serva; ego enim, cum tua promissa per literas flagitabam, ad urbem te otiosissimum esse arbitrabar. Nunc tamen, ut ipse polliceris, pro auguralibus libris *orationes tuas confectas omnes exspectabo*.

Appius accusavit Gabinium in senatu (Cic. Epist. ad Q. Frat. III, 2), deinde Milonem (Asconius p. 42 ed. Orell., ubi « Appius major »), postulatur a M. Cœlio (Cic. Ep. ad fam. VIII, 12). Ex auguralibus ejus libris fragmenta supersunt apud Festum.

LXXII. M. Porcius Cato Uticensis.

Cic. Brut. c. 31, 118: Quam hoc idem in nostris contingere intelligo, quod in Græcis, ut omnes fere Stoici prudentissimi in disserendo sint, et id arte faciant sintque architecti pæne ver-

borum, iidem traducti a disputando ad dicendum inopes reperiantur. Unum excipio *Catonem*, in quo perfectissimo Stoico summam eloquentiam non desiderem.

Orationum Catonis una tantum memoriæ tradita esse fertur, quam habuit in senatu contra Jul. Cæsarem, cum de sociis conjurationis Catilinariæ quæreretur.

Plut. Cat. min. c. 23 : Τοῦτον μόνον, ὧν Κάτων εἶπε, διασώζεσθαι φασὶ τὸν λόγον, Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος, ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν, εἶτ' ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος. Οὔπω γὰρ ἤσκουν, οὐδ' ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους, ἀλλὰ τότε πρῶτον εἰς ἴχνος τι καταστῆναι λέγουσιν. [Ingenium eloquentiæ ipsius exponit Plut. c. 4 ; verba facientem inducit capp. 5, 43, 44, 51, 59, 67. *Westerm.*]

Exstat apud Sallustium oratio Catonis in Cæsarem, Catil. c. 52, præclaro historici ingenio sane dignissima.

LXXIII. Cn. Pompeius Magnus.

Cic. Brut. c. 68, 239 : Meus æqualis, Cn. Pompeius, vir ad omnia summa natus, majorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum majoris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. 190
Erat oratione satis amplus, rem prudenter videbat, actio vero ejus habebat et in voce magnum splendorem et in motu summam dignitatem. [Adde Or. pro Sest. c. 50 ; Pro Balbo c. 1, 7. Paucæ erant ejus orationes : v. Plut. Pomp. c. 23. *Westerm.*]

Orationes Cn. Pompeium reliquisse, testimonio auctoris Dialogi de oratt. c. 37 comprobare possumus :

« Nescio an venerint in manus vestras hæc vetera, quæ et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a *Muciano* contrahuntur ac jam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus epistolarum composita et edita sunt. Ex iis intelligi potest, *Cn. Pompeium* et *M. Crassum* non viribus modo et armis, sed ingenio quoque et oratione valuisse, *Lentulos* et *Metellos* et *Lucullos* et *Curiones* et ceteram procerum manum multum in his studiis operæ curæque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum. »

hæc vetera] i. e. vetera Romanæ eloquentiæ monumenta.

a Muciano] Licinius Mucianus, quo familiarissime usus est Vespasianus. Conf. intt. ad Tacit. Hist. II, 5.

contrahuntur] eo ipso tempore, quo hic Dialogus scriptus est, Mucianus illo opere occupatus erat.

Actorum] nescio an *Actionum* sit legendum.

Valer. Max. VIII, 14, 3 : Ne Pompeius quidem Magnus ab hoc affectu gloriæ aversus, qui Theophanem Mitylenæum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit : beneficium per se amplum accurata etiam et testata oratione prosecutus.

* *in concione*] Julius Paris legit, LAUDATUM *in conc.*

Plut. Pomp. c. 54: Πομπήϊος εἶπέ ποτε δημηγορῶν, ὅτι πᾶσαν ἀρχὴν λάβοι πρότερον ἢ προσεδόκησε, καὶ κατάθοιτο θᾶττον ἢ προσεδοκήθη.

Causam egit Pompeius Magnus *pro L. Libone contra Helvium Manciam*, Formianum, Libertini filium, apud Censores (Valer. Max. VIII, 2, 8) a. U. 692.

LXXIV. M. Crassus.

M. Licinius Crassus consul fuit a. U. 683 et 698.

191 Cic. Brut. 65, 233 : M. Crassus, qui fuit æqualis Hortensii, mediocriter a doctrina instructus, angustius etiam a natura, labore et industria et quod adhibebat ad obtinendas causas curam etiam et gratiam, in principibus patronis aliquot annos fuit. In hujus oratione sermo latinus erat, verba non abjecta, res compositæ diligenter; nullus flos tamen neque lumen ullum, animi magna, vocis parva contentio, omnia fere ut similiter atque uno modo dicerentur.

Vellei. II, 36 : Quis ignorat, diremptos gradibus ætatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, saneque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum et proximum Ciceroni Cæsarem, eorumque velut alumnos, Corvinum ac Pollionem Asinium.

saneque Crassum] i. e. M. Crassum, aliqua saltem laude dignum quanquam non in principibus fuerit. Sic defendit Ellendt. in Historia Eloq. codicis Velleiani lectionem contra conjecturas VV. DD. Porro est intelligendus M. Cato Uticensis et Serv. Sulpicius Rufus. Velleius et Cicero

mediocrem tribuunt M. Crasso eloquentiam. [De qua videndus etiam Plutarchus Vita Crassi c. 3.]

Muciani operi orationes M. Crassi insertæ fuerunt, ut ex loco Dialogi de oratt., quem modo attulimus, patet. M. Licinius Crassus una cum Cicerone M. Cœlium defendit, et ex illius oratione hoc a Cicerone (Pro Cœlio c. 8) affertur : *Quo loco possum dicere id, quod M. Crassus, vir clarissimus, cum de adventu regis Ptolemæi quereretur, paulo ante dixit :* Utinamne in nemore Pelio... *ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret.* Nam nunquam hera errans *hanc molestiam nobis exhiberet,* Medea animo ægra, amore sævo saucia. — *Sic enim, judices, reperietis, quod, cum ad id loci venero, ostendam, hanc Palatinam Medeam migrationemque huic adolescenti causam malorum omnium sive potius sermonum fuisse.* Præterea una cum Cicerone juvit L. Corn. Balbum (v. Ciceronis orationem c. 7) et L. Murenam (Cic. or. c. 23).

LXXV et LXXVI. Cn. et P. Lentuli.

Intelligo Cn. Corn. Lentulum Clodianum, consulem a. U. 687, censorem 684, et P. Lentulum Suram, consulem a. 682.

Cic. Brut. c. 66, 234 : *Cn. Lentulus* multo majorem opinionem 192
dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat: qui cum esset nec peracutus, quamquam et ex facie et ex vultu videbatur, nec abundans verbis (etsi fallebat in eo ipso), sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora admirantes irretiebat, capiebatque in agendo, ut ea, quæ deerant, non desiderarentur. Ita tanquam Curio copia nonnulla verborum, nullo alio bono tenuit oratorum locum, sic Cn. Lentulus ceterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit, in qua excellens fuit; neque multo secus *P. Lentulus,* cujus et excogitandi et loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas, corporis motus plenus et artis et venustatis, vocis et suavitas et magnitudo : sic in hoc nihil præter actionem fuit, cetera etiam minora quam in superiore.

Ib. c. 64, 230 : Hortensius suos inter æquales M. Pisonem, M. Crassum, Cn. Lentulum, P. Lentulum Suram longe præstitit.

Ib. c, 90, 308 : Oratorum aut interitu aut discessu aut fuga (nam aberant etiam adolescentes M. Crassus et Lentuli duo) primas in causis agebat Hortensius.

Exstabant orationes Cn. et P. Lentulorum in Muciani opere, ut ex Dialogi de oratt. bis jam laudato loco discimus. Cum vero in Dialogo de oratoribus universe *Lentulorum* fiat mentio, eaque gens magnum oratorum numerum tulerit, quæri potest, qui potissimum sint intelligendi, præsertim cum in Bruto Ciceronis c. 77, 268, alii etiam duo Lentuli, P. Lentulus Spinther et L. Lentulus Cruscellus recenseantur : attamen illos intelligere malim, quos supra dixi, cum majorem eloquentiæ famam sint consecuti.

LXXVII et LXXVIII. L. et M. Luculli.

Cic. Brut. c. 62, 222: L. Lucullum etiam acutum oratorem... et M. Lucullum... abducamus ex acie, id est, a judiciis et in præsidiis reipublicæ, cui facile satisfacere possint, collocemus.

193 L. Licinius Lucullus consul fuit a. 679, annoque insequenti frater ejus, M. Terentius Varro Lucullus.

In opere Muciani Lucullorum quoque orationes legebantur, ut vidimus in loco Dialogi de oratt. , quem in Cn. Pompeio laudavimus.

LXXIX. P. Cominius. (Et T. Accius.)

Cic. Brut. c. 78, 271: Ne hos quidem equites Romanos, amicos nostros (prætereo), qui nuper mortui sunt, P. Cominium Spoletinum, *quo accusante* defendi *C. Cornelium*, in quo et compositum dicendi genus et acre et expeditum fuit: T. Accium Pisaurensem, cujus *accusationi* respondi pro *A. Cluentio.*

Asconius ad Orat. Cicer. pro Cornelio in Argumento p. 62 ed. Orell.: *Exstat* oratio Cominii accusatoris, quam sumere in manus est aliquod operæ pretium, non solum propter Ciceronis orationes, quas pro Cornelio habemus, sed etiam propter semetipsam.

oratio Cominii] recepi conjecturam Orellii. Vulgo absurde *oratio hominis*.
Cominius accusavit Cornelium a. 688.

LXXX. M. Cœlius Rufus.
[Ellendt. p. 78-83.]

Natus est anno U. 672.

Cic. Brut. c. 79, 273: Ejus actionem multum et splendida et grandis et eadem in primis faceta et perurbana commendabat oratio. Graves ejus conciones aliquot fuerunt, acres accusationes tres, eæque omnes ex reipublicæ contentione susceptæ; defensiones, etsi illa erant in eo meliora, quæ dixi, non contemnendæ tamen saneque tolerabiles.

conciones] ut Concio de aquis apud populum a. U. 703, quo ædilis erat curulis, habita.

accusationes tres] duæ sunt notæ, tertia dubia. Accusavit C. Antonium a. U. 694, Pighio auctore, atque L. Sempronium Atratinum, de ambitu. Quo anno autem hunc reum fecerit, incertum. (De his v. Ellendt. p. 81 sq.) Alii annum 698 statuunt, anno antequam ab illius filio ipse postularetur, Ellendt. hunc jam ante C. Antonium accusasse suspicatus est. De tertia accusatione, de qua Cicero dixit, non constat: alii D. Lælium, qui in fragmentis Cœlii memoratur, intelligendum putant, Ellendt. vero significari Q. Pompeium Rufum, tribunum plebis a. 701 in causa Miloniana seditiosissimum, credit, testimonio nixus Valerii Maximi IV, 2, 7: *Cœlii Rufi ut vita inquinata, ita misericordia, quam Q. Pompeio* 194
præstitit, probanda; cui a se publica quæstione prostrato, cum mater Cornelia fidei commissa prædia non redderet, atque iste auxilium suum literis implorasset, pertinacissime absenti adfuit. Ruhnkenius cum in Plinio H. N. XXVII, 2, in illum locum incideret: *Constat omnium venenorum ocissimum esse aconitum, et tactis quoque genitalibus feminini sexus animalium eodem die inferre mortem. Hoc fuit venenum, quo interemptas dormientes a Calpurnio Bestia uxores M. Cæcilius accusator objecit. Hinc illa atrox peroratio ejus in digitum,* correxit *M. Cœlius*, ita ut ea accusatio, quæ in a. U. 697 incidit (Philipp. II, 5; Ep. ad Q. Fr. II, 3), pro tertia haberi posset. Sed Ellendt. hanc conjecturam ex Cœliana oratione Ciceronis c. 32 refellit, in qua legimus: *Habet a M. Cœlio respublica duas accusationes vel obsides periculi vel pignora benevolentiæ.* Sic tertiam Cœlii accusationem post a. 699, quo Cicero eum defendit, factam esse oportet.

defensiones] ut Pro se de vi contra Atratinum filium.

Dial. de oratt. c. 21: Quid ex *Cœlianis* orationibus? nempe eæ placent, si non universæ, at partes earum, in quibus nitorem

et altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem illæ verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem, nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Cœlium ex ea parte laudet, qua antiquus est.

Quintil. X, 1, 115 : Multum ingenii in Cœlio, et præcipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir, cui et mens melior et vita longior contigisset.

mens melior] vide Ciceronis Brut. c. 79.

Id. X, 2, 25 : Sed non qui maxime imitandus, et solus imitandus est. Quid ergo ? non est satis omnia sic dicere, quomodo M. Tullius dixit ? Mihi quidem satis esset, si omnia assequi possem. Quid tamen noceret, vim *Cæsaris,* asperitatem *Cœlii,* diligentiam *Pollionis*, judicium *Calvi* quibusdam in locis assumere ?

ORATIO PRO SE DE VI.

Festus : *Oreæ,* freni, quod ori inferuntur... *Cœlius pro se apud populum : Equusque mihi sub feminibus occisus erat*, *oreas detraho inspectante Lucio Stertinio*.

195 *Cœlius*] Ellendt. Hist. Eloq. l. cit. emendat *Cato*, cum apud populum ea ætate nemo amplius pro se diceret, nisi perduellionis reus. Ac melius sane sententia cadit in Catonis orationem de consulatu suo, in qua ea narrantur, quæ Cato strenue ac fortiter in bellis gesserit. L. autem Stertinius is est, qui a. U. 554 proconsul Hispaniam ulteriorem extra ordinem obtinuit usque ad annum 557. [Probat etiam Westerm. p. 209.] — Spalding. vero ad Quint. XI, 1, 51, orationis esse putat, quam Cœlius *pro se de vi* habuit.

equusque] Scaliger *equus, qui*. Ab Ant. Augustino emendatur *equo*, *qui*.

Sueton. De clar. rhett. c. 2 : L. Plotium Gallum M. Cœlius in oratione, quam *pro se de vi* habuit, significat *dictasse Atratino, accusatori suo, actionem, subtractoque nomine hordearium eum rhetorem appellat, deridens ut inflatum ac levem et sordidum.*

pro se de vi] causam dixit Cœlius a. 699, L. Ahenobarbo, Ap. Claudio Coss., apud prætorem Cn. Domitium (conf. Cic. Epp. ad Q. fratr. II, 13). Partem defensionis Cicero susceperat, cujus oratio pro M. Cœlio exstat, in quaque etiam de Cœlii amoribus et de Clodia dicitur.

Atratino] Eusebii Chronicon ad Ol. 189 : *Atratinus, qui septendecim annos natus Cœlium accusaverat*, *clarus inter oratores habetur* : *ad*

extremum morborum tædio in balneo voluntate exanimatus heredem reliquit Augustum.

Quintil. VIII, 6, 53 : Hæc allegoria, quæ est obscurior, ænigma dicitur : quo utuntur et oratores nonnunquam, ut Cœlius *quadrantariam Clytæmnestram* et *in triclinio coam, in cubiculo nolam.*

Cœlius] in oratione *pro se de vi* in Clodiam, Metelli uxorem, invehitur.

coam... nolam] Eichstadtius illustrat locum in Programmate 1824 Jenæ edito : *Unam* Coam *dixit feminam, alteram* Nolam *(quasi ex* Co *insula*, *et* Nola, *urbe Campaniæ, oriundas), eo quidem sensu, quem Gesnerus et Spaldingius aperuit. Sed verum est, quod Spaldingius monuit, miram esse et infrequentem* quadrantariæ *injuriam, ut eadem sit* nola. *Adjicere poterat, feminam procacem lascivamque in triclinio et ad* πρᾶγμα *tantum allicientem ne dici quidem posse* coam. *Itaque transponenda esse censeo verba* : *et* in triclinio Nolam (*quæ nolle se simulat*), in cubiculo Coam (*quæ lubenter coit*).

Idem XI, 1, 51 : Mire M. Cœlius in *defensione causæ, qua reus de vi* fuit : *Ne cui vestrum atque etiam omnium, qui ad rem agendam assunt, meus aut vultus molestior aut vox immoderatior aliqua aut denique, quod minimum est, jactantior gestus fuisse videatur.* 196

minimum] sic scripsi. Vulgo *nimium*. Illud probavit etiam Zumptius.

Id. I, 6, 29 : Etymologia habet aliquando usum necessarium, quoties interpretatione res, de qua quæritur, eget, ut M. Cœlius *se esse hominem* frugi *vult probare,* non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidem poterat), sed *quia utilis multis, id est, fructuosus, unde sit ducta* frugalitas.

M. Cœlius] Spalding. ad II, 1, 51 ex oratione, quam *pro se de vi* contra C. Sempronium Atratinum habuit, sumptum suspicatur.

ORATIO IN ANTONIUM.

C. Antonius, Ciceronis in consulatu collega, proconsul reversus ex Macedonia, et Catilinariæ conjurationis et majestatis reus factus a M. Cœlio a. U. 694. Conf. Cic. Or. pro Cœlio c. 31; Schol. Ambros. ad Cicer. Or. in Vatinium c. 11, p. 321, pro Flacco 2, 5, p. 229 ed. Orell.

Quintil. IV, 2, 123: Multum confert adjecta veris credibilis rerum imago, quæ velut in rem præsentem perducere audientes videtur: qualis est illa M. Cœlii in Antonium descriptio: *Namque ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis præcordiis stertentem, ructuosos spiritus geminare, præclarasque contubernales ab omnibus spondis transversas incubare et reliquas circumjacere passim, quæ tamen exanimatæ terrore hostium adventu percepto excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, frustra a cervicibus tollebant, blandius alia ad aurem invocabat, vehementius etiam nonnulla feriebat; quarum cum omnium vocem tactumque noscitaret, proximæ cujusque collum amplexu petebat, neque dormire excitatus, neque vigilare ebrius poterat; sed semisomno sopore inter manus centurionum concubinarumque jactabatur.*

Idem M. Cœlii locus a Saresberiensi in Policrat. p. 607 affertur. [V. præter Spalding. ad l. Quint., P. Victorium Varr. Lect. XXII, 5. Colorem duxisse videtur hic locus ex Lycone quodam, cujus fragmentum pro χαρακτηρισμοῦ exemplo exstat in Rutilio Lupo p. 100. *Ellendt.*]

Quintil. IX, 3, 58: Cœlius in Antonium: *Stupere gaudio Græcus.* Simul auditur *cœpit.*

---

197 Quintil. VI, 3, 39: Narrare, quæ salsa sint, in primis est subtile et oratorium, ut *M. Cœlius de illa D. Lælii collegæque ejus in provinciam festinantium contentione.* 41: Et Cœlius cum omnia venustissime finxit, tum illud ultimum: *Hic subsecutus quomodo transierit, utrum rate an piscatorio navigio, nemo sciebat. Siculi quidem, ut sunt lascivi et dicaces, aiebant in delphino sedisse et sic tamquam Ariona transvectum.*

Hic subsecutus] Incertum fragmentum.

D. Lælii] utrum ea pars fuerit orationis Cœlii, an D. Lælium aliquando accusaverit Cœlius, non constat. D. Lælius Balbus tribunus pl. fuit a. U. 699, quo anno M. Cœlius ab Atratino in jus vocatus est. Pighius Annal. vol. III, p. 400. C. Lælium Balbum intelligit, quem eo ipso anno quæstorem in Sicilia fuisse dicit.

CONCIO DE AQUIS.

Frontin. De Aquæduct. c. 76, p. 127 ed. Adler. : Ac de vitiis ejusmodi (i. e. de fraude aquariorum) nec plura nec meliora dici possunt, quam a Cœlio Rufo dicta sunt in *ea concione, cui titulus est De aquis.*

concio] quam habuit ædilis curulis a. U. 703. Conf. Cœlii Epist. ad Cicer. VIII, 6 : *Sed dici non potest, quomodo hic omnia jaceant. Nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset.*

Quintil. I, 6, 42 : Neque *tuburcinabundum* et *lurcinabundum* jam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor ; nec *hos lodices,* quamquam id Pollioni placeat ; nec *gladiola,* atqui Messala dixit; nec *parricidatum,* quod in Cœlio vix tolerabile videtur, nec *collos* mihi Calvus persuaserit.

in Cœlio] *M. Cœlium Rufum,* oratorem, non *Cœlium Antipatrum,* historicum, intelligendum ex eo probabile est, quod conjungitur cum æqualibus suis, Pollione, Messala, Calvo, ut contra Spaldingium recte animadvertit Ellendt.

Rufinianus p. 211 : Apophonema sententia responsiva ut apud Cœlium : *Fac velis, perficies.*

Cœlium] Ruhnkenius emendat *Cæcilium,* intelligitque poetam.

Priscian. VI, 1, p. 221 : Cœlius : *Nullæ nationi tot, tantas, tam continuas victorias, tam brevi spatio datas arbitror quam vobis.* 198

Cœlius] Krehl. in Indice Auctorum Cœlio Historico id tribuit, sed Ruhnkenius ad Vellei. II, 68 ex oratione *M. Cœlii ad Quirites* sumptum vere judicavit. Ellendt. concioni *de aquis ad populum* tribuit. Codd. fere præbent *Cæcilius.*

Diomedes p. 41 ed. 1526 : *Hietare* et *hiatare* veteres dixerunt. Cœlius : *Sequere tu me, qui mihi oscitans hietansque astas.*

Cœlius] antiquitatis et obsoletorum vocabulorum maximus fuit amator, ut ex ejus Epistolis quoque ad Ciceronem intelligitur.

Priscian. VIII, 4, p. 370 : Cœlius : *Ex scriptis eorum, qui veri arbitrantur,* passive ὑπολαμβάνονται.

Cœlius] hic dubito, cui potius, oratori an historico, id sit vindicandum. Editores Fragm. historicorum Antipatro id tribuunt.

Priscian. XIII, 3, p. 566 ed. Krehl., p. 960 ed. Putsch. : *M. Cœlius* de vestitu et vehiculis : *Nam perinjurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur ; ubi datus siet, tum uti eos mutem atque alii modi siem.*

M. Cœlius] temere hic locus M. Cœlio tribuitur tum a Ruhnkenio ad Velleium II, 68, tum a Krehlio : Catonis enim est (ut Ellendtius recte vidit) et ex censoria oratione desumptus, quod ex aliis Prisciani locis et ex ipso orationis colore et argumento perspici potest. Quare inter Catonis orationes supra retulimus p. 38.

Barth. Adversaria XXXVIII, 14, p. 1748: Ex Lexico vetere Terentiano : « Adjuvant sermonem ex abundanti addita. Cœlius : *Hæc caterva plena gladiatorum cum suum sibi alium socium socius.*

Cœlius] Barth. l. l. p. 1750 : *Cœlii,* inquit, *verba ita legenda videntur : « Hæc paterna pœna gladiatorum, consumit suum sibi alium socium socius. » In membranis scriptum fuit primo* Cæcilius, *sed duæ literæ erasæ atque expunctæ sunt. Ego nihilominus* Cæcilio *magis convenire quam Cœlio arbitror.*

Quintil. I, 5, 61 : Ne in *a* quidem atque *s* literas exire temere masculina Græca nomina recto casu patiebantur, ideoque et apud *Cœlium* legimus *Pelia cincinnatus* et apud *Messalam, Bene fecit Euthia* et apud *Ciceronem, Hermagora,* ne miremur, quod ab antiquorum plerisque *Aenea et Anchisa* sit dictus.

196 *Cœlium*] Cœlius, Messala, Cicero in hoc loco antiquis Romonorum scriptoribus opponuntur, ita ut pateat, non *Cœlium Antipatrum,* historicum, qui ipse ex numero antiquorum est, intelligi posse, sed multo recentiorem illum *M. Cœlium Rufum,* æqualem Ciceronis atque Messalæ. — Is in oratione quadam Romanorum principum nescio quem *Peliam cincinnatum* salse vocavit, ut Cicero facete *Romulus Arpinas* dicebatur, quia post conjurationem Catilinæ detectam æque de Roma se meritum esse atque Romulum, primum urbis fundatorem, gloriatus est.

LXXXI. M. Cæcilius.

Plin. H. N. XXVII, 2 : Constat, omnium venenorum ocissimum esse aconitum, et tactis quoque genitalibus feminini sexus animalium eodem die inferre mortem. Hoc fuit venenum, quo interemptas dormientes a Calpurnio Bestia uxores *M. Cæcilius* accusator objecit. Hinc illa atrox peroratio ejus in digitum.

M. Cæcilius] Ruhnkenius correxit *M. Cœlius*, ut modo diximus in Argumento M. Cœlii Rufi, adnotatione secunda : cum autem prorsus ignotum sit, Calpurnium Bestiam a M. Cœlio Rufo veneficii accusatum esse, malui utrumque oratorem seorsum tractare. Nec tamen magis probare possumus, quis sit ille M. Cæcilius, de quo Plinius loquitur, quam illud, quod Ruhnkenius voluit, quamvis satis sit probabile. Nam M. Cœlius accusator vulgo nominabatur. Calpurnius quidem Bestia a. 697 a nescio quo ambitus reus est factus Cicerone defendente. Cic. Epist. ad Quintum Fr. II, 3.

LXXXII. M. Calidius.
[Ellendt. p. 76 sq.]

Cic. Brut. c. 79, 274 : M. Calidius non fuit orator unus e multis, potius inter multos prope singularis fuit; ita reconditas exquisitasque sententias mollis et pellucens vestiebat oratio. Nihil tam tenerum quam illius comprehensio verborum, nihil tam flexibile, nihil, quod magis ipsius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris æque in potestate fuerit : quæ primum ita pura erat, ut nihil liquidius; ita libere fluebat, ut nusquam adhæresceret; nullum nisi loco positum et tamquam in vermiculato emblemate, ut ait Lucilius, structum verbum videres; nec vero ullum aut durum aut insolens aut humile aut longius ductum; ac non propria verba rerum, sed pleraque tralata, sic tamen, ut ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum diceres.

Cap. 80, 276 : Sed cum a nobis paulo ante dictum sit, tria 200
videri esse, quæ orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moveret : duo summe tenuit, ut et rem illustraret disserendo et animos eorum, qui audirent, devinciret voluptate; aberat tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos : nec erat ulla vis atque contentio.

Festus : *Sufes* dic[tus Pœnorum mag]istratus. Calidius in *oratione* [*in Q. Cæci*]*lium : Nonne vobis, j*[*udices, ignem*] *et fumus prosequi et* [*fiamma*] *videtur? Senatus cens*[*uit referentibus*] *sufetis.*

Q. Cæcilium] legendum fortasse *in Q. Gallium.* [Recte; *Cæcil.* ab instauratoribus Festi est.]

Sufetis] pro Sufetibus. In codice Basileensi Epitomes Festi Paulinæ legitur : *Sufes consul lingua Pœnorum. Cecilius inquit, Senatus censuit referentibus suffetis.* [At alii codd. ap. Lindemannum recte *Calidius.*]

Cic. Brut. c. 80, 277 : Memini, cum Calidius *in accusatione sua Q. Gallio* crimini dedisset, sibi eum venenum paravisse, idque a se esse deprehensum seseque chirographa, testificationes, indicia, quæstiones manifestam rem deferre diceret, deque eo crimine accurate et exquisite disputavisset, me in respondendo, cum essem argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipsum etiam posuisse pro argumento, quod ille, cum pestem capitis sui, cum indicia mortis se comperisse manifesto et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter.

Q. Gallio] Calidius accusavit Q. Gallium a. U. 689, Supersunt fragmenta ex Ciceronis Oratione pro Q. Gallio, ex quibus causæ naturam cognoscere possumus. Cicero tum consulatus candidatus fuit.

Fragmentum ejusdem orationis exstat apud Nonium, quamquam ibi index orationis alius est, et legitur *Claudius in Q. Gallum;* ea de re jam supra *in Claudio Quadrigario* p. 167 locuti sumus.

In Cic. Epist. ad Famil. VIII, 9, Cœlius Ciceroni : *Calidius in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus.*

in defensione] cum accusatus erat a Galliis, duobus fratribus a. U. 702. Cic. Epist. ad Fam. VIII, 4.

in accusatione] cum ipse accusarat Q. Gallium a. U. 689.

201 *De domo Ciceronis* dixit Calidius exercitationis gratia, ut in Quintil. X, 1, 23, legimus.

de domo Ciceronis] vid. Markland. ad Cicer. Oratt. IV, præfat. p. LXVIII ed. Wolf. et Garaton. ad Orat. de harusp. resp. c. 6.

LXXXIII. C. Licinius Calvus.
[Ellendt. p. 83-89.]

Calvus filius fuit C. Licinii Macri, de quo supra diximus.

Cic. Brut. c. 82, 283 : Calvus orator fuisset cum literis eruditior quam Curio (i. e. Curio C. filius), tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus : quod quamquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se atque ipse sese observans metuensque, ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque ejus oratio nimia religione attenuata doctis et attente audientibus erat illustris, a multitudine autem et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur.

Quintil. X, 1, 115 : Inveni, qui Calvum præferrent omnibus, inveni, qui Ciceroni crederent, eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse. Sed est et sancta et gravis oratio et custodita et frequenter vehemens quoque. Imitator autem est Atticorum, fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus sibi, non si quid detracturus fuit.

Dial. dè oratt. c. 18 : Calvus Ciceroni visus est exsanguis et attritus.

ORATIONES IN VATINIUM.

Dialog. de oratt. c. 34 : Altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multo ætate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.

Vatinium] de ambitu reum fecit a. U. 698, ut Weichert. in eleganti dissertatione de Calvo (Reliq. poetar.) p. 109 demonstravit. Quum a. U. 671 natus esset, septimo et vigesimo ætatis anno illam causam egisse eum constat. Eodem die genitus est Calvus cum M. Cœlio Rufo, oratore, ut Plin. dicit H. N. VII, 49 (conf. Ruhnk. ad Vellei. II, 68, p. 297), et Schol. Ambros. Cic. in Vatinium 13, 3. Ellendt. bis ab eodem Calvo Vatinium postulatum putat, primamque actionum anno 695 fuisse majestatis, rursum accusatum esse de ambitu a. 699 et defensum a Cicerone rogatu Pompeii; secundam igitur in Vatinium orationem,

202 præcipuis veterum laudibus celebratam, ad ambitus judicium pertinere, cum prima fuisset de majestate.

Seneca Controv. III, 19: Calvus qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuit, usque eo violentus accusator et concitatus fuit, ut in media actione ejus surgeret Vatinius reus et exclamaret: *Rogo vos, judices; num, si iste disertus est, ideo me damnari oportet?*

Dial. de orat. c. 21: Ipse mihi Calvus, cum unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satisfacit, nec dissentire ceteros ab hoc meo judicio video. Quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum legit? At hercule in omnium studiosorum manibus versantur *accusationes*, quæ *in Vatinium* inscribuntur, ac præcipue secunda ex his oratio. Est enim verbis ornata et sententiis, auribus judicum accommodata, ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse, quid melius esset, nec voluntatem ei, quo sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse.

Jul. Severianus p. 342 ed. Capper.: Livorem simul movemus cum odio, ut Calvus in Vatinium, cum dicit: *Hominem nostræ civitatis audacissimum de factione, divitem, sordidum, maledicum accusabo.*

accusabo] correxit Ruhnkenius ad Rutilium p. 184 vulgatum *accusato*.

Aquila Romanus c. 40, p. 183: Egregie et, ut mihi videtur, feliciter Licinius Calvus in Vatinium: *Non ergo pecuniarum magis repetundarum quam majestatis, neque majestatis magis quam Plautiæ legis, neque Plautiæ legis magis quam ambitus, neque ambitus magis quam omnium legum omnia judicia perierunt.*

Idem fragmentum in Quintiliano IX, 3, 56, et Diomede II, p. 443 legimus; in posteriore autem loco vitiose *Gallus*, non *Calvus* nominatur.

pecuniarum magis] *magis pec.* Quintil.

omnia] abest a Quintil.

perierunt] per Vatinium.

203 Quintil. IX, 2, 25: Calvus Vatinio: *Perfrica frontem, et dic te digniorem, qui prætor fieres, quam Catonem.*

Eadem verba invenimus apud Isidori Origg. II, 21, 30. [Ubi nunc editum ex cod. Guelferb.: *Perfrica faciem*: sed antiquissimi Parisini *frontem* præbent, et *in Vatinium*. P. Victorium Varr. Lectt. VIII, 6, citat Ellendt.]

Catonem] M. Cato et Vatinius competitores ambo fuerunt præturæ anno U. 698, quam Vatinius obtinuit; Cato vero repulsam tulit. Confer Weichertii doctam adnotationem l. l. p. 113.

Quintil. VI, 1, 13: In Vatinium Calvus: *Factum ambitum, scitis omnes, et hoc vos scire, omnes sciunt.*

scitis] judices.

Idem fragmentum in Senecæ Epist. XCIV, legimus: Illa hoc loco in Vatinium Calvi repetunda sententia est: *Factum ambitum, scitis: et hoc vos scire, omnes sciunt.*

Charis. II, p. 198: Calvus in Vatinium: *Vehementissime probare,* pro fortissime.

Charis. II, p. 203: Lic. Calvus in Fuscinium, ambitus reum: *At ita mihi Jovem deosque immortales velim bene fecisse, judices, ut ego pro certo habeo, si parvuli de ambitu judicarent.*

in Fuscinium] legendum *in Vatinium*, ut jam Nicolaus Loensis, quem Ruhnkenius in Addendis ad Rutilium p. 276 laudavit, Ellendt. et Weichertus perspexerunt.

judicarent] supplendum est: *hunc Vatinium condemnatum iri.*

CALVUS IN ASITIUM.

Inscriptio orationis in Dialogo de oratt. c. 21, quem locum supra proposui, legitur. Thorbecke in Comment. de Asinio Pollione p. 79: « Schultingius, ait, conjiciebat *Calvi ista in Asinium* (i. e. in Asinium Pollionem). Facilis mutatio videtur, nec tamen ulla alia se probabilitate commendans. Tota sensus ratio obscurius nomen poscit; igitur malimus *Asidium* legere, ut intelligatur *Sabinus Asidius*, venustissimus inter rhetores scurra, cujus sententia referatur a Seneca Suasor. II, p. 18. »— Weichert. l. l. p. 112 adnotat: «Fortasse ex Senecæ loco Controv. III, 19, scribendum est *in Messium* pro *in Asitium*: quæ conje-

ctura non vereor, ne infelicior Mureti, Lipsii et Schurzfleischii
204 opinationibus censeatur.» At Seneca tradit Calvum *pro Messio*,
non *in Messium* dixisse, ita ut Weichertii conjectura minus probabilis esse videatur. Orellius in Addendis ad Dialog. de oratt. pag. LXVII pro *Asitium* legendum putat cum Mureto *Ascitium*, ut in Cic. Pro Cælio c. 10 legitur.

CALVUS PRO MESSIO.

Seneca Controv. III, 19: Compositio quoque Calvi in actionibus ad exemplum Demosthenis riget, nihil in illa placidum, nihil lene est, omnia et citata et fluctuantia. Hic tamen *in epilogo, quem pro Messio, tunc tertio causam dicente, habuit,* non tantum leniter componit, sed etiam dicit: *Credite mihi, non est turpe misereri,* et omnia in illo epilogo fere non tantum emollitæ compositionis sunt, sed infractæ.

Messius sine dubio C. Messius tribunus pl. est anno U. 696, qui ob rogationem de revocando Tullio promulgatam laudatur in Orat. post red. in sen. c. 8. Fuit et hic Pompeii familiaris, ut apparet ex Cic. Ep. ad Att. VIII, 11. Hæc Weichert l. l. pag. 112. Ellendt. autem Messii causam eamdem esse dicit, quam etiam Cicero defenderit ad prætorem P. Isauricum anno 699. (Ep. ad Attic. IV, 15.)

ORATIO PRO C. CATONE.

Inscriptio exstat apud Senec. Controv. IV, 19: Calvus cum videret, a clientibus Catonis, rei sui, Pollionem Asinium circumventum in foro Cæsaris, imponi se supra cippum jussit (erat enim parvulus statura, propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis vocat illum Salaputium disertum) et juravit, si quam injuriam Cato Pollioni Asinio accusatori suo fecisset, se in eum juraturum calumniam, nec unquam postea Pollio a Catone advocatisque ejus aut re aut verbo violatus est.

Oratio pro C. Catone] C. Catonem, M. Catonis affinem, nullius consilii adolescentem, Asinius Pollio 22 annos natus duplici actione de tribu-
205 natu postulavit a. U. 699, ut probavit Thorbecke in Commentat. de Asinio Pollione p. 56 sqq. Vid. Dial. de oratt. c. 34.

Salaputium] conf. Weichert. in libro de Calvo.

ORATIO IN DRUSUM.

Oratio in Dialogo de oratt. 21, laudatur. Weichert. dicit l. l. p. 112: « Drusum suspicor fuisse illum, quem a Lucretio reum de prævaricatione factum Cicero a se defensum scribit Attico Ep. iv, 16. Hic Drusus fuit familiaris Pompeii, ut ex Ep. ad Att. 11, 7, discimus, ubi Pisaurensis nominatus et cum epulone Vatinio subcontumeliose componitur. Defendit eum Cicero, ut scribit ad Atticum Ep. iv, 15, post Messium e legatione Cæsaris revocatum. Druso Calvus litem intulit cum Cicerone, faciliori Pompeii familiarum patrono, congressus. »

Schol. Ambros. ad Cic. Or. p. Sestio in argumento, p. 292 ed. Orell.: Causam Sestii præter Ciceronem plurimi defenderunt, in queis fuit *Q. Hortensius, M. Crassus, L.* (C. ?) *Licinius Calvus* partibus inter se distributis, quas in agendo tuerentur.

LXXXIV. M. Junius Brutus. [Ellendt. p. 90-92.]

Natus a. U. 668. Cic. Brut. c. 94.

Cic. Brut. c. 6: Scio te Bruti dolentem vicem quasi deflevisse judiciorum vastitatem et fori. Nam mihi, Brute, in te intuenti crebro in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando sit habitura tua et natura admirabilis et exquisita doctrina et singularis industria. Cum enim in maximis causis versatus esses et cum tibi ætas nostra jam cederet fascesque summitteret, subito in civitate cum alia ceciderunt, tum etiam ea ipsa, de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit. — Conf. c. 97.

Dialog. de oratt. c. 21: Brutum philosophiæ suæ relinquamus. Nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores ejus fatentur, nec fere quisquam aut Cæsaris pro Decio Samnite 206
aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque ejusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorumdem miratur.

Ib. c. 18: Brutus Ciceroni visus est otiosus atque disjunctus.

Quintil. X, 1, 123: Egregius philosophus multoque quam in orationibus præstantior Brutus, suffecit ponderi rerum; scias eum sentire, quid dicat.

Id. IX, 4, 76 : Senarios Brutus ipso componendi ductus studio sæpissime facit.

Tacit. Annal. IV, 34 : Cremutius in defensione Cordi, *Antonii*, inquit, *epistolæ, Bruti conciones falsa quidem in Augustum probra et multa cum acerbitate habent. Sed ipse divus Julius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere.*

reliquere] non delerunt scripta eorum.

ORATIO PRO DEIOTARO REGE.

Cic. Brut. c. 5, 21 : Erat a me mentio facta, *causam Deiotari*, fidelissimi atque optimi regis, ornatissime et copiosissime a Bruto me audisse *defensam*.— Conf. c. 94.

Hæc oratio est Nicææ dicta in Bithynia a. U. 706. [Ut verisimile sit fuisse Brutum in iis hospitibus et amicis Deiotari, quorum precibus motus Cæsar regi ignovisse dicitur ab Hirtio Bell. Alex. c. 68, 3. Alia causa est quam Cicero dixit a. U. 708, cum illa gesta sit a 706, Cæsare post bellum Alexandrinum in Asiam profecto. De ea Aper in Dial. de oratt. l. c. *Ellendt.*] Cic. Ep. ad Attic. XIV, 1, et Plut. Brut. c. 6.

ORATIO IN CONCIONE CAPITOLINA HABITA.

Cic. Ep. ad Att. XV, 1 (B) : Brutus noster misit ad me *orationem suam habitam in concione Capitolina*, petivitque a me, ut eam nec ambitiose corrigerem, antequam ederet. *Est autem oratio scripta elegantissime sententiis : verbis, ut nihil possit ultra.* Ego tamen, si illam causam habuissem, scripsissem ardentius. Ὑπόθεσις vides quæ sit persona dicentis. Itaque eam corrigere non potui. Quo enim in genere Brutus noster esse vult, et quod judicium habet de optimo genere dicendi, id ita consecutus est in ea oratione, ut elegantius esse nihil possit.

orationem h. in concione] conf. Plut. M. Brut. c. 18. Habita est a Bruto post necem Cæsaris in Capitolio a. U. 709.

207 ### ORATIO PRO APPIO CLAUDIO.

Cic. Brut. c. 94, 324 : Hortensius una tecum, Brute, socerum tuum *defendit Appium.*

pro Appio Claudio] acta causa a. 703, ut supra in Hortensio commemoravimus. De Appio Claudio supra dictum est.

LAUDATIO APPII CLAUDII.

Gener socerum laudavit.

Diomed. I, p. 364 : *Amicio, amicui :* Brutus in laudatione Appii Claudii : *Qui te toga prætexta amicuit ?*

DECLAMATIO PRO MILONE.

Quintil. III, 6, 93 : Pro Milone aliud Ciceroni agenti placuit, aliud Bruto, cum exercitationis gratia componeret orationem.

Quintil. X, I, 23 : Pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiamsi egisse eum Cornelius Celsus falso existimat. — Conf. X, 5, 20.

Cornelius Celsus] cum Celsus, æqualis prope Bruti, in eo errare posset, cur miramur, quod Quintilianus *librum De haruspicum responsis* Ciceroni, *Declamationem in Ciceronem* Salustio, *orationem fictam C. Antonii in Ciceronem* ipsi Antonio tribuit ?

Asconius in Argum. ad Cic. Or. pro Milone p. 42 ed. Orell. : Cum quibusdam placuisset, ita defendi crimen, interfici Clodium pro republica fuisse, quam formam *M. Brutus* secutus est *in ea oratione, quam pro Milone composuit, et edidit, quamvis non egisset,* Ciceroni id non placuit, quod non qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus posset.

quamvis non egisset] *non* abest ab edit. principe, editores particulam adjecerunt, licet auctor potius scripsisset *quamvis non egerat.* Quare conjectura placet G. Baiteri, quam et recepit, *quasi egisset.*

DECLAMATIO DE DICTATURA POMPEII.

Quintil. IX, 3, 95 : Προσαπόδοσιν dicit, quæ ut maxime servetur sane in pluribus propositis, quia aut singulis statim ratio subjiciatur, aut positis duobus vel tribus eodem ordine singulis con- 208
tinua reddatur, quale apud Brutum de dictatura Cn. Pompeii : *Præstat enim nemini imperare, quam alicui servire ; sine illo enim vivere honeste licet, cum hoc vivendi nulla conditio est.*

LXXXV. M. Valerius Messalla Corvinus. [Ellendt. p. 92-98.]

Quintil. X, 1, 113 : Messalla nitidus et candidus et quodammodo præferens in dicendo nobilitatem suam viribus minor.

Id. IV, 1, 9 : Quædam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos et impares agentium contra ingeniis dixerimus, qualia sunt pleraque Messallæ procœmia. — Ex Dial. de Oratt. mox locum, huic prorsus contrarium, citabo : Quintilianus enim Messalæ procœmia laudat, auctor Dialogi illius ea vituperat.

Senec. Controv. II, 12, p. 191 ed. 1672 (p. 171 ed. Bip.): Messala fuit exactissimi ingenii in omnis quidem studiorum partis, latini utique sermonis observator diligentissimus. Idem itaque cum audisset Latronem declamantem, dixit: *Sua lingua disertus est.* Ingenium illi concessit, sermonem objecit. Non tulit hanc contumeliam Latro, et *pro Pythodoro Messalæ orationem disertissimam* recitavit, quacum compositam suam suasoriam Theodoro declamavit post triduum.

Dial. de oratt. c. 20 : Catoni seni comparatus *C. Gracchus* plenior et uberior, sic Graccho politior et ornatior *Crassus*, sic utroque distinctior et urbanior et altior *Cicero,* Cicerone mitior *Corvinus* et dulcior et in verbis magis elaboratus.... Quis nunc feret oratorem de infirmitate valetudinis suæ præfantem, qualia sunt fere *principia Corvini?* (Simile aliquid de *Curione* narratur a Quintiliano VI, 3, 76.)

Messala natus a. U. 684, consulatum gessit a. 722 et in medium usque Augusti principatum duravit. Dial. de oratt. c. 17.

Fragmentum *orationis senatoriæ,* quam Messala habuit, exstat in Suetonii Octavio c. 58 : Patris patriæ cognomen universi repentino maximoque consensu detulerunt Augusto ; prima plebs legatione Antium missa, mox in Curia senatus neque decreto neque acclamatione, sed per Valerium Messalam. Is mandantibus cunctis : *Quod bonum,* inquit, *faustumque sit tibi domuique tuæ, Cæsar Auguste : sic enim nos perpetuam felicitatem reipublicæ et læta huic precari existimamus, senatus te, consentiens cum populo Romano, consalutat patriæ patrem.*

Festus: *Tabem* eam, quæ faceret tabescere, apud antiquos

usurpatum. Salustius quoque frequenter... *et* Corvinus *pro Liburnia : Propter hanc tabem atque perniciem domus totius.* 209

Corvinus] In codice Festi legitur *Corvinius,* unde Ant. Augustinus scribendum suspicatur *Cornificius.* Attamen probabile est, Messalam pro Liburnia dixisse, quia Quintilianus (X, 1, 24) scribit, Pollionem et Messalam defendisse eosdem aliquando reos: Pollionem vero pro Liburnia dixisse, notum est, exstatque ejus orationis fragmentum in Quint. IX, 2, 34.

Quintil. X, 1, 22: Illud vero utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumpserimus, et quoties continget, utrimque habitas legere actiones ut *Servii Sulpicii* atque *Messalæ, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter.*

Ser. Sulp.] supra monuimus de Ser. Sulpicio Rufo, oratore.

Charis. I, p. 80: M. Messala *de Antonii statuis : Armenii regis spolia gausape.*

de Ant. statuis] « hanc orationem post Actiacam pugnam Messala dixisse videtur. Sed num dejici Antonii statuas jusserit, non contenderim; videtur hoc viri decoribus non satis dignum. » *Ellendt.*

Plin. H. N. XXXIII, 3: Messala orator prodidit, Antonium triumvirum aureis (vasis) usum in omnibus obscenis desideriis, pudendo crimine etiam Cleopatræ.

Senec. Suasor. I, p. 7: Bellissimam rem *Dellius* dixit, quem Messala Corvinus *desultorem bellorum civilium* vocat, quia ab Dolabella ad Cassium transiturus salutem sibi pactus est, si Dolabellam occidisset, et a Cassio deinde transivit ad Antonium, novissime ab Antonio transfugit ad Cæsarem.

Messala] « in libro, puto, *De familiis Romanis.* » Ruhnken. ad Vellei. II, 84, 3. *Dellium* correxi pro *Deillio*, quod vulgo legitur, eodem auctore.

Charis. I, p. 103: Messala *contra Antonii literas : Angustiæ fretus.*

c. Ant. literas] « qui transitum Messalæ ad Cæsarem ægre ferens, per literas ad senatum missas varias calumnias effudisse credi potest. » *Ellendt.* Post pugnam Philippensem, ut idem refert, primis annis Antonium secutus est, sed post Brundisinam pacem (a. 713) partes Antonii deseruit, Cleopatræ vim et luxuriosos Antonii amores perosus. Conf. Plut. Brut. c. 53, Vellei. II, 71.

210 Id. p. 119: Messala *vectigalium* (dicit): *De vectigalium Asiæ constitutione.*

Quintil. X, 5, 2: Vertere Græca in Latinum veteres nostri oratores optimum judicabant... Id Messalæ placuit, *multæque sunt ab eo scriptæ ad hunc modum orationes, adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne, difficillima Romanis, subtilitate contenderet.*

Hyperidis] Ex oratione Hyperidis, in Latinum versa, illud sumptum esse, quod Quintilianus I, 5, 61 affert, *Apud Messalam legimus*: *Bene fecit Euthia*, non *Euthias*, suspicatus est Kordes in Additamentis ad Eberhardi librum *Ueber den Zustand der schönen Wissenschaften bey den Römern*, Altona 1801, p. 145.

Quintil. VIII, 3, 34: Messala primus *reatum*, *munerarium* Augustus primus dixerunt.

reatum] *reatus* erat status et conditio reorum et sordidatorum, dum judicium in longum procedit, ut *cælibatus* conditio cælibis et similia. Reatus pro crimine, peccato est barbarorum. Bentleius ad Hor. Carm. III, 6, 20.

Seneca Suasor. II, p. 22: *Cognomen*, vel ut Messala ait, *cognomentum.*

Schol. Vet. Cruquian. ad Hor. Sat. I, 10, 28: Perorat contra Pedium Publicolam et Messallam Corvinum, qui a Græcis vocibus ita abhorruerunt, ut Messalla *schœnobaten* Latine *funambulum* reddiderit ex Terentio in Hecyra. Fuerunt hi duo Pedius Publicola et Messalla Corvinus oratores Romæ valde insignes.

Ceterorum scriptorum Messalæ fragmenta legimus apud multos auctores.

LXXXVI. Q. Tubero.

Quintil. X, 1, 23: Illud utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumpserimus, et quoties continget, utrimque habitas legere orationes: quin etiam si minus pares videbuntur, aliquæ tamen ad cognoscendam litium quæstionem recte requirentur, ut *contra Ciceronis orationes Tuberonis in Ligarium et Hortensii pro Verre.*

Pomponius De origine juris, Digest. I, 2, 46: Post Trebatium Tubero fuit, qui Ofilio operam dedit: fuit autem patricius, et

transiit a causis agendis ad jus civile, maxime postquam *Q. Ligarium accusavit,* nec obtinuit apud C. Cæsarem. — Is est Q. 211 Ligarius, qui, cum Africæ oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permisit, nec aquam haurire, quo nomine eum accusavit, et Cicero defendit. — Tubero doctissimus quidem habitus est juris publici et privati, et complures utriusque operis libros reliquit. Sermone etiam antiquo usus affectavit scribere, et ideo parum ejus libri grati habentur.

LXXXVII. C. Asinius Pollio.

Natus anno Urbis 678, consulatum gessit a. 743, ac pæne ad extremum Augusti principatum duravit. Dial. de oratt. c. 17.

Quintil. X, 1, 113 : Multa in Asinio Pollione inventio, summa diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur, et consilii et animi satis, a nitore et jucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit sæculo prior.

Senec. Exc. Controv. libri IV, præf. p. 441 : Pollio Asinius floridior erat aliquanto in declamando quam in agendo. Illud strictum ejus et asperum et nimis ratum in dicendo judicium adeo cessabat, ut in multis illi venia opus esset, quæ ab ipso vix impetrabatur.

Dial. de oratt. c. 21 : Asinius, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Accium non solum tragœdiis, sed etiam orationibus suis expressit : adeo durus et siccus est.

Menenios] Menenius Agrippa, qui facundia sua plebem in concordiam reduxerat a. U. 259. Conf. Livius II, 32.

Appios] Appius Cæcus, qui fœdus Pyrrhi dissuasit a. U. 473.

ORATIONES :

1. Dial. De oratt, 34 : Altero et vicesimo anno Asinius Pollio *C. Catonem insecutus est.*

C. Catonem] Pollio, Cæsaris partium studiosus, C. Catonem, qui in tribunatu suo a. 697 Pompeio se vendiderat, accusavit duplici actione, lege Junia Licinia et Fufia a. 699. Pro Catone dixerunt C. Licinius Calvus et M. Scaurus. Conf. Cic. Epist. ad Attic. IV, 15, 16, 17. —

 Hoc ex Thorbeckii præstantissima Commentatione De C. Asinii Pollionis vita et scriptis, Lugd. Bat. 1820, p. 65 sqq., ut multa alia, transtuli.

2. Temporibus triumviralibus (quæ a. U. 700 incipientia in annum 721 desinunt), ait Thorbeck. pag. 68, Asinius orationem habuit *pro Lamia,* quæ dein edita est. Vid. Senec. Suas. vi, p. 42. Fuit is, ut credibile est, L. Ælius Lamia, familiaris Ciceronis, quem hic in Epist. ad fam. xi, 16, 17, commendat D. Bruto, et xii, 29, Cornificio, ab A. Gabinio Cos. relegatus anno 695, ædilis a. 708, prætor a. 711, si quidem is sit prætorius, quem Valer. Max. I, 8, ext. 12, ac Plinius H. N. VI, 52, memorant. In hac edita oratione Pollio Ciceronis famam vehementer infestaverat.

Senec. Suasor. vi in fine : Solent scholastici declamatores ponere : *Deliberat Cicero, an promittente salutem Antonio orationes suas comburat.* Suas. vii : Hæc inepte ficta cuilibet videri potest. *Pollio vult illam veram videri.* Ita enim dicit illa *oratione, quam pro Lamia edidit :* « *Itaque, ne usquam persisteret, nec mora fuit, quin ejuraret suas istas, quas cupidissime effuderat, orationes in Antonium : multiplicesque numero et accuratius scriptas, illis contrarias, edere ac vel ipse palam pro concione recitare pollicebatur,* » ceteraque his alia sordidiora multa, ut tibi facile liqueret, hoc totum adeo falsum esse, ut ne ipse quidem Pollio in historiis suis ponere ausus sit. Huic certe actioni ejus pro Lamia qui interfuerunt, negant eum hæc dixisse (nec enim mentiri sub triumvirorum conscientia sustinebat), sed postea composuisse.

ne usquam persisteret] expressi emendationem Schultingii. Hamakerus, vir doctrina et urbanitate præstans, conjecit : *Istas quidem nunquam perfecerat,* hac sententia : Orationes quidem Philippicas nunquam se perfecisse, neque adeo edidisse, Cicero asseruerit : quæ autem in hominum manibus sint hoc nomine orationes, earum se ejuraturum auctoritatem, ac scripturum contrarias, quæ contractam suspicionem tollant. — Vulgo legitur *Itaque nunquam perficeret, nec mora fuit* etc. Satius autem videtur, codicis optimi Vaticani sequi auctoritatem, qui duo verba *nunquam perficeret* omittit : ex alieno enim loco huc immigrasse videntur.

3. Imperii Augusti temporibus defendit Asinius *Nonium Asprenatem,* veneficii reum. Fuit is probabiliter idem, qui in C.

Julii Cæsaris expeditione Africana exercitui prœerat proconsul
(V. Hirtius De bell. Afr. c. 80), arctius dein junctus Augusto : v.
Suet. Aug. c. 56. Veneficii reo objecit Cassius Severus accusator 213
(Suet. Aug. c. 56), eum veneno triginta et centum convivas
necasse : v. Plin. H. N. XXXV, 12, extr.

Quintil. X, 1, 23: Illud utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumpserimus, et quoties continget, utrimque habitas legere actiones, ut Demosthenis atque Æschinis inter se contrarias et Serv. Sulpicii atque Messalæ, et *Pollionis et Cassii reo Asprenate,* aliasque plurimas. — Exordium orationis Cassii etiamnum exstat.

4. Dixit Asinius in alia etiam veneficii causa, reo *Moscho,* Pergameno rhetore. In eadem lite egit Manlius Torquatus, quem Horatius Epist. I, 5, ad cœnam invitans, monet v. 8, 9.

> *Mitte leves spes et certamina divitiarum,*
> *et Moschi causam,*

ad quem locum Porphyrio : *Hic,* inquit, *Pergamenus rhetor notissimus, reus veneficii fuit, cujus causam ex primis tunc oratores egerunt, Torquatus hic, de quo nunc poeta dicit, et Asinius Pollio.*

causam-egerunt] causa certe ante annum 707, quo Torquatus in Hispania cum Scipione interiit, acta est. Vide Torquatum oratorem, p. 219.

5. Tertium fuit Asinii patrocinium in causa veneficii : nam defendit *Apollodorum,* hujus criminis reum. Fuit Apollodorus itidem Pergamenus rhetor, præceptor Augusti (Suet. Aug. c. 89), artis rhetoricæ scriptor celeberrimus (Quintil. III, 1, 17), a cujus cum Theodoro Gadareo, magistro Tiberii, dissensu manarunt sectæ *Apollodoreorum* et *Theodoreorum.* Condemnatus Apollodorus Massiliam secessit, ibique docuit (Senec. l. II Contr. XIII, p. 202), eumque inter μακροβίους recenset Lucianus, c. 23.

Senec. Controv. II, 13, p. 202 : Novi declamatores et Potamon cum Apollodoro, qui reus veneficii fuit et a Pollione Asinio defensus, damnatus Massiliæ docuit, et hanc quæstionem fecerunt in hac controversia, an inter viros et uxores data beneficia ingrati lege teneantur.

6 et 7. Mediis Augusti temporibus Asinius apud centumviros habuit *orationes pro hæredibus Urbiniæ.*

214 Dial. de oratt. c. 38: Primus hæc tertio consulatu Cn. Pompeius (a. U. 701) astrinxit, imposuitque veluti frenos eloquentiæ, ita tamen, ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud prætores gererentur, apud quos quanto majora negotia olim exerceri solita sint, quod majus argumentum est quam quod causæ centumvirales, quæ nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum judiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis neque Cæsaris neque Bruti neque Cœlii neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur *exceptis orationibus Asinii, quæ pro heredibus Urbiniæ inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitæ,* postquam longa temporum quies et continuum populi otium et assidua tranquillitas et maximi principis disciplina ipsam quoque eloquentiam, sicut alia omnia, pacaverat?

aliorum] leg. *illorum*, scil. quæ apud prætores fiebant.

Argumentum litis tangit Quintilianus vii, 2, § 4, 5: « Ut est quæsitum *contra Urbiniæ heredes, si is, qui tanquam filius petebat bona, Figulus esset, an Sosipater?* nam et substantia ejus sub oculos venit... Verum hoc quoque genus litis ex præterito pendet, *An hic sit ex Urbinia natus Clusinius Figulus?* » eamque narrat Spalding. ad iv, 1, 11. Habuit Asinius in hoc judicio adversarium Labienum, historicum, quem irridet et inter argumenta malæ causæ ponit, ut ex Quintiliano discimus iv, 1, 11. Quamquam autem non idem is est Labienus, qui a Cæsare ad Pompeium transfugerat, ex eadem certe familia fuit, ac Pompeianæ studium factionis hereditarium tenuit. A tali igitur patrono, quem ob Pompeianos spiritus Cæsarianus, ut Asinius erat, odisse debebat, hic aptissime potuit argumenta malæ causæ mutuari.

Quintil. VII, 2, 26: In lite Urbiniana petitor dicit, *Clusinium Figulum, filium Urbiniæ, acie victa, in qua steterat, fugisse: jactatumque casibus variis, retentum etiam a rege, tandem in Italiam ac patriam suam Marginos venisse atque ibi agnosci:* Pollio contra, *servisse eum Pisauri dominis duobus, medicinam*

factitasse, manumissum alienæ se familiæ venali immiscuisse, a se rogantem, ut ei serviret, emptum.

Charis. I. p. 59 : *Clipeus* masculino genere in significatione scuti ponitur, *ut Labienus ait,* neutro autem genere imaginem significat. Sed *Asinius pro Urbiniæ hæredibus* imaginis clipeum 215
masculine dixit : *Clipeus prætextæ imaginis positus.*

pro Urbiniæ h.] N. Faber ad Senec. Exc. Controv. iv, p. 442 et Bondamus Var. Lectt. p. 22, correxere vulgatum *de provinciæ heredibus.*

clipeus imaginis] intellige clipeum, in quo imago sive προτομὴ Imperatoris expressa est.

Quintil. VIII, 3, 32 : Nec a verbis modo, sed a nominibus quoque derivata sunt quædam, ut a Cicerone *Sullaturit*, et *ab Asinio Fimbriatum* et *Figulatum.*

Figulatum] Spaldingius adnotavit : *Hoc plane censeo usurpatum ab Asinio Pollione in causa Urbiniana* (VII, 2, 26), *ubi dixerit, Sosipatrum illum servum repente nobis esse* Figulatum i. e. *Clusinium Figulum factum.* Fimbriatum, *quem quave occasione appellavit, nullam conjiciendi ansam video. Notissimus est C. Flavius Fimbria*, *Cinnæ satelles.*

Quintil. IX, 2, 9 : Interrogamus etiam instandi gratia et auferendæ dissimulationis : ut Asinius : *Audisne ? furiosum, inquam, non inofficiosum testamentum reprehendimus.*

Asinius] in hac oratione, opinor, ea verba dixit. Thorbeckius aut ad hanc oratienem aut ad sequentem *pro Liburnia* pertinuisse statuit p. 78.

8. Alio Asinius judicio dixit *pro Liburnia*, eamdemque defendisse Valerium Messalam suspicor , ut in Messala animadverti.

Quintil. IX, 2, 34 : Ut dicta autem quædam, ita scripta quoque fingi solent : quod facit Asinius pro Liburnia : *Mater mea, quæ mihi tum carissima tum dulcissima fuit, quæque mihi vixit, bisque eodem die vitam dedit,* et reliqua, deinde, *exheres esto.* Hæc cum per se figura est, tum duplicatur, quoties sicut in hac causa ad imitationem alterius scripturæ componitur. Nam contra recitabatur testamentum : *P. Novanius Gallio, cui ego omnia meritissimo volo et debeo, pro ejus animi in me summa voluntate*, et adjectis deinceps aliis, *heres esto.*

bisque eodem die] i. e. voluptatem lucis duplici modo sensi, quia ex optima

matre nata sum. Imitatus fuerat Asinius formulam testamentorum conscribendorum : cujus figuræ hoc imprimis loco egregius erat usus, ob recitatum ab adversario testamentum : conf. Turneb. ad h. l. Quis ille *Gallio* fuerit, assequatur, qui poterit, ex Schotto De claris ap. Senecam rhetorib. p. 15, 16, et Burmanno ad Quint. l. c. et ad III, 1, p. 218. *Thorbeck.*

216 9. Alia causa Pollio defendit *M. Scaurum,* uterinum per matrem Muciam Sexti Pompeii fratrem, (vid. Dio. Cass. LI, 2), filium M. Æmilii Scauri, cui Cicero patrocinatus est, nepotem illius Scauri, qui princeps senatus fuit. Secutus erat hic Scaurus partes Sexti Pompeii, a quo postea ad Antonium transfugit (v. Appian. Bell. civ. V, 142). Inde in Antonii amicitiam receptus, ab Augusto post prœlium Actiacum primum neci destinatur, dein propter matrem Muciam vitam obtinet. Dio l. l. et LVI, 38. Eum Asinius reum præcipue commendavit a meritis majorum.

Quintil. VI, 1, 21 : Periclitantem commendat dignitas et studia fortia, et susceptæ bello cicatrices, et nobilitas et merita majorum. Hoc, quod proxime dixi, Cicero atque Asinius certatim sunt usi, pro Scauro patre hic, ille pro filio.

Ex Pollionis *pro Scauro* oratione sententia quædam affertur a Quintiliano IX, 2, 24 : Pollio : *Nunquam fore credidi, judices, ut reo Scauro, ne quid in ejus judicio gratia valeret, precarer.*

10. Adversus *L. Munatium Plancum,* Ciceronis amicum ac discipulum, qui Dec. Brutum Antonio prodidit, ac dein in belli Asiatici apparatu ab Antonio ad Cæsarem transfugit, Asinius Pollio orationes paravit. Ac verisimile est, Pollionem odisse Plancum ideo, quod pravo animo alias alio tempore partes secutus est dominumque plus semel commutavit. De eo copiose agit Ruhnkenius ad Vellei. II, 63.

Plin. Hist. N. in præfat. extr. lib. I : Nec Plancus illepide, cum diceretur, *Asinius Pollio orationes in eum parare, quæ ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset :* cum mortuis nonnisi larvas luctari. Quo dicto sic repercussit illas, ut apud eruditos nihil impudentius judicetur.

Quintil. IX, 4, 132 : Neque enim accesserim Celso, qui unam quamdam procemio formam dedit, et optimam compositionem esse proœmii, ut apud Asinium, dicit : *Si, Cæsar, ex omnibus* 217
mortalibus, qui sunt ac fuerunt, posset huic causæ disceptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit.

Charis. I, p. 108 : Pollio ad Cæsarem : *Primo insequenti die.*

ad Cæsarem] in epistola, opinor.

Charis. I, p. 75 : *Hos pugillares* et masculino genere et semper pluraliter dicas, sicut Asinius in Valerium lib. 1 : *Quia pugillus est, qui plures tabellas continet in seriem sitas.*

Asinius in Valerium] hic non Asinium oratorem intelligam, sed grammaticum, quem Suidas, cujus locum postea indicabo, et Charisius laudat et Servius ad Virgil. Æneid. II, 7; VI, 554; XI, 183. Valerium itidem grammaticum facias, quo nomine cum plures alii fuerunt, tum Valerius Cato et M. Valerius Probus.

Id. I, p. 61 : *Catinus* masculino genere dicitur, et hinc diminutive *catillus* fit, ut *Asinius contra maledicta Antonii : Volitantque urbe tota catilli.*

c. maled. Antonii] Post Cæsaris necem ad Antonii partes transiit Asinius. Cum autem deinde Antonius propter vitia sua omnibus bonis esset invisus, post pacem Brundisinam Augusto se tradidit; quod item a Messala Corvino factum vidimus. Igitur in utrumque eorum dixisse aut scripsisse Antonius credi potest. Conf. Vellei. II, 86.

Quintil. I, 6, 42 : *Hos lodices* Pollioni placuisse dicitur.

Charis. I, p. 119 : Asinius Pollio *vectigaliorum,* non *vectigalium* dixit : *Vectigaliorum reipublicæ curam esse habendam.* [Eumdem locum citat I, p. 46.]

Macrob. Saturn. I, 4 : Tanta apud veteres fuit licentia hujus genitivi, ut Asinius Pollio *vectigaliorum* frequenter usurpet.

Priscian. VIII, 4, p. 370 : Asinius Pollio : *Sed cum ob ea, quæ speraveram, dolebam, consolabar ob ea, quæ timui; consolabar* passive protulit.

Ibid. p. 372: Asinius : *Cujus experta virtus bello Germaniæ, traducta ad custodiam Illyrici est; experta* passive.

Id. X, 4, p. 488 : *Nanciscor nactum* facit absque *n,* ut Probo et Capro et *Pollioni* et Plinio placet.

Pollioni] non de Asinio Pollione id intellexerim : ab oratore enim diver-

218 sus fuit, ut modo dixi, Pollio grammaticus, cujus libellum περὶ τῶν παρὰ γράμμα ἁμαρτανομένων Suidas laudat v. Πωλίων ἢ Πολίων. Eumdem sive alium quemdam grammaticum respexit Charisius p. 64 : *Puer et in feminino sexu antiqui dicebant ut Græci* ὁ παῖς, et ἡ παῖς, *ut in Nelei carmine coque prisco* Saucia puer filia sumam, *ubi tamen Varro* puera *putat dictum, sed Ætius Stilo, magister ejus, et* Asinius *contra.* — Pollione, grammatico Latino, usus est Marcus Antoninus philosophus : v. Jul. Capitolin. in M. Ant. philos. c. 2.

Quintil. IX, 4, 76 : Senarii minus sunt notabiles, quia hoc genus sermoni proximum est. Itaque et versus hi fere excidunt, quos Brutus ipso componendi studio ductus sæpissime facit, *non raro Asinius,* sed etiam Cicero nonnunquam.

Id. I, 8, 10 : Summi oratores veterum poemata vel ad fidem causarum vel ad ornamentum eloquentiæ assumunt. Nam præcipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud *Asinium* etiam et ceteros, qui sunt proximi, vidimus Enni, Acci, Pacuvi, Lucili, Terenti, Cæcili et aliorum inseri versus summa non eruditionis modo gratia, sed etiam jucunditatis.

Plin. Ep. VI, 29, 5, scribit : Sed et illud, quod vel Pollionis vel tanquam Pollionis accepi, verissimum experior : *Commode agendo factum est, ut sæpe agerem : sæpe agendo, ut minus commode.*

LXXXVIII. L. Manlius Torquatus.

Is est, ad quem Horatius Carmen 7 libri IV, et Epistolam 5 libri I scripsit, in qua legimus :

Mitte leves spes et certamina divitiarum,
Et Moschi causam.

Ad eum locum in Auctario Commentatoris veteris a Cruquio editi Lugduni-Bat. 1597 p. 692 hæc adnotatio pertinet : *Moschus hic Pergamenus rhetor fuit notissimus, reus veneficii fuit, cujus causam exprimit. Hanc oratores egerunt Torquatus hic, de quo nunc dicit, cujus exstat oratio, et Asinius Pollio.*

219 Torquatum nepotem ejus esse, quo consule Horatius natus est (a. U. 688), Sanadonus dicit, Thorbeckius autem De Asinio Pollione p. 71 Torquatum filium illius appellat, quemque adeo Horatius *suum* vocarit Epod. XIII, 6 (male interpretatus est

hunc locum Epodon Thorbeck. : illud enim *Torquato consule meo* nihil aliud significat nisi, *quo ipse natus sum).* —Cicero in Bruto c. 68, 239 : L. Torquatus elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus. — C. 76, 265 : Reliqui sunt, qui mortui sint, L. Torquatus, quem tu non tam cito rhetorem dixisses (etsi non deerat oratio), quam, ut Græci dicunt, πολιτικόν. Erant in eo plurimæ literæ nec eæ vulgares, sed interiores quædam et reconditæ, divina memoria, summa verborum et gravitas et elegantia. Atque hæc omnia vitæ decorabat gravitas et integritas.

Torquatus prætor fuit a. U. 704. Anno autem 707 interiit, ut Auctor de bello Afric. c. 96 narrat. Ex eodem loco elucet, Ciceronem Brutum suum aut in fine a. 707 aut a. 708 absolvisse. Alii ut Bernhardy in Hist. Rom. litterat. p. 299 circa annum 706 librum compositum putant. Equidem non affirmo, totum librum anno demum 707 confectum esse : alia enim pars priore tempore scripta videtur, ut locus, in quo de Catone Uticensi loquitur (cap. 31, 118), ante mortem ejus, quæ itidem in annum 707 incidit, necessario conscriptus est : ibi enim Catonem vivum fingit. Eidem anno U. 707 hic dialogus Ciceronis vindicatur in Pighii Annal. vol. III, p. 459. [Conf. Clinton. Fast. p. 203. *Westerm.*]

LXXXIX. C. Scribonius Curio, C. F.

Cic. Brutus c. 81, 280 : C. Curio ita facile soluteque verbis volvebat satis interdum acutas, crebras quidem certe sententias, ut nihil posset ornatius esse, nihil expeditius. Atque hic a magistris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum. Industriam non sum expertus: studium certe fuit. Qui si me audire voluisset, ut cœperat, honores quam opes consequi maluisset.

Hujus Curionis, opinor, meminit in oratione quadam Tacitus, Annal. XI, 7, cum dicit, *prompta sibi esse exempla, quantis mercedibus Publius Clodius aut Caius Curio concionari soliti sint.*

Schol. Ambros. Cicer. in P. Claudium in Argumento p. 330 220
ed. Orell. : Tres illis temporibus Curiones illustri nomine ex-

stiterunt, *atque ita in libris adhuc feruntur* (i. e. in eorum orationibus); Curio avus, qui Servium Fulvium incesti reum defendit, et hic C. Curio pater, qui P. Clodio adfuit, et tertius ille Curio tribunicius, qui bello civili Pompeiano in Africa periit : cum enim esset partium Cæsaris, oppressus est ab equitibus Jubæ regis.

Plin. H. N. VII, 41 : Una familia Curionum, in qua tres continua serie oratores exstiterunt.

De avo et patre supra dictum.

XC. T. Labienus.

Seneca Controv. V, p. 319 sq. ed. Bip. : De Labieno interrogatis? Declamavit non quidem populo, sed egregie. Non admittebat populum, et quia nondum hæc consuetudo erat inducta, et quia putabat turpe ac frivolæ jactationis. Affectabat imo censorium supercilium, cum aliusanimo esset. Magnu s orator, qui per multa impedimenta eluctatus, ad famam ingenii confitentibus magis hominibus pervenerat quam volentibus. Summa egestas erat, summa infamia, summum odium. Magna autem debet esse eloquentia, quæ invitis placeat. Cum ingenia favor hominum ostendat, favor alat, quantam vim esse oportet, quæ inter obstantia erumpat? Nemo erat, quin, cum homini omnia objiceret, ingenio multum tribueret... Color orationis antiquæ, vigor novæ. Cultus inter nostrum ac prius seculum medius, ut illum posset utraque pars sibi vindicare. Libertas tanta, ut libertatis nomen excederet, et, quia passim ordines hominesque laniabat, *Rabienus* vocaretur. Animus per vitia ingens, et ad similitudinem ingenii sui violentus, et qui Pompeianos spiritus nondum in tanta pace posuisset. In hunc primum excogitata est nova pœna : effectum est enim per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur. Non tulit hanc Labienus contumeliam, nec superstes esse ingenio suo voluit, sed in monumenta se majorum suo-
221 rum ferri jussit atque ita includi, veritus scilicet ne ignis, qui nomini suo subjectus erat, corpori negaretur : non finivit tantum se ipse, sed etiam sepelivit. Memini aliquando cum recitaret historiam, magnam partem convolvisse et dixisse : Hæc quæ transeo post mortem meam legentur!

Ex his intelligi potest, cur Asinius Pollio in causa Urbiniana Labienum, petitorem, inter argumenta malæ causæ posuerit, ut apud Quintil. IV, 1, 11, legimus : « Etiam partis adversæ patronus dabit exordio materiam, interim per contumeliam, sed hoc perquam raro, ut *Asinius pro Urbiniæ heredibus Labienum, adversarii patronum, inter argumenta malæ causæ posuit.*

Ex oratione Labieni contra Pollionem affertur aliquid in Quintil. VII, 2, 26 : « Utraque pars suam expositionem habet atque eam tuetur, ut, *in lite Urbiniana* petitor dicit : *Clusinium Figulum filium Urbiniæ acie victa, in qua steterat, fugisse; jactatumque casibus variis, retentum etiam a rege, tandem in Italiam ac patriam suam Marginos venisse atque ibi agnosci.* »

Quintil. I, 5, 8 : *In oratione Labieni,* sive illa *Cornelii Galli* est, in Pollionem *casnar* assectator e Gallia ductum est.

Labieni] Spaldingius in adnotatione ad hunc locum incertus fuit, quis esset Labienus, eumque simul historicum esse negabat, sed postea ad IV, 1, 11, eumdem cum illo fuisse vere judicavit. Thorbeckius in Comment. de Asinio Pollione p. 74 : *Habuit Asinius,* inquit, *in hoc judicio adversarium Labienum, historicum. N. Fabri opinionem ad Senecam L.* v *Controv. præfat.* p. 349, 8, *quasi is idem esse possit, qui a Cæsare ad Pompeium transfugit, refutat Vossius De hist. Lat.* 1, 23. *Ex eadem certe familia fuit, ac Pompeianæ studium factionis hereditarium tenuit. Laudat Quintilianus orationem Labieni in Pollionem, quam tamen dubitat, utrum Cornelii Galli sit : forte enim libellus non addito auctoris nomine exierat.* — Labienus in hac oratione contra heredes Urbiniæ dixit, quorum patronus erat Asinius Pollio.

Scimus deinde ex Senecæ rhetoris Controv. lib. V præf. p. 351 (p. 322 ed. Bip.), Labienum orationem scripsisse *pro Bathyllo Mæcenatis,* cui Gallio rescripserat. De Bathyllo Lipsius loquitur ad Tacit. Ann. I, 54. [Locus Senecæ : « Cassii Severi, hominis Labieno junctissimi, belle dicta res ferebatur. Illo tempore, quo libri Labieni ex SCto urebantur, Nunc me, inquit, vivum uri oportet, qui illos edidici. Monstrabo vobis bellum libellum, quem a Gallione vestro petatis. Recitavit rescriptum Labieno pro Bathyllo Mæcenatis, in quo suspicietis adolescentis animum, illos dentes ad mordendum provocantis. »]

Quintil. IX, 3, 13 : Nunc evaluit *rebus agentibus,* quod Pollio in Labieno damnat.

222 Sueton. Calig. c. 16 : *Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi* scripta senatus consultis abolita requiri et esse in manibus lectitarique permisit Caligula.

Alius *T. Attius Labienus* C. Rabirium perduellionis postulavit defendente Cicerone a. U. 690. Hic a Cæsare ad Pompeium transiit filiumque habuit, qui se imperatorem Parthicum vulgo haberi voluit. Dio Cass. XLVIII, 26.

Charis. p. 59 : *Clipeus* masculino genere in significatione scuti ponitur, ut *Labienus* ait, neutro autem genere imaginem significat.

imaginem] intellige clipeos eos, in quibus imago Cæsaris expressa erat.

Senec. Excerpt. Controv. IV, pag. 440 : Pollio Asinius nunquam admissa multitudine declamavit, nec illi ambitio in studio defuit. Primus enim omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit. Et inde est, quod *Labienus* homo mentis quam linguæ amarioris dicit : *Ille triumphalis senex acroaseis suas nunquam populo commisit, sive quia parum in illis habuerit fiduciæ, sive, quod magis crediderim, tantus orator inferius id opus ingenio suo duxerit.*

XCI. Cornelius Gallus.

Quintil. I, 5, 8 : In oratione *Labieni,* sive illa *Cornelii Galli* est, in Pollionem *casnar* assectator e Gallia ductum est.

Cornelii Galli] Cornelium Gallum intelligo, qui non modo orator sed etiam celeberrimus elegiarum scriptor habetur. Oratio in Pollionem ab aliis Labieno, ab aliis Gallo vindicabatur, quia oratoris nomen indici orationis additum non erat.

casnar] De origine hujus vocis in commentariis, quos aliquando in Quintilianum edere in animo est, dicturus sum.

Servius ad Virg. Bucol. IX, 10 : Alii dicunt Virgilium ostendere voluisse, quod Mantuanis per iniquitatem Alfeni Vari, qui agros divisit, præter palustria nihil relictum sit, sicut ex oratione *Cornelii in Alfenum* ostenditur : *Cum jussus tria millia passus a muro in diversa relinquere, ut octingentos passus aquæ, qua circumdata est, admetireris, reliquisti.* (Vossius legit : *vix octingentos... circumdata est, cum admetireris, reliquisse.*)

in Alfenum] Servius ad l. l. v. 29 : *Blanditur poeta Alfeno Varo, qui Pollione fugato legatus Transpadanis præpositus est ab Augusto.* — Alfeni mentionem facit Horatius Sat. I, 3, 130, ubi Schol. Acron.: *Urbane satis Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abjecta sutrina* [alius Scholiastes *tonstrina*], *quam in municipio suo exercuerat, Romam venit, magistroque usus Sulpicio ICto* (Servio Sulpicio Rufo) *ad tantam pervenit scientiam, ut et consulatum gereret et publico officio fungeretur, et publico funere efferetur.* [Vossii emendatio certa est, modo ultimum vocabulum, *reliquisti*, non tetigisset. Vel scribendum *admetiens reliquisti*: periit enim apodosis.] 223

In Diomede II, p. 443 ex oratione *Galli* locus affertur, sed *Calvus* ibi pro Gallo legendus est, ut in Calvo oratore antea monuimus, p. 202.

XCII. M. Agrippa.

Plin. H. N. XXXV, 4 : M. Agrippa vir rusticitati propior quam deliciis. *Exstat certe ejus oratio magnifica et maximo civium digna de tabulis omnibus signisque publicandis, quod fieri satius fuisset, quam in villarum exilia pelli.*

Agrippa] Vellei. II, 79 : *M. Agrippa virtutis nobilissimæ, labore, vigilia, periculo invictus, parendique sed uni scientissimus, aliis sane imperandi cupidus et per omnia extra dilationes positus consultisque facta conjungens.* Ibid. c. 127 : *Raro eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt, ut duo Scipiones duobus Læliis, quos per omnia æquaverunt sibi, ut D. Augustus M. Agrippa et proxime ab eo Statilio Tauro.* Conf. Senecæ Epist. XCIV. Vipsanius Agrippa fuerat. Vipsanii nomen quasi argumentum paternæ humilitatis sustulerat, et M. Agrippa dicebatur, ut Seneca narrat Controv. II, 12, p. 196. Causas interdum egisse ex eodem Senecæ loco patet.

Apud Dionem Cassium lib. LII, 2-11, orationem memorabilem Agrippæ legimus, quæ quidem tota ex ingenio ipsius Dionis profecta est.

XCIII. Cæsar Octavianus Augustus.

Suet. Octav. c. 84 : Eloquentiam studiaque liberalia ab ætate
prima et cupide et laboriosissime exercuit. Nam deinceps neque 224
in senatu neque apud populum neque apud milites locutus est
unquam nisi meditata et composita oratione, quamvis non defi-

ceretur ad subita extemporali facultate. — C. 86 : Genus eloquendi secutus est elegans et temperatum, vitatis sententiarum ineptiis atque concinnitate et reconditorum verborum, ut ipse dicit, fœtoribus.

Epist. Frontonis ad Verum p. 181 ed. Rom. : Cæsari quidem facultatem dicendi video imperatoriam fuisse, Augustum vero sæculi residui eleganter et Latine, linguæ etiam tum integro lepore potius quam dicendi ubertate præditum puto.

eleganter] legendum fortasse : *seculi residua elegantia, et Latinæ linguæ etiam tum integro lepore* etc.

Tacit. Annal. XIII, 3 : Augusto prompta ac profluens, quæ deceret principem, eloquentia fuit.

In Gellio XV, 7, Augusti prædicatur elegantia orationis neque morosa neque anxia sed facilis hercle et simplex.

Quintil. XII, 6, 1: Cæsar Augustus duodecim annos natus *aviam pro rostris laudavit.*

Sueton. Octav. c. 8 : Duodecimum annum agens *aviam Juliam defunctam pro concione laudavit.*

laudavit] a. 702, cum anno 690 erat natus. Dubitari tamen potest, an hæc laudatio sit unquam edita.

Dio LIV, 35 : Τὴν Ὀκταουΐαν τὴν ἀδελφὴν ἀποθανοῦσαν προέθετο ἐπὶ τοῦ Ἰουλίου ἡρῴου, παραπετάσματι καὶ τότε ἐπὶ τοῦ νεκροῦ χρησάμενος· καὶ αὐτός τε ἐκεῖ τὸν ἐπιτάφιον εἶπε. Octavia soror vita a. U. 741.

Dio LIV, 28 : Τὸν Ἀγρίππαν τὸν τεθνηκότα ἔστε τὸ ἄστυ τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐσεκόμισε καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ προέθηκε, τόν τε λόγον τὸν ἐπ᾽ αὐτοῦ εἶπε, παραπέτασμά τι πρὸ τοῦ νεκροῦ παρατείνας. — Agrippa decessit e vita a. U. 741.

Dio lib. LV, 2 : Καὶ αὐτοῦ (Δρούσου) ἐν τῇ ἀγορᾷ προτεθέντος διπλοῦς ὁ ἐπιτάφιος ἐλέχθη. Ὅ τε γὰρ Τιβέριος ἐνταῦθα αὐτὸν ἐπῄνεσε καὶ ὁ Αὔγουστος ἐν τῷ Φλαμινίῳ ἱπποδρόμῳ. — Drusus, Liviæ filius, mortuus a. U. 744.

Suet. Claud. c. 1 : Defunctum Drusum ita pro concione lau-
225 davit Augustus, *ut deos precatus sit, similes ei Cæsares suos facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent.* Nec contentus, elogium ejus versibus a se compositis exsculpsisse, etiam vitæ memoriam prosa oratione composuit.

Servius in Virg. Æn. I, 712: *Devota* de oratione Augusti trans-

lata est locutio, quam habuit in laudatione funeris Marcelli, cum diceret, *illum immaturæ morti devotum fuisse.*

Marcellus, sororis Augusti filius, obiit a. U. 730.

Exstabant præterea orationes Augusti in æs incisæ, quæ Kal. Januar. in senatu recitari solebant.

Dio Cassius LX, 5, 10: Τότε δὲ λόγους τινὰς ἐν τῇ νουμηνίᾳ τοῦ τε Αὐγούστου καὶ τοῦ Τιβερίου κατὰ δόγμα ἀναγινωσκομένους, ὥς τε καὶ μέχρι τῆς ἑσπέρας τοὺς βουλευτὰς παρατείνεσθαι, ἔπαυσεν (ὁ Κλαύδιος), ἀρκοῦν εἶναι φήσας, ἐν ταῖς στήλαις αὐτοὺς ἐγγεγράφθαι. Idemque auctor tres quatuorve orationes Augusti refert, quas ipse finxerat. Eas igitur respicere nec volui nec debui.

Tac. Ann. I, 10: Augustus cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quamquam honora *oratione* quædam de ambitu vultuque et institutis ejus jecerat, quæ velut excusando exprobraret.

orarione] eamdem orationem Suetonius memorat in Tiber. c. 68.

[Augusti scriptorum fragmenta collegit Janus Rutgersius in Varr. Lect. II, p. 141-180.]

XCIV. T. Cassius Severus.

Seneca Excerpt. Controv. III præfat. p. 421 (p. 395 sqq. ed. Bip.): Memini me a Severo Cassio quærere, quid esset, cur in declamationibus illi sua non responderet eloquentia. In nullo enim hoc fiebat notabilius. Oratio ejus erat valens, culta, ingentibus plena sententiis. Nemo minus passus est aliquid in actione sua otiosi esse, nulla pars erat, quæ non sua virtute staret, nihil, in quo auditor sine damno aliud ageret. Omnia intenta, aliquo petentia: nemo magis in sua potestate habuit audientium affectus. Verum est, quod de illo dicit Gallio noster: *Cum diceret, rerum potiebatur: adeo omnes imperata faciebant; cum ille voluerat, irascebantur. Nemo non illo dicente timebat, ne desineret. Non est, quod illum ex his, quæ edidit, æstimetis. Sunt quidem et hæc* 226
quibusdam grata. Verum eloquentia ejus longe major erat quam lectio. Non hoc ea portione illi accidit, qua omnibus fere, quibus majori commendationi est audiri quam legi, sed in illo longe majus discrimen est. Primum tantumdem erat in homine, quan-

tum in ingenio : corporis magnitudo conspicua, suavitas valentissimæ vocis... Deinde ipsa, quæ dicebat, meliora erant quam quæ sciebat. Vir enim præsentis animi et majoris ingenii quam studii magis placebat in his quæ inveniebat, quam in his quæ attulerat. Jam vero iratus commodius dicebat. Ideo diligentissime cavebant homines, ne dicentem interpellarent. Uno die plures privatas agebat, publicam vero nunquam amplius quam unam uno die. Nec tamen scio, quem reum illi defendere nisi se contigerit; adeo nunquam ullam materiam dicendi nisi periculis suis habuit.

Quintil. X, 1, 116 : Multa, si cum judicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Severus, qui, si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter præcipuos foret. Nam et ingenii plurimum in eo est, et acerbitas mira et urbanitas ejus summa, sed plus stomacho quam consilio dedit. Præterea ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est.

Dial. de oratt. c. 19 : Quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, quem usque ad Cassium Severum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via : non infirmitate ingenii nec inscitia literarum transtulisse se ad dicendi genus contendo, sed judicio et intellectu. Vidit namque, cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam.

Ibid. c. 26 : Equidem non negaverim Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si iis comparetur, qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna parte *librorum suorum* plus vis habeat quam sanguinis. Primus enim contempto ordine rerum, omissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus et studio feriendi plerumque dejectus non pugnat, sed rixatur. Ceterum,
227 ut dixi, sequentibus comparatus et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat, quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit.

Tacit. Annal. IV, 21 : Relatum et de Cassio Severo exule, qui sordidæ originis, maleficæ vitæ, sed orandi validus per immo-

dicas inimicitias, ut judicio jurati senatus Cretam amoveretur, effecerat, atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus interdicto igni atque aqua saxo Seriphio consenuit.

Eusebius Chronicis: Cassius Severus orator egregius XXV exilii sui anno summa inopia moritur, vix panno verenda contectus, anno Domini 34 (i. e. anno Urbis 786).

Tacit. Ann. I, 72: Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis ejus tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qui viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat.

Suet. Calig. c. 16: *T. Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi* scripta senatus consultis abolita requiri et esse in manibus lectitarique permisit.

Horatius in Epod. VI describit acriter *Cassii* mores. [Conf. Schottus De claris apud Senecam rhett. p. 10 sqq. *Westerm.*]

Priscian. VIII, 4, p. 368: Cassius: *Adulatique erant ab amicis et adhortati: adulati,* κολακευθέντες, *adhortati,* προτραπέντες.

Quintil. X, 1, 22: Illud utilissimum, quoties continget, utrimque habitas legere actiones, ut *Pollionis* et *Cassii reo Asprenate.*

Plin. H. N. XXXV, 12: Asprenati reo Cassius Severus accusator objiciebat, interisse veneno triginta et centum convivas.

Asprenati] conf. Pollionis orationem pro Asprenate, p. 212 sq., et Suet. Octav. c. 56.

Quintil. XI, 1, 57: Ideoque mihi illud Cassii Severi non mediocriter displicet: *Dii boni, vivo, et quo me vivere juvet, Asprenatem reum video!* Non enim justa ex causa vel ne- 228
cessaria videri potest postulasse eum, sed quadam accusandi voluptate.

Id. VI, 3, 78: Transtulit crimen Cassius Severus. Nam cum objurgaretur a prætore, quod advocati ejus L. Varo *Epicureo*, Cæsaris amico, convicium fecissent: *Nescio,* inquit, *qui conviciati sint, et puto Stoicos fuisse.*

L. Varo] Spalding. in Præf. vol. II, p. vii, occasionem fuisse joci in causa Asprenatis oranda putat, ita ut intelligendus sit L. Quintilius Varus, quem Horatius Carm. I, 18; Epod. V, 75, celebravit.

Id. VIII, 3, 89: Est et amarum quiddam, quod fere in contumelia est positum, quale Cassii: *Quid facies, cum in bona tua invasero?* hoc est, cum te docuero [nescire] maledicere.

* *nescire*] delendum videtur hoc voc., quod omittunt aliquot codd. *Hoc est* et quæ sequuntur Quintiliani sunt. Cassio ea continuaverat Meyerus.

Suet. De illustr. gramm. c. 22: M. Pomponius Marcellus, sermonis Latini exactor molestissimus, in advocatione quadam (nam interdum et causas agebat) solœcismum ab adversario factum usque adeo arguere perseveravit, quoad Cassius Severus interpellatis judicibus dilationem petiit, *ut litigator suus alium grammaticum adhiberet; quando non putat is cum adversario de jure sibi, sed de solœcismo controversiam futuram.*

Cum esset Cassius vehementer iracundus et acer, multos in judicium vocavit, qui a judicibus absolvi solebant, sæpeque ipse in judicium vocatus est. Legimus apud Macrob. Saturn. II, 4, inter jocos Augusti: Cum multi Severo Cassio accusante absolverentur, et architectus fori Augusti exspectationem operis diu traheret, ita jocatus est: *Vellem Cassius et meum forum accuset.*

accuset] intellige: tum mox absolutum erit. Ludit Augustus in verbo *absolvere*, quod et reum absolvere et opus significat.

Seneca Controv. II, 12, p. 194 (173 ed. Bip.): Fabius Maximus nobilissimus vir fuit, qui primus foro Romano hunc comicum morbum, quo nunc laborat, intulit, de quo Severus Cassius, antequam ab illo reus ageretur, dixerat: *Quasi disertus es, quasi formosus es, quasi dives es; unum tantum es non quasi, vappa.*

Diomed. p. 368: *Sancio sancii* faciebat. Cassius Severus: *Lege sancitum est.*

229 Id. p. 65: *Salitus sum* dixerunt a positione *sallo*, non salio. Severus: *Distractos atque salitos.*

Severus] correxit in Diomedis loco, qui in Putschii editione p. 372, 4, legitur, Jacobus Roverius *Serenus*, Aulum Septimium Serenum Fa-

liscum intelligens, ut Burmannus in Anthol. Lat. vol. 1, p. 14, dicit.

Præterea in Prisciano Epistolarum libri Severi Cassii, ut VII, 11, p. 328, *Cassius ad Mæcenatem;* IX, 10, p. 468, *Cassius ad Tiberium secundo,* memorantur.

XCV. Domitius Afer.

« Domitius Afer, Nemausensis, recens prætura, qua Tiberio imperante a. U. 777 functus erat, modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere, ut ait Tacitus Ann. IV, 52, Agrippinæ (immo Claudiæ Pulchræ, quæ erat Agrippinæ sobrina) accusatione a. U. 778 primoribus oratorum addi cœpit. Ob hanc Agrippinæ accusationem a C. Caligula imperatore inopinato reus factus, suam dicendi artem callide occultans nihilque præ simulata trepidatione et Claudianæ facundiæ admiratione respondens ex periculo non solum evasit incolumis, sed consul etiam suffectus est a. U. 791 auctore Dione Cassio LIX, 19 sq., a quo dicitur ὁ Ἄφρος ὁ Δομίτιος δεινότατος εἰπεῖν ὤν. Summus hic illius ætatis orator in extrema senectute quotidie aliquid de sua auctoritate perdidit, quia deficere malebat quam desinere, ut ait Quintilianus XII, 11, 3, cujus rei documentum refert Plinius Epist. II, 14, 10. Domitius Afer obiit teste Tacito Ann. XIV, 19, Nerone imperante a. U. 812 (vel 813, a. Chr. 60) cibi redundantia in cœna, ut Hieronymus in Eusebii Chronico memoriæ tradidit. » Hæc Weichertus in Comment. De Domitio Marso (Reliq. poet.) p. 246.

Quintil. X, 1, 118: Sunt alii multi diserti, quos persequi longum est. Eorum, quos viderim, *Domitius Afer* et *Julius Africanus* longe præstantissimi. Arte ille et toto genere dicendi præferendus et quem in numero veterum locare non timeas.

Id. VI, 3, 42: In narrando Cicero consistere facetias putat, dicacitatem in jaciendo. Mire fuit in hoc genere venustus *Afer Domitius,* cujus *orationibus* complures hujusmodi narrationes insertæ reperiuntur: sed dictorum quoque ab eodem urbane sunt editi libri.

Id. X, 1, 24: Nobis pueris insignes tres *pro Voluseno Catulo Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Lælii orationes* ferebantur.

230 *ferebantur*] i. e. editæ erant. Weichertus vero nihil scripti nisi duos libros *De testibus* a Quintiliano V, 7, 7, commemoratos Domitium edidisse dicit p. 247 l. l., quod falsum est. Edidit enim præterea *Orationes* et *Dictorum urbane* libros, quorum plura etiam nunc in Quintiliano legimus.

Id. VIII, 5, 16: Sunt et alio relata, ut *Afer Domitius cum Domitillam defenderet, cui objectum crimen, quod virum, qui inter rebellantes fuerat, sepelisset, remiserat Claudius, in epilogo filios ejus alloquens,* Matrem tamen, *inquit,* pueri sepelitote.

Id. IX, 2, 20: A quo schemate non procul abest illa, quæ dicitur *communicatio,* cum aut ipsos adversarios consulimus, ut *Domitius Afer pro Domitilla: Nescit trepida, quid liceat feminæ, quid conjugem deceat; forte vos in illa sollicitudine obvios casus miseræ mulieri obtulit: tu, frater, vos, paterni amici, quod consilium datis?*

frater] cum Quintilianus dicat, Afrum hic adversarios consuluisse, inde sequitur fratrem et paternos amicos accusatores Domitillæ fuisse. Refutatur ergo Gesneri opinio, qui ad locum superiorem, VIII, 5, 16, a filiis suis Domitillam accusatam dixit. Frater et paterni amici diem dicebant Domitillæ, quamquam Claudius imperator objectum ei crimen jam remiserat: quare orator in epilogo ad filios convertens orationem, qui matri in judicio adstabant, dixit: cum mater aliquando vestra diem obibit, ne cunctamini, pie funus ejus prosequi, quamvis hic frater et amici paterni ab officio ac pietate vos distrahere cupiant.

Id. IX, 3, 66: Παρονομασία non uno modo fieri solet, sed ex vicinia quadam prædicti nominis ducta casibus declinatur: ut *Domitius Afer pro Domitilla: Mulier omnium rerum imperita, in omnibus rebus infelix.*

in omnibus rebus] annominatio casibus declinatur in illo *omnium rerum* et *in omnibus rebus.*

Id. IX, 4, 31: Solebat Afer Domitius trajicere in clausulas verba tantum asperandæ compositionis gratia et maxime in procemiis, ut *pro Domitilla: Gratias agam continuo.*

continuo] hæc vox numeros compositionis diremit, in clausula posita.

231 Id. eodem loco: Et *pro Lælia* (dixit Afer): *Eis utriusque apud te, judicem, periclitatur Lælia.*

Lælia] hæc vox in clausula numerum orationis dissolvit.

Id. V, 10, 79: Domitii Afri sententia est pulchra: *Ego accusavi, vos damnastis!*

Id. VI, 3, 84: Illud Afri: *Homo in agendis causis optime vestitus.*

vestitus] figura quæ dicitur παρὰ προσδοκίαν. Exspectabat auditor *versatus.*

Id. VIII, 5, 3: Est Afri Domitii: *Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.*

Id. IX, 3, 78: Tertium est, quod in eosdem casus cadit; ὁμοιόπτωτον dicitur. Sed neque, quod finem habet similem, est ὁμοιόπτωτον et utique in eumdem venit finem ὁμοιοτέλευτον: quia ὁμοιόπτωτον est tantum casu simile, etiamsi dissimilia sint, quæ declinentur, nec tantum in fine deprehenditur, sed respondet vel primis inter se vel mediis vel extremis vel etiam permutatis his, ut media primis et summa mediis accommodentur et quocunque modo accommodari potest. Neque enim semper paribus syllabis constat, ut est apud Afrum: *Amisso nuper infelicis aulæ, si non præsidio inter pericula, tamen solatio inter adversa.* Ejus fere videntur optima, in quibus initia sententiarum et fines consentiunt, ut hic *præsidio, solatio.*

amisso] locus corruptus.

Præter Claudiam Pulchram, de qua supra, accusavit etiam Varum Quintilium, Claudiæ Pulchræ filium, ut in Taciti Annal. IV, 66, legimus.

Charisius I, p. 118: Torcular *Afer pro Taurinis* dixit, sed *torculare* dici debet.

Afer] nescio, an recte eum locum huc traxerim.

[XCV[a]. Acilius Lucanus.

Anonymus scriptor Vitæ Lucani: « Matrem habuit... Aciliam nomine, *Acilii Lucani* filiam, oratoris operæ apud proconsules (Hispaniæ) frequentis et apud clarissimos viros non nullius ingenii; adeo non improbandus, ut *in scriptis aliquibus hodieque duret ejus memoria.* » *Egger.*]

XCVI. Tiberius Nero Cæsar.

Obtinuit imperium a. U. 766, p. Chr. 14.

Suet. Tiber. c. 70 : Artes liberales utriusque generis studiosissime coluit. In oratione latina secutus est Corvinum Messallam, quem senem adolescens observaverat. Sed affectatione et morositate nimia obscurabat stilum, ut aliquanto ex tempore quam a cura præstantior haberetur.

Tacit. Ann. XIII, 3 : Dictator Cæsar summis oratoribus æmulus, et Augusto prompta ac profluens, quæ deceret principem,
332 eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus. Etiam C. Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres.

Suet. Octav. c. 86 : Cacozelos et antiquarios ut diverso genere vitiosos pari fastidio sprevit Augustus, exagitabatque nonnunquam, inprimis Mæcenatem suum. Sed nec Tiberio parcit et exsoletas interdum et reconditas voces aucupanti.

Id. Tiber. c. 8 : Civilium officiorum rudimentis *regem Archelaum, Trallianos* et *Thessalos,* varia quosque de caussa, Augusto cognoscente *defendit.* Pro *Laodicenis, Thyatirenis, Chiis terræ motu afflictis* opemque implorantibus *senatum deprecatus est. Fannium Cæpionem,* qui cum Varrone Murena in Augustum conspiraverat, *reum majestatis apud judices fecit,* et condemnavit.

Id. ib. c. 67 : Ut imperium iniit, et patris patriæ appellationem, et ne in acta sua juraretur, obstinatissime recusavit, ne mox majore dedecore impar tantis honoribus inveniretur. Quod sane et ex oratione ejus, quam de utraque re habuit, colligi potest, vel cum ait : *similem se semper sui futurum, nec unquam mutaturum mores suos, quamdiu sanæ mentis fuisset, sed exempli causa cavendum esse, ne se senatus in acta cujusquam obligaret, qui aliquo casu mutari posset.* Et rursus : *Si quando autem,* inquit, *de moribus meis devotoque vobis animo dubitaveritis* (*quod priusquam eveniat, opto, ut me supremus dies huic mutatæ vestræ de me opinion eripiat*), *nihil honoris adjiciet mihi patris patriæ appellatio, vobis autem exprobravit aut temerita-*

tem delati mihi ejus cognominis aut inconstantiam contrarii de me judicii.

patris patriæ] vid. Tacit. Ann. I, 72.

Tacit. Annal. I, 81 : De comitiis consularibus, quæ tum primum illo principe ac deinceps fuere, vix quicquam firmare ausim : adeo diversa non modo apud auctores, sed in *ipsius* (Tiberii) *orationibus* reperiuntur.

In Taciti Ann. IV, 37 et 38 oratio Tiberii legitur, quæ ingenio ipsius historici tribui debet, ut Krausius quoque in libro *De fontibus Suetonii* p. 5 dicit.

[Orationem *de Maroboduo ad senatum* Eggerus addit. De qua Tacit. Annal. II, 63 : « Ceterum apud senatum disseruit (de Maroboduo Tiberius), *non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse.* EXSTAT ORATIO *qua magnitudinem viri, violentiam subjectarum ei gentium, et quam propinquus Italiæ hostis, suaque in destruendo eo consilia* extulit. » — Aliæ orationes ad senatum commemorantur III, 48, et IV, 4, ubi vide.]

XCVIII. L. Cestius Pius. 233

Plin. Hist. Nat. XI, 37, 71 : Negatur, cremari posse cor in iis, qui cardiaco morbo obierint, negatur et veneno interemptis. Certe *exstat oratio Vitellii, qua reum Pisonem ejus sceleris coarguit, hoc usus argumento, palamque testatus, non potuisse ob venenum cor Germanici Cæsaris cremari.* Contra genere morbi defensus est Piso.

Oratio Vitellii] Suet. Vitell. c. 2 : *Publius Vitellius, Germanici comes, Cn. Pisonem inimicum et interfectorem ejus accusavit condemnavitque, ac post præturæ honorem inter Sejani conscios arreptus, et in custodiam fratri datus scalpro librario venas sibi incidit, nec tam mortis pænitentia quam suorum obtestatione, obligari curarique se passus, in eadem custodia morbo periit.* Ibid. Calig. c. 2 : *Obiit Germanicus, ut opinio fuit, fraude Tiberii, ministerio et opera Cn. Pisonis, qui sub idem tempus Syriæ præpositus nec dissimulans, offendendum sibi aut patrem aut filium, quasi plane ita necesse esset, etiam ægrum Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus nullo adhibito modo affecit, propter quæ, ut Romam rediit, pæne discerptus a populo, a senatu capitis da-*

mnatus est. — Causa celeberrima Cn. Pisonis, adversus quem multa eloquentia dixerat P. Vitellius, acta est anno U. 772, eaque narratur copiose in Taciti Ann. III, 10 sqq. Ibi enim inter cetera legimus (cap. 13): *Post Fulcinium Servæus et Veranius et Vitellius consimili studio, sed multa eloquentia Vitellius objicere, odio Germanici et rerum novarum studio Pisonem vulgus militum per licentiam et sociorum injurias eo usque corrupisse, ut parens legionum a deterrimis appellaretur, contra in optimum quemque, maxime in comites et amicos Germanici sævisse, postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse, sacra hinc et immolationes nefandas ipsius atque Plancinæ, petitam armis rem publicam, utque reus agi posset, acie victum.* — P. Vitellius patruus est Auli Vitellii imperatoris L. F.

XCVIII. L. Cestius Pius.

Seneca Excerp. Controv. lib. III præf. p. 428: Scio Pollionem Asinium et Messalam Corvinum et Passienum, qui nunc primo loco stat, minus bene videri quam *Cestium* aut Latronem. Utrum ergo putas hoc dicentium vitium esse, an audientium? non illi pejus dicunt, sed hi corruptius judicant. Pueri fere aut juvenes scholas frequentant. Hi non tantum disertissi-
234 mis viris, quos paulo ante retuli, sed etiam Ciceroni Cestium suum præferrent, nisi lapides timerent. Quo tamen uno modo possunt, præferunt. Hujus enim declamationes ediscunt. Illius orationes non legunt, nisi eas *quibus Cestius rescripsit.* Memini me intrare scholas, cum recitaturus esset in Milonem Cestius, ex consuetudine sua miratus dicebat: si Thrax essem, Fusius essem; si pantomimus essem, Bathyllus essem; si equus, Melissio. Non continui bilem, exclamavi: *Et si cloaca esses, Maxima esses!* Risus omnium ingens: scholastici intueri me, quis essem, qui tam crassas cervices haberem. Cestius Ciceroni responsurus, mihi quid responderet, non invenit, sed negavit se exsecuturum, nisi exirem de domo. Ego negavi me de balneo publico exiturum, nisi lotus essem.

Quintil. X, 5, 20: Tum causas vel easdem, quas agi audierit, stilo et ipse componat vel etiam alias veras modo et utrinque tractet et, quod in gladiatoribus fieri videmus, decretoriis exerceatur, ut fecisse Brutum diximus pro Milone. Melius hoc, quam *rescribere veteribus orationibus,* ut fecit Cestius contra Cicero-

nis actionem habitam pro eodem, cum alteram partem satis nosse non posset ex sola defensione.

Seneca Suasor. VII, p. 57 : Erat Cestius nullius quidem ingenii, Ciceroni etiam infestus.

Hieronymus in Chronico Euseb. ad Olymp. 191 : Cestius Smyrnæus rhetor latine Romæ docuit (non multum post mortem Virgilii).

De Cestio ejusque genere dicendi disserit Schlosser. in libro *Universalhist. Uebers.* vol. III, part. 1, p. 392 sqq.

XCIX. Mamercus Æmilius Scaurus.

Seneca Controv. lib. v. præf. p. 347 (p. 318 ed. Bip.) : De Scauro si me interrogatis, cum illum mecum audieritis, iniqui estis. Non novi quemquam, cujus ingenio populus Romanus pertinacius ignoverit. Dicebat negligenter sæpe causam in ipsis subselliis; sæpe, dum amicitur, dicebat : deinde litiganti similior quam agenti, cupiebat evocare aliquam vocem adversariorum et in altercatione vires suas noverat. Nihil erat illo venu-
stius, nihil paratius; genus dicendi antiquum, verborum quoque 235
non vulgarium gravitas, ipse cultus habitusque corporis mire ad auctoritatem oratoriam aptatus. Sed ex iis omnibus scire posses, non quantum oratorem præstaret Scaurus, sed quantum desereret. Pleræque actiones malæ, in omnibus tamen aliquod magni neglectique ingenii vestigium exstabat ; raro aliqua actio bona, sed quam fortunæ imputares. Sed illum longa, imo perpetua desidia eo perduxerat, ut nihil curare vellet, nihil posset. *Orationes septem edidit, quæ deinde senatus consulto combustæ sunt.* Bene cum illis ignis egerat.

Tacit. Ann. III, 31 : Domitius Corbulo, prætura functus, de L. Sulla nobili juvene questus est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non decessisset. Pro Corbulone ætas, patrius mos, studia seniorum erant : contra Mamercus Scaurus et L. Arruntius aliique Sullæ propinqui nitebantur certabantque orationibus. Satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullæ et *oratorum ea ætate uberrimus erat.*

Id accidit a. U. 773.

Tac. Ann. III, 66 : C. Silanum, proconsulem Asiæ, repetundarum a sociis postulatum, *Mamercus Scaurus* e consularibus, Junius Otho prætor, Brutidius Niger ædilis simul corripiunt objectantque violatum Augusti numen, spretam Tiberii majestatem; Mamercus antiqua exempla jaciens, L. Cottam a Scipione Africano, Ser. Galbam a Catone censorio, P. Rutilium a Marco accusatos. Videlicet Scipio et Cato talia ulciscebantur, aut ille Scaurus, quem proavum suum opprobrium majorum Mamercus infami opera dehonestabat.

Id accidit a. U. 774.

Ibid. VI, 9 : Annius Pollio, Appius Silanus Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio majestatis postulantur.

Ibid. VI, 29 : Mamercus dein Scaurus rursum postulatur, insignis nobilitate et orandis causis, vita probrosus.... Scaurus, ut dignum veteribus Æmiliis, damnationem anteit, hortante Sextia uxore, quæ incitamentum mortis et particeps fuit.

236 *postulatur*] a Thusco, ut memoriæ tradidit Seneca Suasor II, pag. 24, anno 786.

vita probrosus] vid. Seneca De Benefic. IV, 31.

C. Decimus Lælius Balbus.

Quintil. X, 1, 24 : Nobis pueris insignes *pro Voluseno Catulo* Domitii Afri, Crispi Passieni, *Decimi Lælii orationes* ferebantur.

D. Lælii] Annorum spatium haud permittit agnoscere D. Lælium Balbum, quem ex Cicer. De orat. II, 6, accepimus virum bonum et non illiteratum esse, qui quæsturam gessit a. U. 626. Nec magis constat, an hic, quem quærimus, idem sit cum D. Lælio, qui a. U. 699 quæstor in Sicilia fuerat, et contra quem M. Cœlius in oratione quadam dixit, ut ex Quintil. VI, 3, 39, scimus. Alius D. Lælius et diversus ab utroque, quos nominavi, consulatum gessit a. U. 747, ut Dio Cassius LV, 9, retulit. Quid vero amplius ? cur diutius lectorem moremur ? Hic, de quo agitur, a Tacito commemoratur Annal. VI, 47 : *Lælius Balbus Acutiam, P. Vitellii quondam uxorem, majestatis postulaverat, qua damnata cum præmium accusatori decerneretur, Junius Otho, tribunus plebis; intercessit, unde illis odia, mox Othoni exsilium. Dein multorum amoribus famosa Albucilla defertur impietatis in principem. Albucilla irrito ictu a semet vulnerata jussu senatus in carcerem fertur. Stupro-*

rum ejus ministri, Carsidius Sacerdos prætorius ut in insulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem senatorium; et eædem pœnæ in Lælium Balbum decernuntur; id quidem a lætantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur, promptus adversum insontes.

Id accidit a. U. 789, 37 p. Chr.

CI. L. Annæus Seneca.

Consul fuit suffectus a. U. 814.

Quintil. X, 1, 125 : Ex industria Senecam in omni genere eloquentiæ distuli propter vulgatam falso de me opinionem, quia damnare eum et invisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora judicia contendo. Tum autem solus hic fere in manibus adolescentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam, quos ille non destiterat incessere, cum diversi sibi conscius 237
generis, placere se in dicendo posse, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis quam imitabantur, tantumque ab eo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. Sed placebat propter sola vitia, et ad ea se quisque dirigebat effingenda, quæ poterat; deinde cum se jactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat. Cujus et multæ alioqui et magnæ virtutes fuerunt, ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multa rerum cognitio : in qua tamen aliquando ab his, quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus est.... Tractavit etiam omnem fere studiorum materiam. Nam et *orationes* ejus et poemata et epistolæ et dialogi feruntur.... In philosophia parum diligens, egregius tamen insectator vitiorum fuit. Multæ in eo claræque sententiæ, multa etiam morum gratia legenda, sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno judicio. Multa probanda in eo, multa etiam admiranda sunt : eligere modo curæ sit, quod utinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura, quæ meliora vellet, quæ, quod voluit, effecit.

diffideret] Huc pertinet id quod Suetonius narrat in Nerone c. 52 : « Liberales disciplinas omnes fere puer attigit, sed a philosophia eum mater avertit, monens imperaturo contrariam esse; a cognitione vete-

rum oratorum Seneca præceptor, quo diutius in admiratione sui detineret. »

Gellius XII, 2 : De Annæo Seneca partim existimant ut de scriptore minime utili, cujus libros attingere nullum pretium operæ sit, quod oratio ejus vulgaria videatur et protrita, res atque sententiæ aut ut inepto inanique impetu sint aut ut levi et quasi dicaci argutia ; eruditio autem vernacula et plebeia, nihilque ex veterum scriptis habens neque gratiæ neque dignitatis ; alii vero elegantiæ quidem in verbis parum esse non infitias eunt, sed et rerum, quas dicat, scientiam doctrinamque ei non deesse dicunt et in vitiis morum objurgandis severitatem gravitatemque non invenustam.

Fronto De orationibus ad M. Cæsarem p. 239 : Confusam
238 eam ego eloquentiam catachannæ ritu partim igneis nucibus Catonis, partim *Senecæ* mollibus et febriculosis prunuleis insitam, subvertendam censeo radicitus, imo vero Plautino irato verbo exradicitus. Neque ignoro copiosum sententiis et redundantem esse hominem, verum sententias ejus tolutares video quatere campum quadripedo concito cursu, tenere nusquam, pugnare nusquam, instantem eludere, ut Laberius dictabolaria, imo dicteria potius eum quam dicta continere. Itane existimas graviores sententias et eadem de re apud Annæum istum reperturum te quam apud Sergium? Sed non modulatas æque, fateor, neque ita cordaces ; ita est, neque ita tinnulas; non nego. Quid vero, si prandium idem utrisque adponatur, adpositas oleas alter digitis prendat, ad os adferat, ut mandicandi jus fasque est, ita dentibus subjiciat; alter autem oleas suas in altum jaciat, ore aperto excipiat; exceptas ut calculos præstigiator primoribus labris ostentet : ea re profecto pueri gaudeant, convivæ delectentur? Sed alter pudice pranderit, alter labellis gesticulatus erit. At enim sunt quædam in libris ejus scite dicta, graviter quoque nonnulla. Etiam laminæ interdum argentiolæ cloacis inveniuntur, eane re cloacas purgandas redimemus ?

Senecæ] consentientes videmus in judicio de eloquentia Senecæ Quintilianum, Frontonem, Gellium.

quatere campum] Recepi, ut par erat, emendationem ingeniosam Orellii in Adnotatt. ad Chrestomathiam Frontonianam p. 173. Vulgo : *tolu-*

tares video quamquam quadripedo concito cursu l. n. p. nusquam jestatem studere.

Dio Cassius LIX, 19 : Ὁ δὲ δὴ Σενέκας ὁ Ἄννιος Λούκιος, ὁ πάντας μὲν τοὺς καθ' ἑαυτὸν Ῥωμαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους σοφίᾳ ὑπεράρας, διεφθάρη παρ' ὀλίγον, μήτ' ἀδικήσας τι μήτε δόξας, ὅτι δίκην τινὰ ἐν τῷ συνεδρίῳ παρόντος αὐτοῦ (Γαΐου) καλῶς εἶπε.

καλῶς] idem legitur in Vatic. Fragm. Dion. Cass. 85.

Sueton. Calig. c. 53 : Caligula lenius comptiusque scribendi genus adeo contemnens fuit, ut *Senecam, tum maxime placentem, commissiones meras componere et arenam esse sine calce* diceret.

Tacit. Ann. XIII, 3 : Die funeris laudationem ejus princeps 239
exorsus est. Dum *antiquitatem generis, consulatus ac triumphos majorum* enumerabat, intentus ipse et ceteri, *liberalium* quoque *artium* commemoratio, et *nihil regente eo reip. triste ab externis accidisse,* pronis animis audita : postquam *ad providentiam sapientiamque* flexit, nemo risui temperare, quamquam *oratio, a Seneca composita, multum cultus præferret, ut fuit illi viro ingenium amœnum et temporis ejus auribus accommodatum.*

ejus] Claudii imperatoris per Agrippinam uxorem veneno necati anno U. 806, p. Chr. 54.

princeps] Nero.

Oratio Senecæ ad Neronem exstat in Taciti Annal. XIII, 53 et 54. Occiditur jussu Neronis a. U. 818, p. C. 66. Tac. Ann. XV, 60.

CII. C. Cæsar Caligula.

Accepit imperium a. U. 789, p. Ch. 37.

Uno tantum ad probandum innitimur loco, Caligulam orationes edidisse. Legimus enim apud Suetonium Calig. c. 53 : Ex disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiæ plurimum attendit, quantumvis facundus et promptus, utique si perorandum in aliquem esset. Irato et verba et sententiæ suppetebant. Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere et magnorum in senatu reorum accusationes defensionesque meditari, ac prout stilus cesserat, vel onerare sententia sua quemque vel

sublevare, equestri quoque ordine ad audiendum invitato per edicta. — Ut Caligula, sic Cestius orationibus veterum rescripsit, quæ ab ejus auditoribus, quorum aures illis temporibus erant corruptæ, majore plausu legebantur quam Ciceronis orationes.

Suet. Calig. c. 20 : Edidit Caligula certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ, quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorumdem et laudes componere coactos. Eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos nisi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi
240 maluissent. — Domitius Afer, orator celeberrimus, vitam suam nulla alia re servare potuit nisi quam habuit adversus se orationem Caligula summe admirando, ut Dio Cass. narrat LIX, 19. Simile quiddam Senecæ accidit, ut ibidem legimus.

Tacit. Ann. XV, 3 : Etiam C. Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrupit.

Dionis Excerpt. Vatic. p. 534 : Ἔργον μέγα ἢ βασίλειον οὐδὲν αὐτῷ (Γαΐῳ) πεπραγμένον· αἴτιον δὲ ἦν ἡ περὶ τὰ ἀχρεῖα σπουδή. Ῥήτωρ δὲ ἦν ἄριστος καὶ γλώσσῃ τῇ Ἑλλάδι καὶ τῇ Ῥωμαίοις πατρίῳ σφόδρα ἠσκημένος.

Suet. Calig. c. 10 : In Liviæ Augustæ proaviæ suæ contubernio mansit, quam defunctam prætextatus etiam tum pro rostris laudavit. Conf. c. 23. — Etiam Tiberium pro concione laudavit, ut idem cap. 15 dicit.

CIII. C. Vibius Crispus Passienus.

Nihil habeo, quod addere possim eleganti de hoc oratore commentationi Spaldingii ad Quintil. VI, 1, 50.

Seneca Controv. II, 13, p. 204 : Passienus, vir eloquentissimus et temporis sui primus orator.

Quintil. VI, 1, 50 : Sunt et illi leniores epilogi, quibus adversario satisfacimus, si forte sit ejus persona talis, ut illi debeatur reverentia, aut cum amice aliquid commonemus, et ad concordiam hortamur, quod est genus egregie tractatum a Passieno, cum Domitiæ uxoris suæ pecuniaria lite adversus fratrem ejus Aënobarbum ageret : nam cum de necessitudine multa dixisset,

de fortuna quoque, qua uterque abundabat, adjecit : *Nihil vobis minus deest, quam de quo contenditis.*

Domitiæ] ejusdem fit mentio causæ VI, 3, 74.

Quintil. X, 1, 24 : Nobis pueris insignes tres *pro Voluseno Catulo* Domitii Afri, *Crispi Passieni*, D. Lælii orationes ferebantur.

Tacit. Ann. VI, 20 : Mox scitum Passieni, oratoris, dictum percrebuit, *neque meliorem unquam servum neque deteriorem dominum fuisse.*

dictum] in C. Cæsarem Caligulam. Meminit etiam Sueton. Calig. c. 10.

CIV. Tib. Claudius Drusus Cæsar. 241

Obtinuit imperium a. U. 793, p. Chr. 41.

Tac. Ann. XIII, 3 : Nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres.

Exstat in tabulis æneis duabus Lugduni erutis celebratissimum orationis Claudii fragmentum, in qua de jure Gallorum in urbe honores adipiscendi disseritur, quæ primum apud Gruterum p. 502, tum accuratius edita est in Brotierii Tacito ed. Paris. 1820, vol. IV, p. 474, in Excursu Lipsiano ad Tacit. Ann. xi, 24. Ejusdem orationis, quam Claudius a. U. 800 habuit, dedit epitomen Tacitus in Annal. xi, 24. [Nuperrime orationis fragmentum in æneis tabulis servatum peculiari libello edidit, docte illustravit et eleganter de Claudii eloquentia disseruit Carolus Zell.]

Suet. Claud. c. 38 : Ac ne stultitiam quidem suam reticuit, simulatamque a se ex industria sub Caio, quod aliter evasurus perventurusque ad susceptam stationem non fuerit, *quibusdam oratiunculis* testatus est. Nec tamen persuasit, cum intra breve tempus liber editus sit, cui index erat μωρῶν ἀνάστασις, argumentum autem, stultitiam neminem fingere.

Ibid. c. 3 : Disciplinis liberalibus ab ætate prima non mediocrem operam dedit, ac sæpe experimenta cujusque etiam publicavit. Verum ne sic quidem quidquam dignitatis assequi aut spem de se commodiorem in posterum facere potuit.

Ibid. c. 26 : Confirmavit Claudius pro concione apud præto-

rianos, quatenus sibi matrimonia male cederent, permansurum se in cœlibatu, ac nisi permansisset, non recusaturum confodi manibus ipsorum.

CV. Nero Claudius Cæsar.

Accepit imperium a. U. 806, p. Chr. 54.

Suet. Neron. c. 7 : Apud eumdem consulem *pro Bononiensibus latine, pro Rhodiis atque Iliensibus græce verba fecit.*

Tacit. Ann. XII, 58 : D. Junio, Q. Haterio Coss. (a. 806) sedecim annos natus Nero Octaviam, Cæsaris filiam, in matrimonium accepit. Utque studiis honestis et eloquentiæ gloria nitesceret, causa Iliensium suscepta Romanum Troia demissum
242 et Juliæ stirpis auctorem Ænean aliaque haud procul fabulis vetera facunde exsecutus impetrat, ut Ilienses omni publico munere solverentur. Eodem oratore Bononiensi coloniæ igni haustæ subventum centies sestertii largitione.

Suet. Ner. c. 46 : Cum ex *oratione ejus, qua in Vindicem perorabat,* recitaretur in senatu, *daturos pœnas sceleratos ac brevi dignum exitum facturos*, conclamatum est ab universis : Tu facies, Auguste !

in Vindicem] ibid. cap. 40 : *Talem principem paullo minus quattuordecim annos perpessus terrarum orbis tandem destituit, initium facientibus Gallis duce Julio Vindice, qui tum eam provinciam pro prætore obtinebat.* — Hæc res accidit a. U. 820. Conf. Suet. Galb. c. 9 sqq.

Ibid. c. 47 : Nuntiata interim etiam ceterorum exercituum defectione..... varia agitavit, Parthosne an Galbam supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque rostris quanta maxima posset miseratione veniam præteritorum precaretur, ac ni flexisset animos, vel Ægypti præfecturam concedi sibi oraret. Inventus est postea in scrinio ejus hac de re *sermo* formatus.

Ibid. c. 9 : Orsus a pietatis ostentatione *Claudium* apparatissimo funere elatum *laudavit* consecravitque.

Ibid. c. 15 : *Orationes ad senatum missas* præterito quæstoris officio per consulem plerumque recitabat.

Ceterum alias Senecæ ingenio usus est Nero, quando oratio habenda erat. Sic, ut Tac. in Ann. XIII, 3, observat, adnotabant

seniores, quibus otiosum est, vetera et præsentia contendere, primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienæ facundiæ eguisse... Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit, cælare, pingere, cantus aut regimen equorum exercere, et aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinæ ostendebat.

CVI. Vibius Crispus.

De hoc oratore multos veterum locos collegit Rupertius ad Juvenal. Sat. IV, 81.

Tacit. Hist. II, 10 : Vibius Crispus pecunia, potentia, ingenio 213
inter claros magis quam inter bonos, *Annium Faustum*, equestris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitaverat, *ad cognitionem senatus vocabat*.

Dial. De oratt. c. 8 : Ausim contendere, Marcellum hunc Eprium, de quo modo locutus sum et Crispum Vibium (libentius enim novis et recentibus quam remotis et obliteratis exemplis utor) non minus esse in extremis partibus terrarum quam Capuæ aut Vercellis, ubi nati dicuntur.

non minus esse] i. e. vivere, in honore esse, vigere, in ore hominum versari.

Quintil. X, 1, 119 : Vibius Crispus compositus et jucundus et delectationi natus, privatis tamen causis quam publicis melior.

Id. XII, 10, 11, jucunditatem *Crispo* tribuit.

Quintil. V, 13, 48 : At quidam contradictione non contenti totos etiam locos explicant : *scire se hoc dicturos adversarios, et ita persecuturos*. Quod factum venuste nostris temporibus elusit Vibius Crispus, vir ingenii jucundi et elegantis : *Ego vero*, inquit, *ista non dico; quid enim attinet illa bis dici?*

Id. VIII, 5, 17 : *Pro Spatale* Crispus, quam qui heredem amator instituerat decessit, cum haberet annos duodeviginti : *O hominem divinum, qui sibi indulsit!*

pro Spatale] contra quam eadem in causa dixit Trachalus. Vid. adnotat. Wolffii ad h. l.

CVII. Montanus Votienus.

Seneca Controv. lib. IV, 28, p. 335 (307 ed. Bip.): Montanus Votienus, homo rarissimi, etiamsi non emendatissimi ingenii, vitium suum, quod in orationibus non evitabat, in scholasticis quoque evitare non potuit. Sed in orationibus, quia laxior est materia, minus earumdem rerum adnotatur iteratio; in scholasticis, si eadem sunt quæ dicuntur, quia pauca sunt, notantur. Memini illum *pro Galla Numisia apud centumviros* tirocinium ponere. Ex uncia heres erat patris sui Galla: objiciebatur illi
244 veneficium: dixit rem disertissimam et omnibus seculis duraturam, quia nescio an quicquam melius in eo genere causarum dictum: *Unciam nec filiæ deberi nec veneficæ*. Non fuit contentus, adjecit: *In paternis tabulis filiæ locus aut suus debetur aut nullus*. Etiamnum adjecit: *Relinquis nocenti nimium, innocenti parum*. Ne sic quidem satiare se potuit, adjecit: *Non potest filia tam anguste paternis tabulis adhærere, quas aut totas possidere debet aut totas perdere*, et plura multo, quæ memoria non repeto. Ex iis quædam in orationem contulit et alia plura quam dixerat, adjecit. Nihil non ex iis bellum est, si solum sit: nihil non rursus ex eis alteri obstat... Habet hoc Montanus vitium: sententias suas repetendo corrumpit; dum non est contentus unam rem semel bene dicere, efficit, ne bene dixerit. Et propter hoc et alia, quibus orator potest poetæ similis videri, solebat Scaurus Montanum inter oratores Ovidium vocare. Nam et Ovidius nescit, quod bene cessit, relinquere.

Senec. Controv. III, 20, p. 264 (p. 239 ed. Bip.): Vinicius exactissimi vir ingenii, qui nec dicere res ineptas nec ferre poterat, solebat hanc sententiam Seniani deridere et similem illi referre in oratione dictam Montani Votieni: ..... *Acre omnino et experrectum est animal canis, utique catenarius paratus*. Erat autem non æquus ipsi Montano: *accusaverat* illum *apud Cæsarem a colonia Narbonensi rogatus;* at Montanus adeo toto animo scholasticus erat, ut eodem die, quo accusatus a Vinicio decertaverit, in Vinicii actionem sententias suas referebat.

apud Cæsarem] Tiberium, ut ex Hieronymi loco, quem mox citabo, colligimus.

Tacit. Ann. IV, 42: Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano, celebris ingenii viro, cognitio cunctantem jam Tiberium perpulit, ut vitandos crederet patrum cœtus, vocesque quæ plerumque veræ et graves coram ingerebantur..... Et Votienus quidem majestatis pœnis affectus est.

pœnis] Hieronym. in Euseb. Chron.: *Votienus Montanus Narbonensis orator in Balearibus insulis moritur, illuc a Tiberio relegatus.* In exilium pulsus a. U. 777 diem obiit a. 779. Narbonensis erat Montanus, 245
ut Martialis quoque testatur Epigr. I, 8, 72: *Docti patria Narbo Votieni.*

CVIII. L. Junius Gallio pater.

Dial. de oratt. c. 26: Ceterum si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiæ eligenda sit forma dicendi, malim Hercule C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Mæcenatis aut tinnitus Gallionis.

Seneca Rhet. Controv. lib. v præf. p. 351: Monstrabo bellum vobis libellum, quem a Gallione vestro petatis. Recitabit rescriptum Labieno pro Bathyllo Mæcenatis, in quo suspicietis adolescentis animum, illos dentes ad mordendum provocantis.

illos dentes] in hac oratione, qua orationi Labieni rescripsit, fortiter provocat Gallio adversarium.

Quintil. IX, 2, 91: Est latens et illa significatio, qua, cum jus asperius petitur a judice, fit tamen spes aliqua clementiæ, non palam ne paciscamur, sed per quamdam credibilem suspicionem. Latro igitur optime: *Occides ergo? Si potero.* Remissius et pro suo ingenio pater Gallio: *Dura, anime, dura: here fortior fuisti!*

Dura, anime] id non in oratione, sed in declamatione quadam dixit: idem enim apud Senecam in Controv. lib. II, 11, p. 177 legimus: *Cum vultum, ait Gallio, in supplicis habitum submiseris, cum dixeris: Pœnitet quod rapui, quod te priorem non rogavi; cum dixeris te dementem fuisse, deliberabo cum amicis, deliberabo cum propinquis, deliberabo cum tua matre. Me miserum! quam pene promisi?* « Anime, dura! heri fortior eras, » *et multum habeo, quod deliberem, diversi me affectus distringunt, inter reum et patrem distrahor.*

Duo Junii Galliones rhetores fuerunt, pater et filius. Gallio

pater amicus fuit Senecæ rhetoris, et in opere ejus rhetorico *noster* appellatur, et hujus unius sunt sententiæ, quæ Gallioni in illo adscribuntur. Is ipsius Senecæ filium, philosophi fratrem natu maximum, adoptavit, qui inde Junius Annæus Gallio vocabatur. Conf. Faber ad Senec. Controv. II, 4, p. 177 sq., Spalding. ad Quintil. III, 1, 21. [Schottus De claris ap. Sen. rhett. p. 16. *West.*]

246 CIX. Julius Africanus.

Is filius est Julii Africani e Santonis Gallica civitate, qui a Tiberio damnatus est, ut Tacit. Ann. VI, 7 narrat, frater ejus vel cognatus certe est Sextius Africanus, qui census per Gallias egit anno Urbis 814, auctore Tacit. Ann. XIV, 46.

Dial. de oratt. c. 15: Video etiam Grais accidisse, ut longius absit Æschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes, et si quis alius Ephesum vel Mitylenas contentis scholasticorum clamoribus quatit, quam Afer (Domitius Afer) aut Africanus (Julius Africanus) aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.

Sacerdos Nicetes] conf. Plin. Ep. VI, 6, 3.

Quintil. X, 1, 118: Eorum, quos viderim, *Domitius Afer et Julius Africanus* longe præstantissimi, hic concitatior, sed in cura verborum nimius et compositione nonnunquam longior et translationibus parum modicus.

Id. XII, 10, 11: Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens proventus. Hic vim Cæsaris, indolem Cælii, subtilitatem Calidii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatem Calvi, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassii reperiemus; in iis etiam, quos ipsi vidimus, copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, jucunditatem Crispi, sonum Trachali, elegantiam Secundi: at M. Tullium in omnibus, quæ in quoque laudantur, eminentissimum.

Id. VIII, 5, 15: Jam hæc magis nova sententiarum genera. *Ex inopinato.* — Insigniter Africanus *apud Neronem de morte matris: Rogant te, Cæsar, Galliæ tuæ, ut felicitatem tuam fortiter feras.*

de morte matris] Posquam Nero Agrippinam matrem Baiis necaverat, amici dehinc, adulantes imperatori, adibant templa et cœpto exemplo proxima Campaniæ municipia victimis et legationibus lætitiam sunt testati, ut Tacitus narrat Annal. XIV, 10: *Reversus Romam Nero ex provinciis legationes ad gratulandum missas accepit: quarum Gallicam Africanus ducebat orator, quia ipse natione erat Gallus.* Id facinus patratum est a. U. 812. Rogat autem orator Neronem, ut felicita-
tem suam (i. e. mortem Agrippinæ) fortiter ferat, quia Seneca in eo 247
scripto, quod Nero ad senatum misit occisa matre, cum se periclitatum videri vellet, posuerat: *Salvum me esse adhuc nec credo nec gaudeo* (Quintil. VIII, 5, 18). Unde ex inopinato illud dictum videri poterat.

CX. M. Galerius Trachalus.

Conf. Spalding. ad Quintil. VI, 3, 78. Consul fuit Trachalus a. U. 820.

Quintil. X, 1, 119: Erant clara et nuper ingenia. Nam et Trachalus plerumque sublimis et satis apertus fuit, et quem velle optima crederes, auditus tamen major. Nam et vocis, quantam in nullo cognovi, felicitas et pronuntiatio vel scenis suffectura et decor, omnia denique ei, quæ sunt extra, superfuerunt.

Sonus Trachali a Quintil. XII, 10, 11 laudatur in eo loco, quem modo in Julio Africano rettuli.

Quintil. XII, 5, 5: Sunt et naturalia, quæ tamen et cura juvantur, instrumenta vox, latus, decor, quæ quidem tantum valent, ut frequenter famam ingenii faciant. Habuit oratores ætas nostra copiosiores, sed cum diceret, eminere inter æquales Trachalus videbatur, ea corporis sublimitas erat, is ardor oculorum, frontis auctoritas, gestus præstantia, vox quidem non, ut Cicero desiderat, pæne tragœdorum, sed super omnes, quos ego quidem audierim, tragœdos.

Id. VIII, 5, 19: Geminatio fit pulcherrima, cum aliqua comparatione clarescit. Trachalus *contra Spatalen: Placet hoc ergo, leges, diligentissimas pudoris custodes, decimas uxoribus dari, quartas meretricibus?*

contra Spatalen] pro qua Vibius dixit Crispus, ut supra vidimus. Orationes, quas Otho imperator vel in senatu vel apud milites habuit, a Trachalo compositæ fuerunt, ut vulgo credebatur, auctore Tacito Hist. I, 90: *Otho vocata concione majestatem urbis et consensum populi ac senatus pro se attollens, adversum Vitellianas partes modeste disseruit, inscitiam*

potius legionum quam audaciam increpans nulla Vitellii mentione, sive ipsius ea moderatio, seu scriptor orationis sibi metuens contumeliis in Vitellium abstinuit, quando ut in consiliis militiæ Suetonio Paullino et Mario Celso, ita in rebus urbanis Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur. Et erant, qui genus ipsum orandi noscerent crebro usu fori
218 *celebre et ad implendas aures latum et sonans.*— Exstitit nuper quidam, qui reliquas quoque orationes Othonis, quæ in Historiis Taciti (I, 37 et 83) leguntur, non a Tacito, sed a Trachalo ad verbum confectas esse dixit. (Vide Bernardi *Recherches sur Galerius Trachalus, orateur et consul Romain, dans les Mémoires de l'Institut Royal de France*, Paris 1824, vol. VII, p. 119 sqq.) Hanc opinionem meo judicio repugnare fateor. Tacitus enim æque ac ceteri veterum historicorum orationes omnes ipse elaboravit, ut multis indiciis aperte ostendi potest.

CXI. M. Fabius Quintilianus.

Quintil. VII, 2, 24 : In iis quæ mutuam accusationem habeant, utriusque partis argumenta inter se comparantur. Id autem genus, de quo novissime dixi, non solum in scholis sæpe tractatur, sed etiam in foro. Nam id est *in causa Nævii Arpiniani* solum quæsitum, *præcipitata esset ab eo uxor, an se ipsa sua sponte jecisset.* Cujus actionem et quidem solam in hoc tempus emiseram, quod ipsum me fecisse ductum juvenili cupiditate gloriæ fateor. Nam ceteræ, quæ sub nomine meo feruntur, negligentia excipientium in quæstum notariorum corruptæ, minimam partem mei habent.

causa Nævii] Næviana hæc causa bonis argumentis a Dodwello Annal. Quint. §. 17 assignatur 70 post Christum anno, cum Quintilianus 28 ætatis suæ ageret. *Spalding.*

Meminit Quintilianus aliarum duarum, quas tractaverat, causarum, IV, 1, 19, et IX, 2, 73.

CXII. C. Plinius Cæcilius Secundus.

Natus a. 814, consul fuit a. U. 852, post Chr. 100; Bithyniæ ac Ponto præfectus a. 855.

Plin. Epist. V, 8, 6 : Egi magnas et graves causas. Has (etiamsi mihi tenuis ex iis spes) destino retractare, ne tantus ille labor meus, ni hoc, quod reliquum est studii, addidero, mecum pariter

intercidat. Nam si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non inchoato est. Dices : Potes simul et rescribere actiones et componere historiam. Utinam ! sed utrumque tam magnum est, ut abunde sit alterum efficere. Undevicesimo ætatis anno dicere in foro cœpi, et nunc demum, quid præstare 249
debeat orator, adhuc tamen per caliginem video.

Id. I, 18, 3. Susceperam *causam Julii Pastoris*, cum mihi quiescenti visa est socrus mea advoluta genibus, ne agerem, obsecrare. Et eram acturus adhuc adolescentulus, eram in quadruplici judicio; eram contra potentissimos civitatis, atque etiam Cæsaris amicos ; quæ singula excutere mentem mihi post tam triste somnium poterant. Egi tamen... Prospere cessit.

Id. VI, 12, 2 : *Vectio Prisco*, quantum plurimum potero, præstabo præsertim in arena mea, hoc est apud centumviros.

Id. VI, 18, 1 : Rogas ut agam *Firmanorum* publicam causam, quod ego, quamquam plurimis occupationibus distentus, adnitar. Cupio enim et ornatissimam coloniam advocationis officio et te gratissimo tibi munere obstringere.

Id. VII, 33, 5 : Dederat me senatus cum Herennio Senecione advocatum provinciæ Bæticæ *contra Bæbium Massam*, damnatoque Massa censuerat, ut bona ejus publice custodirentur.

Bæbium Massam.] Herennius Senecio, qui una cum Plinio accusavit Bæbium Massam, a Domitiano sublatus est a. U. 846. In Agricola Taciti cap. 45 legimus, Agricolam vidisse jam reum Massam Bæbium : is autem mortuus est a. U. 845, p. Chr. 93. Causæ igitur illa eodem anno acta videtur, ut Massono in Vita Plinii p. 59 placuit.

Id. III, 4 : Legati provinciæ Bæticæ questuri *de proconsulatu Cæcilii Classici* advocatum me a senatu petierunt.

Cæcilii Classici] Plin. epist. 9 ejusdem libri : *Cæcilius Classicus, homo fœdus et aperte malus, proconsulatum in provincia Bœtica non minus violenter quam sordide gesserat eodem anno quo in Africa Marius Priscus. Erat autem Priscus ex Bœtica, ex Africa Classicus.* — Hæc causa acta est a. U. 851. (Vid. Masson. Vit. Plin. p. 94.)

Id. II, 11 : Egi cum Cornelio Tacito *causam Afrorum contra Marium Priscum*, proconsulem.

c. Marium Priscum] acta est causa a Plinio a. U. 851, cum designatus erat consul.

250 Ibid. IV, 9 : Defendi *Julium Bassum*, ex Bithynia repetundarum reum. — Ac in fine hujus epistolæ legimus : « Habebis hanc interim epistolam ut πρόδρομον, exspectabis orationem plenam onustamque, et exspectabis diu; neque enim leviter et cursim, ut de re tanta, retractanda est. »

Julium Bassum] causa a. U. 853, p. Ch. 101, a Plinio acta est, ut Masson. Vit. Plin. p. 119 statuit.

Id. IV, 20 : Dixi *pro Rufo Vareno*, a Bithynis ex proconsulatu postulato. — Dicit deinde in eadem epistola : « Egi ego pro Vareno, non sine eventu ; nam bene an male, liber indicabit. » Deinde : « Providendum est mihi, ne gratiam novitatis et florem, quæ oratiunculam meam vel maxime commendat, epistolæ loquacitate præcerpam. »

Pro Rufo Vareno] causa acta a. U. 854. V. Masson. l. l. p. 125.

Has quinque præcedentes causas in summam collegit lib. VI, 29, 7.

Id. IV, 5 : Æschinem aiunt petentibus Rhodiis legisse orationem suam, deinde Demosthenis, summis utramque clamoribus. Quod tantorum virorum scriptis contigisse non miror, cum orationem meam proxime doctissimi homines hoc studio, hoc adsensu, hoc etiam labore per biduum audierint. An merito, scies, cum librum legeris.

Id. IV, 17 : Suscipiam *causam filiæ Corellii contra C. Cæcilium*, consulem designatum.

Ibid. VI, 33 : Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores ! Seu scribis aliquid, seu legis, tolli, auferri jube, et accipe orationem meam, ut illi arma, divinam. Num superbius potui ? revera ut inter meas pulchram. Nam mihi satis est certare mecum. Est hæc *pro Accia Variola* et dignitate personæ et exempli raritate et judicii magnitudine insignis.... Solent quidam ex contubernalibus nostris existimare hanc orationem (iterum dicam) præcipuam ut inter meas ὡς ὑπὲρ Κτησιφῶντος esse. An vere, tu facillime judicabis.

Accia Variola] Hanc orationem Sidonius quoque maxime laudat, ut ex eo loco elucet, quem mox ex ejus Epistolis afferam.

Id. I, 5 : *Aderam Arionillæ,* Timonis uxori, rogatu Aruleni Rustici.

aderam] a. U. 845 vel certe ante necem Aruleni Rustici, quæ a. 846 251
patrabatur, oratio dicta est.

Id. I, 8 : Petiturus sum, ut rursus vaces sermoni, quem apud municipes meos habui, bibliothecam dedicaturus... Erit enim et post emendationem liberum nobis vel publicare vel continere.

Id. II, 5 : Actionem et a te frequenter efflagitatam et a me sæpe promissam exhibui tibi, non tamen totam : adhuc enim pars ejus perpolitur. Nihil enim adhuc inter manus habui, cui majorem sollicitudinem præstare deberem. Nam in ceteris actionibus existimationi hominum diligentia tantum et fides nostra, in hac etiam pietas subjicietur. Inde et liber crevit, dum ornare patriam et amplificare gaudemus, pariterque et defensioni ejus servimus et gloriæ.

Id. V, 13 : Recitaturus oratiunculam, quam publicare cogito, advocavi aliquos, ut vererer, paucos, ut verum audirem.

Id. VIII, 3 : Jam nunc contra istum librum faveo orationi, quam nuper in publicum dedi, communicaturus tecum, ut primum diligentem tabellarium invenero. Erexi exspectationem tuam ? quam vereor ne destituat oratio in manus sumpta.

Id. IX, 4 : Vererer, ne immodicam orationem putares, quam cum hac epistola accipies, nisi esset generis ejus, ut sæpe incipere, sæpe desinere videatur. Nam singulis criminibus singulæ quoque causæ continentur.

orationem] Gesnerus orationem *in Cæcilium Classicum* intelligit.

Id. VII, 30, 4 : Et scribo aliquid et lego ; sed cum lego, ex comparatione sentio, quam male scribam : licet tu mihi bonum animum facias, qui *libellos meos de ultione Helvidii* orationi Demosthenis κατὰ Μειδίου confers, quam sane, cum componerem illos, habui in manibus.

libellos] Argumentum orationum de ultione Helvidii fuse narrat lib. IX, 13. Publicius Certus sub Domitiano Helvidium violarat, qui mox a Domitiano occidebatur a. U. 846. (Tacit. Agric. c. 45 ; Suet. Domit. c. 10.) Plinius non multo post necem Domitiani ineunte anno 849. Publicium Certum reum facit, ut in libri IX epist. 13 legimus. Vid. Massoni Vit. Plinii p. 69.

252 Id. IX, 28, 5 : Tertia epistola continebat, esse tibi redditam *orationem pro Clario,* eamque visam uberiorem, quam dicente me, audiente te fuerit.

Sidonius Apollin. Epist. VIII, 10 : M. Tullius in actionibus ceteris ceteros, *pro A. Cluentio* ipse se vicit. M. Fronto cum reliquis orationibus emineret, *in Pelopem* se sibi prætulit. *C. Plinius pro Attia Viriola* plus gloriæ de centumvirali suggestu domum retulit, quam cum M. Ulpio, incomparabili principi, comparabilem Panegyricum dixit.

Viriola] legendum *Variola,* ut supra p. 250.

Macrob. Sat. V, 1 : Quatuor sunt genera dicendi : *copiosum,* in quo Cicero dominatur, *breve,* in quo Sallustius regnat, *siccum,* quod Frontoni adscribitur, *pingue et floridum, in quo Plinius Secundus* quondam, et nunc nullo veterum minor noster Symmachus *luxuriatur.*

Mart. Capella De rhetor. p. 410 ed. Capperonn. : Post hos tamen in diversis agminibus oratores emeriti ac præ se ferentes insignium culmen meritaque linguarum Æschinem, Isocratem, Lysiamque conspiceres ; tum in togatis agminibus Sosantios (?), Gracchos, Regulum (?), Plinium Frontonemque.

Regulum] an erit intelligendus ille orator, quem Plinius laudat Epist. I, 20, 14 ?

Cassidorus in Chronico sub Trajano : Celsus et Crispinus. His consulibus (864 U. c.) *Plinius Secundus Novocomensis* orator et historicus insignis habetur, cujus ingenii plurima opera exstant.

Nihil ex tantis eloquentiæ Plinii monumentis præter *Panegyricum* illum, *quo Trajano principi consul* (anno U. 852) *gratias egit,* superesse notum est.

CXIII. Pompeius Saturninus.

Plinius Epist. I, 16 : Amabam Pompeium Saturninum, hunc dico nostrum, laudabamque ejus ingenium, etiam antequam scirem, quam varium, quam flexibile, quam multiplex esset : nunc vero totum me tenet, habet, possidet. Audivi quasdam cau-

sas agentem acriter et ardenter, nec minus polite et ornate, sive meditata sive subita proferret. Adsunt acutæ crebræque 253 sententiæ, gravis et decora constructio, sonantia verba et antiqua. Omnia hæc mire placent, cum impetu quodam et flumine provehuntur, placent, si retractentur. Senties quod ego, *cum orationes ejus in manus sumpseris,* quas facile cuilibet, quorum est æmulus, comparabis. Idem tamen in historia tibi magis satisfaciet vel brevitate vel suavitate vel splendore etiam et sublimitate narrandi. Nam in concionibus eadem, quæ in orationibus, vis est : pressior tamen et circumscriptior et adductior.

Pompeium Sat.] ad eumdem Epistola 8 libri I scripta est, et V, 9; VII, 7 et 15, IX, 38.

CXIV. T. Flavius Domitianus.

Priscian. VI, 7, p. 241 : Domitianus *in senatu pro se : Ut prosper dicendi successus ostenderet et auditorum benevolentia crescere dicentium facultatem.*

Domitianus] sic Putschius. Krehl. edidit *Donatianus.* Cum autem de Donatiano nihil omnino sciamus, nec Krehlius aliquid de eo attulit, in priore lectione acquiescendum esse putavi, præsertim cum aliunde quoque notum sit orationes reliquisse imperatorem Domitianum. In Suet. Vit. Domit. c. 20 legimus *: Liberalia studia imperii initio neglexit, quamquam bibliothecas incendio absumptas impensissime reparare curasset. Nunquam tamen aut historiæ carminibusve noscendis operam ullam aut stilo vel necessario dedit. Præter commentarios et acta Tiberii Cæsaris nihil lectitabat, epistolas orationesque et edicta alieno formabat ingenio, sermonis tamen nec inelegantis, dictorum interdum etiam notabilium.* Nec prætereundus est alter locus, qui ibidem legitur (cap. 2 :) *Defunctum* (fratrem) *nullo præterquam consecrationis honore dignatus sæpe etiam carpsit obliquis orationibus et edictis :* ex quo loco Krausius in libro *De fontibus Suetonii* p. 79, orationes a Domitiano colligit relictas fuisse, quibus fuerit usus Suetonius in enarranda vita imperatoris. [Parisienses quoque codd. antiquissimi præbent *Donatianus.* Et recte videtur Westermannus p. 279 de Domitiani nomine dubitasse : quid enim Imperator *pro se* in senatu loqueretur? Unus cod. ap. Krehlium *Doritianus.*]

prosper] legendum *prosperos,* quod Prisciani contextus postulat. [In exordio hæc dicta esse videntur, ita quidem : *Ut prosperi dicendi successus ostenderent* (vel *ostenderunt), auditorum benevolentia crescere*

dicentium facultatem. Nonnulli codd. *et* post *ostend.* omittunt. Duo Krehlii et Regius 7497 *adjutorum* pro *audit.*]

Suet. Domit. c. 11 : Quosdam majestatis reos in curiam induxerat, et cum prædixisset, experturum se illa die, quam carus senatui esset, facile perfecerat, ut etiam more majorum puniendi condemnarentur, deinde atrocitate pœnæ conterritus ad leniendam invidiam intercessit his verbis (neque enim ab re fuerit ipsa cognoscere) : *Permittite, P. C., a pietate vestra impetrari, quod*
254 *scio me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam et parcetis oculis vestris et intelligent me omnes senatui interfuisse.*

CXV. Divus Hadrianus.

Imperium capessit a. U. 869, p. Ch. 117.

Gellius XVI, 13 : Existimamus meliore conditione esse *colonias* quam *municipia :* de cujus opinionis tam promiscæ erroribus *D. Hadrianus in oratione, quam de Italicensibus,* unde ipse ortus fuit, *in senatu habuit, peritissime disseruit, mirarique se ostendit, quod et ipsi Italicenses et quædam item alia municipia antiqua, in quibus Uticenses nominat, cum suis moribus legibusque uti possent, in jus coloniarum mutare gestiverint. Prænestinos autem refert maximo opere a Tiberio imperatore petisse orasseque, ut ex colonia in municipii statum redigerentur : idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuisse, quod in eorum finibus sub ipso oppido ex capitali morbo revaluisset.*

de Italicensibus] Italica, urbs Hispaniæ, haud procul ab urbe Hispali. V. Mannerti *Hispania* vol. I, p. 313. Qui totum Gellii caput de coloniis et municipiis interius cognoscere vult, adeat Niebuhrii Hist. Rom. vol. II, p. 70.

Charisius II, p. 197 : D. Adrianus orationum XII : *A vobis, P. C., peto, et impetratum validissime cupio, ut proxime imaginem Augusti, argentum potius clipeum sic ut Augusto, ponatis.*

argentum] legendum *argenteum.*

Digest. lib. V, tit. III, 22, De hereditatis petitione : In oratione Divi Hadriani ita est : *Dispicite, Patres Conscripti, num-*

quid sit æquius, possessorem non facere lucrum, et pretium, quod ex aliena re perceperit, reddere, quia potest existimari, in locum hereditariæ rei venditæ pretium ejus successisse et quodam modo ipsum hereditarium factum.

Ibid. lib. V, tit. III, 40 : Illud quoque in oratione Divi Hadriani est, *ut post acceptum judicium id actori præstetur, quod habiturus esset, si eo tempore, quo petit, restituta esset hereditas.*

Ibid. lib, XXXVIII, tit. XVII, 9 : Sacratissimi Principis nostri 255
(Hadriani) oratione cavetur, *ut matris intestatæ hereditas ad liberos, tametsi in aliena potestate erunt, pertineat.*

Gaius II, § 285 ed. Schröder. : Ut ecce peregrini poterant fideicommissa capere, et fere hæc fuit origo fideicommissorum. Sed postea id prohibitum est. Et nunc *ex oratione Divi Hadriani* senatus consultum factum est, ut ea fideicommissa fisco vindicarentur.

Hadrianus Græca lingua puer usus est : postea vero, cum in quæstura *orationem imperatoris in senatu* agrestius pronuntians, risus esset, usque ad summam peritiam et facundiam Latinis operam dedit, ut Spartianus in Vita Hadriani c. 2 tradidit, et Trajani ei familiaritas crevit causa præcipue orationum, quas pro imperatore dictaverat. (Ibid.) Multa autem varii generis scripta reliquit teste Dione Cassio LXIX, 3. Amavit præterea genus dicendi vetustum, et Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Cœlium prætulit Spartiano teste (ibid. c. 16). Multa Hadriani supersunt rescripta epistolæque in corpore Juris.

CXVI. Ælius Verus Cæsar.

Spartianus Ælio Vero c. 4 : Cum de provincia Ælius redisset, atque *orationem pulcherrimam, quæ hodieque legitur*, sive per se, sive per scriniorum aut dicendi magistros parasset, *qua Kal. Januariis Hadriano patri gratias ageret,* Kalendis ipsis Januariis periit.

Kal. Januar.] a. U. 890, p. Chr. 138.

Ibid. c. 5 : Fuit hic lætissimæ vitæ, eruditus in literis,... oris venerandi, eloquentiæ celsioris, versu facilis, in republica etiam non inutilis.

CXVII. Antoninus Pius.

Successit Hadriano a. U. 890, p. Chr. 138.

Capitolinus Antonino Pio c. 11 : Rhetoribus et philosophis per omnes provincias et honores et salaria detulit. *Orationes plerique alienas esse dixerunt, quæ sub ejus nomine feruntur, Marius Maximus ejus proprias fuisse dicit.*

256 Fronto Epist. ad M. Cæs. V, 38 : Utrum facti virtus ornaverit orationem, an oratio factum nobilissimum æquiparaverit, incertus sum : certe quidem ejusdem dicta, cujus illa facta.

orationem] orationem Antonini Pii, ut ex Epist. insequenti patet, in qua M. ipse Cæsar dicit : *Orationem patris mei parem materiæ suæ visam tibi, nil mirum est.*

CXVIII. M. Cornelius Fronto.

Magister fuit Marci Aurelii et Lucii Veri; consul a. U. 895.

Macrob. Sat. V, 1 : Quatuor sunt genera dicendi : copiosum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Sallustius regnat; *siccum, quod Frontoni adscribitur;* pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.

Sidon. Apollin. Epist. VIII, 10 : M. Tullius in actionibus ceteris ceteros, pro A. Cluentio ipse se vicit. M. Fronto cum reliquis orationibus emineret, *in Pelopem* se sibi prætulit.

Pelopem] Hunc Pelopem medicum illum esse crediderim satis celebrem, Ælio Aristidi et Galeno commemoratum. *Niebuhr.*

Claudianus Mamertus Epist. ad Sepaudum rhetorem, in Baluz. Miscell. ed. Paris. tit. VI, p. 535 : Nævius et Plautus tibi ad elegantiam, Cato ad gravitatem, Varro ad peritiam, Gracchus ad acrimoniam, Chrysippus ad disciplinam, *Fronto ad pompam*, Cicero ad eloquentiam capessendam usui sint.

Fronto Epist. ad M. Cæsarem II, 4 : Divom Hadrianum avom tuom laudavi in senatu sæpenumero studio impenso et propenso quoque, et *sunt orationes istæ frequentes in omnium manibus.*

Id. Ep. ad M. Cæsarem I, 6 : *Mea oratio* exstabit M. Cæsaris

manu scripta. Nam pleraque propria venustate carentia gratiam sibi alienam mutuantur.

Id. Ep. ad M. Cæs. II, 1, p. 36 : *Pro Polemone rhetore,* quem 257
tu mihi in epistola tua proxime exhibuisti Tullianum, ego in *oratione, quam in senatu recitavi,* philosophum reddidi, nisi me opinio fallit, peratticum.

Id. Ep. ad matrem Cæsaris II, 2 : Λόγον συνήγαγόν τινα περὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως.

βασιλέως] Panegyricum in Antoninum Pium intelligit, de quo etiam in Epist. IV, 5, 6, loquitur, cujusque meminit Eumenius in Panegyrico c. 14. Vid. A. Maius in Præf. Front. p. xxviii ed. Rom. Eum non alium fuisse quam orationem, quam dixit in senatu inito consulatu (Epist. ad M. Antonin. I, 3), de qua itidem illi sermo est ad matrem Marci (Ep. ad M. Cæsarem II, 5), quin plane eamdem, ex quo ipse profert quædam (Ep. ad M. Cæs. II, 4) ,existimat Niebuhrius.

Fronto Ep. ad M. Cæsar. II, 4 : Quæ sint aures hominum hoc tempore, quanta in spectandis orationibus elegantia, ex Aufidio nostro scire poteris : quantos in *oratione mea* clamores concitarit quantoque concentu laudantium sit exceptum : *Omnibus tunc imago patriciis pingebatur insignis.* At ubi genus nobile ignobili comparans dixi: *Ut si quis ignem de rogo et ara accensum similem putet, quoniam æque luceat;* ad hoc pauca admurmurata sunt.

Omnibus] ex Panegyrico in Pium dicto hæc sumpta sunt, ut supra dixi.

Id. Ep. ad Antoninum II, 8: Pro cetera erga me benevolentia tua fecisti, quod *orationum,* quas frater tuus Dominus noster desideraverat, mittendarum apud me gratiam inire voluisti. Adjuncxi ultro ego tertiam *orationem pro Demonstrato Petiliano....* quam cum fratri tuo obtuli, didici ex eo, *Asclepiodotum, qui oratione ista compelletur,* a te non improbari. — Adde Ep. ad Verum 9, p. 194.

Oratio Frontonis *de hereditate Matidiæ,* Pii materteræ, commemoratur in Epist. ad Antonin. II, 12 et 13.

Oratio Frontonis *adversus Herodem Atticum* memoratur in Epist. Aurelii Cæsaris ad Frontonem III, 2 ; ad Antoninum II, 8, ad Verum 9.

Exstat fragmentum *Gratiarum actionis in senatu pro Cartha-*

258 *giniensibus* in editione A. Maii pag. 332 sq. quod, cum nimis sit lacerum, exscribere nolui.

Charis. p. 111 : Fronto *pro Ptolomæensibus : Parentum tuorum.*

Fulgentius Expos. serm. antiqu. p. 564 : Justitium dicitur luctus publicus, unde Fronto oratione *pro Nucerinis* ait : *Denique justitium plebi indicitur.*

Isidor. Origg. xv, 2, 46 : Carcer est, a quo prohibemur exire et dictus carcer a coercendo. Hinc Fronto : *Ut pergræcari potius amœnis locis, quam coerceri carcere viderentur.*

Fronto] in oratione *adversus Christianos*, quam Minucius Felix in Octavio c. 9 laudavit, ut Maius suspicatur, quem v. p. 335.

Fronto Ep. ad amicos I, 17 : In *oratione Bithynia,* cujus partem legisse te scribis, multa sunt nova addita, ut arbitror, non inornate ; locus in primis de acta vita, quem tibi placiturum puto, si legeris, quid in simili re M. Tullius Pro L. Sylla egregie scriptum reliquit, non ut par pari compares, sed ut æstimes nostrum mediocre ingenium quantum ab illo eximiæ eloquentiæ viro abfuat.

oratione Bithynia] De oratione pro Bithynis in sequenti quoque Epistola ejusdem libri loquitur. [Ubi aliqua de argumento ejus orationis : *Orationem istam pro Bithynis ante annum fere in manus sumpseram et corrigere institueram. Tibi etiam Romæ tunc agenti nonnihil de ista oratione promiseram. Et quidem, si recte memini, cum sermo inter nos de partitionibus orationum ortus esset, dixeram et præ me tuleram, satis me diligenter in ista oratione conjecturam, quæ in crimine mandatæ cædis verteretur, divisisse argumentis ac refutasse.*]

P. Consentius p. 2031 ed. Putsch. : Fronto ait : *Et illæ vestræ Athenæ Dorocorthoro.* Apparet nominativo casu posuisse *Dorocorthoro.*

Fronto] in incerta oratione. [Fortasse ex Oratione adversus Herodem Atticum. *Westerm.* p. 313.]

Dorvillius apud Servium (ad Virgil. Æn. VII, 445) Cornelium Frontonem intelligendum esse putat, cum dicit : « *Exarsit in iras.* Communis sermo habet *ardeo illa re,* sed figaratius *ardo in illam rem* dicimus, et est specialis *Cornelii* locutio. »

— Similiter idem Servius ad Æn. VII, 30 dicit : « *Hunc inter*, per hunc. Est autem crebra *Frontonis* elocutio. »

CXIX. Volumnius Quadratus.

Fronto Ep. ad amicos II, 3 : Legam, fili, libenter orationem istam, quam misisti mihi, et si quid videbitur corrigendum, corrigam. — Sequuntur aliqua de illa oratione, sed maximam partem obliterata.

Ad eumdem Volumnium Epistolæ duæ priores illius libri scriptæ sunt, ex quibus patere videtur, Volumnium orationes aliaque scripta edere voluisse.

CXX. Lucius Verus, Marci Antonini frater.

Fronto Ep. ad M. Cæsar. V, 38 : Utrum facti virtus ornaverit orationem, an oratio factum nobilissimum æquiparaverit, incertus sum, certe quidem ejusdem dicta, cujus illa facta. Sed et fratris tui *oratio* me delectavit : nam et ornata fuit et cordata, et certum habeo, eum minimum spatii habuisse ad meditandum.

fratris oratio] de eadem in sequenti Epist. loquitur M. Cæsar : *Fratris* 259
mihi gratiarum actio *eo laudabilior est*, *quo minus ad meditandum*, *ut conjectas*, *habuit spatii*.

Verus Imp. Ep. ad Frontonem 3, p. 187 : Quidvis enim subire paratus sum, dum a te res nostræ celebrentur. Plane non contempseris et *orationes ad senatum* et *adlocutiones nostras ad exercitum*. Mittam tibi et *sermones meos cum barbaris habitos*. Multum hæc tibi conferent.

conferent] ut Parthici belli, quod gessi, historiam luculenter conscribas.

CXXI. Marcus Antoninus Philosophus.

Accepit regnum a. U. 913, p. Chr. 161.

Fronto Ep. ad M. Cæsar. III, 1 : Idem tu, quom in senatu vel in contione populi dicendum fuit, nullo verbo remotiore usus es, nulla figura obscura aut obsoleta : ut qui scias eloquentiam Cæsaris tubæ similem esse debere, non tibiarum, in quibus minus est soni, plus difficultatis.

Fronto Ep. ad Verum Imp. 1 : Ex eloquentia tua, quam scri-

ptis ad senatum literis declarasti, ego jam hic triumpho..... Quum maxime hæc ego mecum agitabam, cum orationi tuæ successit Antonini (fratris) oratio, di boni! quam pulchra! quam vere multa! plane dicta omnia et verba delenifica, pietate et fide et amore et desiderio dilibuta. Una mehercules tua epistula, una tui fratris de te tuisque virtutibus oratio nobilior ad gloriam et ad posteros celebratior erit, quam plerique principum triumphi.

fratris] Marci Antonini.

Fronto Ep. ad M. Cæs. V, 3: Miserere, unum verbum de oratione ablega, et quæso, ne unquam eo utaris, *dictionem* pro *oratione*. Vale.

Idem Ep. ad Antoninum I, 2: Proximo senatu, cum Cyzicenorum gravem causam commemorares, ita *oratio*nem tuam figurasti, quam figuram Græci παράλειψιν appellant, ut prætereundo tamen diceres et dicendo tamen præterires. In quo multa simul laudanda sunt: primum hoc te doctissime perspexisse, sociorum graves ærumnas non perpetua neque recta aut prolixa oratione exaggerandas, indicandas tamen esse impensius, ut digni senatus misericordia et auxilio viderentur. Deinde ita breviter rem omnem atque ita valide elocutus es, ut paucissimis verbis omnia, quæ res posceret, continerentur... In oratione tua Cyzicena, cum deos precaveris: *Et, si fas est, obsecro,* addidisti; quod ego me non memini legisse: *obsecrari* enim et *resecrari* populus aut judices solebant.

Cyzicenorum] oratio de terræ motu, quo Cyzicus concussa est. V. Ang Mai notam, p. 147.

Si fas] Ea locutione, *si fas obsecro*, Marcus imitatus fuerat Plautum Bacch. IV, 9, 102. *Mai.*

Fronto De orationibus Antonino Augusto p. 245: Pleraque in oratione recenti tua, quod ad sententias attinet, animadverto
260 egregia esse, pauca admodum uno tenus verbo corrigenda, nonnihil interdum elocutione novella parum signatum.

Oratio, quam vixdum pueritiam egressus Antoninus in senatu habuit, a Frontone laudatur in Epist. ad Antonin. I, 2.

Fronto Ep. ad Antonium I, 2: Ego cum in vestris orationibus (Marci et Veri fratrum) vestigia nostræ sectæ animadverto,

γέγηθε δὲ φρένα Λητώ... Unum tibi periculum fuit, Antonine, idem quod omnibus, qui sublimi ingenio exstiterunt, ne in verborum copia et pulchritudine clauderes : quanto enim ampliores sententiæ creantur, tanto difficilius verbis vestiuntur.

Ulpian. Tit. xxvi, 7, De legitimis heredibus : Impp. Antonini et Commodi oratione in senatu recitata id actum est, ut sine in manu conventione matrum legitimæ hereditates ad filios pertineant exclusis consanguineis et reliquis adgnatis.

oratione] a. U. 930, Christi 178 habita, ut Schulting. in Jurisprud. Ante-Justinianæ p. 667 dicit.

Digest. lib. xxiii, tit. i, 16 : Oratio imperatorum Antonini et Commodi, quæ quasdam nuptias in personam senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est.

Digest. lib. xxiii, tit. ii, 16 : Oratione Divi Marci cavetur, ut si senatoris filia libertino nupsisset, nec nuptiæ essent.

Digest. lib. ii, tit. xv, 8 : Divus Marcus oratione in senatu recitata effecit, ne aliter alimentorum transactio rata esset, quam si auctore prætore facta.

Digest. lib. ii, tit. xii, 1 : Ne quis messium vindemiarumque tempore adversarium cogat ad judicium venire, oratione Marci Divi exprimitur.

Digest. lib. xxvii, tit. i, 44 : Cum ex oratione Divi Marci ingenuus libertino tutor datus excusari debeat, eamdem excusationem competere etiam ei, qui jus annulorum impetrasset, imperator noster cum Divo Severo patre suo rescripsit.

Digest. lib. xl, tit. xv, 1 : Interdum et intra quinquennium non 261
licet de statu defuncti dicere : nam oratione Divi Marci cavetur, ut, si quis ingenuus pronuntiatus fuerit, liceat ingenuitatis sententiam retractare, sed vivo eo, qui ingenuus pronuntiatus est, non etiam post mortem, in tantum ut etiam, si cœpta quæstio fuit retractationis, morte ejus extinguatur.

Ibid. tit. xvi, 2 : Oratione Divi Marci cavetur, ut etiam extraneis, qui pro altero postulandi jus haberent, liceret detegere collisionem.

Digest. lib. xlii, tit. i, 56 : Post rem judicatam vel jurejurando decisam vel confessionem in jure factam nihil quæretur post orationem Divi Marci : quia in jure confessi pro judicatis habentur.

Juris Civilis Ante-Just. Vatic. fragm. p. 54 ed. Mai. : Papinianus lib. xi Quæstionum respondit : *verbis orationis Fratrum imperatorum* libertum, etsi ob aliquod privilegium a tutelis vacet, patroni tamen patronæque liberorum tutor ut deligatur, conpræhensum.

Ibid. p. 48 : Ex filia nepotes prodesse ad tutelæ liberationem, sicuti nec ad caducorum vindicationem palam est, nisi mihi proponas ex veterano prætoriano genero socerum avum effectum, tunc enim secundum orationem dei Marci, quam in castris prætoris recitavit, Paulo iterum et Aproniano consulibus (p. Chr. 168) viii id. jan. id habebit avus, quod habet in nepotibus ex filio natis. Cujus orationis verba hæc sunt : *Et quo facilius veterani nostri soceros repperiant, illos quoque novo privilegio sollicitabimus, ut avus nepotum ex veterano prætoriano natorum iisdem commodis nomine eorum fruatur, quibus frueretur, si eos haberet ex filio.*

Ibid. p. 53 : Oratio dei Marci ita scripta est, ut patroni patronæ libertus tutor deligi possit, tametsi aliquo privilegio subnixus sit.

CXXII. Divus Pertinax.

Memoratur oratio Pertinacis in Institutt. lib. ii, tit. xvii, 7.

262

CXXIII. Divus Severus.

Digest. lib. xxvii, tit. ix, 1 : Imperatoris Severi oratione prohibiti sunt tutores et curatores prædia rustica vel suburbana distrahere. Quæ oratio in senatu recitata est Tertyllo et Clemente Coss. Idibus Juniis. Et sunt verba ejus hujusmodi : *Præterea, Patres Conscripti, interdicam tutoribus et curatoribus, ne prædia rustica vel suburbana distrahant, nisi, ut id fieret, parentes testamento vel codicillis caverint. Quod si forte æs alienum tantum erit, ut ex rebus ceteris non possit exsolvi, tunc prætor urbanus, vir clarissimus, adeatur, qui pro sua religione æstimet, quæ possint alienari obligarive debeant; manente pupillo actione, si postea potuerit probari, obreptum esse prætori. Si communis res erit et socius ad divisionem provocet, aut si creditor, qui pi-*

gnori agrum a parente pupilli acceperit, jus exsequetur : nihil novandum censeo.

Tertyllo et Clemente] conss. a. U. 946, p. Chr. 195, apud Relandum in Fastis.

Juris Civilis Ante-Justinian. Vatic. fragm. p. 42 ed. Mai. : Pars orationis imperatoris Severi : *Promiscua facultas potioris nominandi nisi intra certos fines cohibeatur, ipso tractu temporis pupillos fortunis suis privabit, cui rei obviam ibitur, P. C., si censueritis, ut collegæ patris sui vel pupilli in decuria vel corpore, item cognati vel affines utriusque necessitudinis, qui lege Julia et Papia excepti sunt, potiorem non nominent, ceteri cognati vel adfines amicive atque municipes eos tantummodo nominent, quos cura complexus sum. Vicinitatis autem jure nemo potior existimetur.*

Ibid. p. 74 : Si ... tuus nomine matris tuæ de sua pecunia ... donationis causa, eique tradidit, et decedens non revocavit ad ... contulisse videtur, intellegis frustra te velle experiri, cum *oratione Divi Severi* hujusmodi donationes post obitum eorum, qui donaverunt, confirmentur P. P. pridie non. mart. Antiochiæ, Augg. IIII et III conss.

Augg. IIII.] i. e. Imp. C. Aur. Valer. Diocletiano Aug. IV, et Imp. M. Aur. Valer. Maximiniano Aug. III conss. a. U. 1041, p. Chr. 290.

CXXIV. Aurelius Antoninus, Severi filius. 263

Imperator Antoninus Augustus, ante excessum Divi Severi patris sui orationem habuit in senatu a. U. 958, *De confirmandis orationibus*, ex qua fragmenta etiamnunc exstant.

Digest. lib. XXIV, tit. I, 3 : Ita ait : *Majores nostri inter virum et uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes, famæ etiam conjunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur, neve melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret.*

Ibid. lib. XXIV, tit. I, 31 : Ait oratio : *Fas esse, eum quidem qui donavit pænitere, heredem vero eripere forsitan adversus voluntatem ejus supremam, qui donaverit, durum et avarum esse.*

Ibid. § 11 : Ait oratio : *Si prior vita decesserit, qui donatum accepit.*

CXXV. Q. Aurelius Symmachus.

Is vixit inde ab anno circiter 350 post Christum (1102 U. c.) usque ad 410 (1162 U. c.), iisdem fere temporibus, quibus Ausonius, Prudentius et Claudianus poetæ. Consul fuit cum Tatiano anno U. 1142, p. Chr. 391, ut ex Fastis Relandi videmus.

Cassiodorus in Historia tripartita lib. IX, 23 : Symmachus inter senatores præcipuus habebatur, eratque Romani eloquii eruditione mirabilis, cujus multi quoque reperiuntur libri.

Socrates Hist. Eccles. v, 14 : Σύμμαχος πρῶτος μὲν ἦν τῆς ἐν Ῥώμῃ συγκλήτου, ἐθαυμάζετο δὲ ἐπὶ παιδεύσει λόγων Ῥωμαϊκῶν· καὶ γὰρ αὐτῷ πολλοὶ λόγοι συγγεγραμμένοι τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ τυγχάνουσι.

Nicephorus Hist. Eccles. xii, 21 : Σύμμαχος πρῶτος ὢν τῆς ἐν Ῥώμῃ συγκλήτου βουλῆς διὰ θαύματος ἦν τοῖς προσοῦσιν αὐτῷ ἀγαθοῖς, μάλιστα δ'ἐπῃνεῖτο ἐπὶ παιδεύσει λόγων Ῥωμαϊκῶν. Πολλοὺς γὰρ καὶ ἄγαν ἀρίστους λόγους τῇ σφετέρᾳ γλώσσῃ ἐξέδοτο.

Macrob. Saturn. v, 1 : Quatuor sunt genera dicendi : copio-
264 sum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Sallustius regnat ; siccum, quod Frontoni adscribitur ; *pingue et floridum, in quo* Plinius Secundus quondam, et nunc nullo veterum minor *noster Symmachus luxuriatur.*

Symmach. Epist. I, 44 (38) : Credo indicium fecisse tibi famam, quod parentem meum ruri atque in secessu amissæ domus injuriam decoquentem frequentibus suffragiis, denique oratoribus missis novo honore senatus acciverit. Qua causa ubi primum facultatem loquendi apud collegas attulit dies, egit ille senatui gratias ea facundiæ gravitate, qua notus est. Calendæ tunc erant, quibus annus aperitur. Brevi intervallo cum familiaris mei Trygeti filio, prætorio candidato, actionis operam spopondissem, animum religio convenit, ut occasione destinati officii obirem munus adhuc a me patri debitum, sed, ut dixi, ab illo senatui jam solutum. Ergo ad quintum Idus Januarii verba feci in amplissimo ordine; quæ ubi in manus tuas venerint, ex tuo animo conjicies judicia ceterorum.

Trygeti filio] fragmentum hujus orationis inter eas exstat, quæ ab Ang.

Maio detectæ editæque sunt. Ad eumdem Agorium, ad quem literæ priores sunt missæ, exstat Epistola I, 52, in cujus principio legimus: *Orationem meam tibi esse complacitam, nihilo sequius gaudeo, quam quod eam secunda existimatione pars melior humani generis, senatus, audivit.* In altera igitur Orationis parte pro restituto patre senatui gratias agit, in altera filium Trygeti, ut præturam obtineat, commendat.

Symmachus Hesperio (I, 78=72): Unus adhuc superas ex summatibus literarum, cui probari orationem meam laudis avarus optarim. Res cecidit ex voto; utor teste, quo volui.

* *volui*] codex Regius optimus. Vulgo *volo.*

Symmachus Syagrio (I, 96): Studium, quod scribendis orationibus exhibebam, præmio laudis auxisti.

* *exhibebam*] Cod. Vulgo *exhibeam.*

Symmachus Syagrio (I, 105): Ne otiosum penitus arbitreris, committo eruditioni tuæ vigiliarum mearum testem libellum, quo nuper in senatu sustuli civium secunda suffragia.

* *Ne*] Cod. *ne me.*

Symmachus Jul. Rustico (III, 7): Arbitrium te assumo epistolarum mearum. Cape, si quid ab republica vacas, oratiunculam nostram, cujus edendæ fiduciam mihi favor civium dedit.

* *mihi*] Cod. Vulgo deest.

Symmachus Protadio (IV, 29): Ego tamen vel tradendas co- 265
ram tibi a fratre nostro Minervio duas oratiunculas meas vel mittendas in patriam fidelitati ejus ingessi. Commoneo tamen, ne orationis unius titulo mutetur de me existimatio tua. Nam repudiata censura gravat nos principio sola argumenti inspectione. Sed ubi dicta legeris, cum sententia mea in gratiam reverteris. Hanc partem, quæ tempestate rejecta est, totius ordinis nostri antetulit auctoritas, ne sub specioso nomine fores impudentiæ ambire solitis panderentur. Plures utilitatis et honestatis assertiones in ipso corpore orationis invenies.

Protadio] Has orationes accepisse se testatur Protadius (IV, 30): *Tranceo ad eam sermonis tui partem, quæ orationum mearum desiderium videtur attingere. Ais in manus tuas scripta nostra venisse, fratre nostro Minervio proditore.*

repudiata censura] Symmachus consentiente senatu censuram dissuadet restitui : tunc enim eum magistratum, qui jam dudum esse desierat, integrare conabantur. Conf. Creuzer. Antiq. Rom. § 110, p. 147. Aug. Maius de abroganda censura dixisse Symmachum falso existimat. [Paulo post cod. *tempestate resecata est*, pro *rejecta.*]

Symm. Minervio (IV, 45) : Fiducia mihi stili atque ingenii mei nulla est : sed tua benignitas ausus meos provocat. Misi igitur ad eruditionem tuam duas oratiunculas nostras, quarum una *ad Polybii filium* pertinens ex recenti negotio nata est, altera dudum, cum res in curia agitaretur, a me parata, nunc opere largiore aucta processit. Huic argumentum est *repudiata censura,* quam tunc totius senatus fugavit auctoritas. Volo mireris, gravissimum ordinem magisterium respuisse. In oratione nostra non leves causas evitatæ hujus potestatis invenies.

**mei*] cod. Vulgo deest.

repudiata censura] eadem est intelligenda oratio, de qua supra IV, 29, dixit.

Symm. Eupranio (IV, 64) : Nec tantum epistolas poscis, oratiunculas quoque nostras, nondum tibi editas, deferri in manus tuas præcipis ; quæ res videtur ostendere, quid judicii habeas de iis, quas ante sumpsisti. Misi igitur ex recentioribus numero
266 quinque, quorum *mihi* jam fiduciam fecit publicus favor.

* *nondum tibi editas*] cod. Vulgo refragante sententia loci, *non editas.*

* *mihi*] cod. Vulgo *uni,* de qua lectione Meyerus : « similiter ac de eadem fortasse oratione in Ep. 7 libri III loquitur : *Cape si quid ab rep. vacas, oratiunculam nostram, cujus edendæ fiduciam favor civium dedit.* »

Symm. Theodoro (V, 9) : Vereor eloquentiæ tuæ scripta nostra committere, sed non minus caveo amori tuo meorum quidquam negare. Duas igitur oratiunculas nuper editas a nobis misi. Earum una ad urbanos fasces resultantem tenuit candidatum, alteri argumentum dedit jam pridem decreto senatus improbata censura. Sed judicium meum, cum res acta est, habitum propagavi opere largiore. Nec mihi vitio vortas priscæ severitatis repulsam. Nam quædam solis speciosa nominibus, usu et experiundo plurimum nocent. Rationes sententiæ meæ lector invenies.

improbata censura] eadem significatur oratio, de qua supra IV, 29 et 45 locutus est. [Et in hac ῥήσει aliqua è cod. emendata.]

Symm. Neoterio (V, 43): Oratiunculam, quam proxime in senatu habui, ad te misi, de qua dominum meum fratrem nostrum Carterium tecum plene arbitror collocutum. Nam petitioni nostræ auditor interfuit. Et quamvis totius ordinis secunda suffragia cepisse videamur, in te uno tamen summam testimonii collocamus.

oratiunculam] orationem, quæ exstat, pro Synesio, intelligendam esse suspicatur Maius.

Symm. Decio (VII, 58): Duas oratiunculas meas nuper editas ad illustres viros virtutum et literarum sacerdotio præditos Felicem et Minervium misi. Harum etiam te, ut amantem mei, si mediocribus ingeniis non offenderis, opto esse lectorem.

Minervium] vide supra IV, 45.

Cassiodorus Hist. Tripart. IX, c. 23: Symmachus scripsit *Maximi laudem* eamque recitavit, unde postea reus esse majestatis videbatur. Quamobrem mortem metuens confugit in ecclesiam. Verum imperator (Theodosius) cum esset perfectissimæ christianitatis, Symmachum absolvit a crimine. Cumque veniam meruisset Symmachus, Apologeticum, id est, satisfactionalem 276
librum ad Theodosium conscripsit imperatorem.

Maximi laudem] De hoc Panegyrico in tyrannum Maximum in Epist. II, 31, loquitur; atque VIII, 69: *Unum quippe hoc literarum genus superest post amaros casus orationum mearum, quod me ad usum scribendi possit allicere.*

Panegyricum composuit Theodosii senioris, ut in Epist. II, 13, indicavit: *Cum civiles et bellicas laudes Domini nostri Theodosii stili honore percurrerem (magis enim contigisse me omnia, quam satisfecisse singulis fateor), etiam leges ejus bonis pacis admiscui.*

Restat *oratio contra Gildonem habita in senatu*, de qua dicit IV, 4: *Ingenti causæ devotis sententiis satisfecimus. Veniet in manus tuas quid pronuntiaverim.*

Superest, ut moneam, a viris doctis interdum aliorum quoque oratorum orationes commemorari quas de industria omittendas esse putavi, quia aut errore aut conjectura quasi quadam temeraria id factum erat. Exempla sufficiant aliquot. Scaligerus ad Festum pag. 213 orationem laudat Varronis, de qua ipse Varro in quinto De latino sermone sit locutus. Hanc opinionem in falsa lectione inniti, ex Spengelii editione p. 201 satis apparet. Aliud deinde orationis Varronianæ fragmentum a Dacerio affertur ad Festum pag. 327, quod ex Catonis oratione apud Gellium V, 14 legimus. Lipsius autem in Vita Corn. Taciti, ex Plinii Epistolis, et Tacitum in principibus oratoribus fuisse et orationes aliquot edidisse, intelligi dicit. Meminisse puto Lipsium Epistolarum Plinii VII, 20 et VIII, 7, sed vereor, ne nimium iis tribuerit: nullo enim modo inde confirmari potest, orationes edidisse Tacitum. Postremo Angelus Maius ex epistola Frontonis ad Verum imperatorem 1, p. 181, in qua legimus: *Ventidius ille, postquam Parthos fudit, fugavitque, ad victoriam suam prædicandam orationem a G. Sallustio mutuatus est*, colligi posse credidit, relictas esse a Sallustio orationes: vereor itidem, ne nimium his verbis tribuerit.

INDEX ORATORUM *.

* Paginæ indicantur margini ascriptæ. Loci historiæ Ellendtianæ ante fragmenta cujusque oratoris annotati sunt.

INDEX VOCABULORUM ET RERUM,

QUÆ IN ADNOTATIONIBUS TRACTANTUR.

CORRIGENDA.

Pag. 10, lin. 19 operarum negligentia pessime disjectam ita concinnato, post parentheses : , *quod fortasse ad gno-*

P. 31, l. 3-5 lege ἡδὺν... οἴκτου... ἀκριβῶς : *nec absona sunt*

P. 79, l. 14 *L. Semnii* pro *L. Sempronii* ex archetypo irrepsit.

P. 84, l. ult. lege *dictatore*

P. 167, l. 5 a fine, lege *conjectura*

P. 181, l. 9, lege *Ruscinonem*

P. 230, in Græcis lege l. 2 οὕτω, 3 ἠδικῆσθαι, 4 ἄλλων, et ἀνάγκαις, 5 μενηκέναι, 8 ἥκειν.

P. 322, l. ult. adde *Reliq. poet. p.* 118 *sq.*

P. 376, l. 16. II, 4 ex edit. Turic. remansit : lege II, 1. Notis adde : *admurmurata sunt*] codex et Meyerus *admurmuratis*.